AMMINISTRAZIONE DELLA PROVINCIA
DI TORINO
BIBLIOTECA
R. - b - 4

# STATVTA
## CIVITATIS NOVARIAE.



Nouariæ in ædibus Francisci Sesalli.
MDLXXXIII.

BIBLIOTECA
PROVINCIA DI TORINO

# ILLVSTR. AC MAGN. D. DECVRIONIBVS, AC PRAESIDENTIBVS CIVITATIS NOVARIAE.

FRANCISCVS SESALLVS.

VNIVERSA *hominum vita, Patres Amplissimi, siue magnam vrbem, siue paruam incolant, natura & legibus gubernatur: Horum porrò natura quidem incerta, & versatilis est, & sæpe praua, & mala capit consilia, leges verò iustum, honestum, & vtile imperant. Legibusq. & literis, & eorum obseruantia & disciplina, exornantur omnia, nihilq. pulcrum, neque decorum reperiri potest, quod non cum lege aliqua participet. Legibus obseruantur cōsuetudines, iustitia colitur, exulat iniuria, liberalitas exercetur, iacet auaritia, pudor viget, profugatur impudentia, virtutes viuunt, pereunt flagitia, boni eriguntur, corriguntur mali, ipsiq. Ciuitatum status sola legum obseruantia stant, & manent. Et quando sine his primum humanum genus rude & incultum cœpit apparere, dispersi omnes homines huc atque illuc euagabantur, aut per suprema desertorum montium cacumina discurrentes, aut per ignotas & inextricabiles densissimarum syluarum vias errantes, aut per intima abditarum speluncarum latibula occultissimas latebras, cœcasq. cauernas latitantes: non inter se se norant, nullum inter eos, neque rationis, neque societatis comercium: Si quando obuij fuissent, aut difugiebant, aut concurrrebant pugnis, inter se ad necem vsque cedentes, atque percutientes, vnguibus incultos villos effera ora dilaniantes, artus omnes, & intima viscera mordacibus dentibus dilacerantes. Huiusmodi erat inter indisciplinabiles homines, immo feras potius, confusio. Sequente deinde tempore successere alia aliorum ingenia, quæ effrenatos virorum animos compescerent, cruda corda mitia redderent, elatos spiritus refrenarēt, promptissimas ad subitas iniurias manus reprimerent, iras temperarent, rixas sedarent, tumultus placarent, dissipatos colligerent, errantes firmarent, fugientes, & discurrentes sisterent, vagantes denique omnes in cœtum cogerent, in gratiam reducerent, in amicitiam, in societatem colligarent, donec in vnum omnia collocarentur. Tunc vrbes vallo, mœnibusq. circumdedere ac muniere, tūc rebus nomina indita, tunc Ciuitates sunt a ciuibus appellatæ, tunc leges latæ, tunc Respublicæ constitutæ, tunc decretis confirmatæ. Hoc pacto humanæ res in hunc modum excreuerunt. Quod si id necessarium est, quod aliter fieri non potest, necessariæ certè fuerunt literarum disciplina, & legum obseruantia, adiumento quorum hæc omnia adepti sumus. Huncq. in modum excreuit Vrbs nostra Nouaria, non tantùm Insubriæ, sed totius Italiæ antiquissima & nobilissima Ciuitas, ante famosum excidium Troianum, & ante Romam conditam, ædificata a maximo illo Hercule Ario Libio Aegiptio, qui ex Italia tyrannis & giganti-*

*bus*

*bus expulsis, per tempus aliquod regnauit: vt opulentius enarrant antiqui auctores,
Berosus Babilonius, Marcus Portius Romanus vticensis dictus, Diodorus Sicu-
lu., Cornelius Tacitus, & alij. Sed deinde a multis bellorum procellis, & turbinibus
pluries dirupta, euersa, & agitata fuit, vt ex antiquissimis ædificiorum subterra-
neorum ruinis, quotidie temporibus nostris inuentis, clarissimè cernitur. Veruntamen
in tantorum fluctuum iactantia, fuerunt semper Progenitores vestri homines, & pa
ce, & bello insignes, qui omnium virtutum luce claruerunt, & ex illustribus vestro-
rum familijs prodiere inuictissimi Duces, famosi Principes, & Illustres Heroes, ac om
nium bonarum literarũ, artiumq;, & disciplinarum viri, qui inter eruditos locum
obtinuerunt eminentissimum: Prodiereq; sanctæ Ecclesiæ Cardinales clarissimi, An
tistitesq. vigilantissimi, omnium eorum quæ ad curam gregis Christiani spectant ob
seruantissimi, qui tum aliarum vrbium multarum, tum nostræ, religionis obseruan
tissimæ, munia Episcopalia obiere. Sed hic pluribus non immorar, cum plenæ
historiæ, nec epistolam, sed volumen maximum postularent. Vixerunt enim Noua-
rienses, & cæteri Insubres per multa tempora sub Longobardorum Regum Legibus,
tam ante Gottorum, qui Italiam ferè totam occuparunt, incursionem, quàm etiam
postquàm hi a Belisario, & Narsete, auxiliantibus ipsis Longobardis, ad internitio-
nem deleti fuerunt, vsque ad ipsorũ etiã Longobardorum occisionem, a Carolo Ma-
gno perpetratam, cuius, & successorum suorum imperio, leges illæ ferè omnes in desue
tudinem abierunt: Nec deinde vllæ aliæ, aut paucæ, a nobis, vsque ad translati-
nem Imperij Romani ad Germanos, receptæ fuerunt. His temporibus vrbs no-
stra Nouaria, cũ cæteris Insubrum Ciuitatibus, libertatem retinebat, ipsiusq. Decu
riones Progenitores vestri, & ipsam Ciuitatem, & totam eius prouintiam, quæ a
montibus Eluetiorum, infra, inter Ticinum, & Sesitem clauditur, preclarè rege-
bant, eiusq. rempublicam egregiè, prouidèq. administrabant: Et tunc varias, beneq.
digestas sibi metipsis leges municipales condidere, quas statuta appellarunt. Et has
postea, secundum temporum varietatem, moderarũt, reformarũt, & correxerunt,
eæq. volumine vno redactæ, per multa tempora manuscriptæ, demum impressæ, ob
seruatæ fuerunt, & obseruantur. Sed quia volumina illa, tam manuscripta, quàm
impressa, iam ferè omnia consumpta fuerant, eorum librorum exemplũ a multis de
siderabatur. Et quamuis vos omnes ad nouam eorũ statutorũ æditionem aspiraretis,
tamen grauibus oppressi oneribus, publicorumq. negotiorũ fluctibus iactati, hinc in-
de ab eo opere destitistis. Quæ omnia cũ mihi innotuissent, vt bono publico cõsulerẽ,
gratumq. vobis duxissem, typis meis eundẽ librũ, ea qua potui diligẽtia, & indu-
stria, edendũ curaui. Vobisq; editionem hanc dicandam opere prætium fore existima-
ui, vt hæc auctoritate, ac benignitate vestra munita, in eo, veluti nido, foueantur,
a quo pridem egressa fuere. Vestræ igitur vetustæ humanitatis est, Patres Amplissi-
mi, partum hunc vestrum complecti, meq; qui in eo exornando plurimum laboris,
& industriæ contuli, si res ex sententia non cesserit, saltim in eorum numero, & lo
co collocare, qui vestrum quemque colunt, & obseruant. Valete. Nouariæ decimo
septimo calend. Ianuarij. MDLXXXIII.*

# STATVTORVM NOVARIAE
## LIBER PRIMVS.

## DE SACRAMENTO POTESTATIS.

IN PRIMIS Statutum & ordinatum est, quòd Potestas & Rector, qui pro tempore fuerit ad regimen Ciuitatis Nouarię, & districtus teneatur & debeat iurare incontinenti, cùm venerit ad Ciuitatem Nouariæ: antequam intret domum palatij habitationis eius, in concione publica super arangheria Broreti communis Nouariæ, vbi concionatur super Statutis communis Nouariæ, clausis & sigillatis: quòd manutenebit, conseruabit, augumentabit, & defendet bona fide, sine fraude, remoto omni odio, amore, & timore & omni commodo & damno eius, vel alicuius alterius personæ, Ciuitatem Nouariæ & suburbia Ciuitatis Nouariæ, & res & personas eorum, quæ nunc sunt & pro tempore fuerint, & substantias, & eorum honores & iurisdictionem eorum, tam pro cõmuni quàm pro singulari, & totam iurisdictionem Nouariæ & totum districtum Nouariæ & personas districtus Nouariæ realiter & personaliter. Et quòd obseruabit omnia & singula Statuta tam ædita quàm ędenda spectantia ad officium præfati domini potestatis, & ea per eius officiales obseruari faciet, Ad honorem & statum bonum Illustrissimi Principis, ac Excellentissimi Domini Domini Francisci Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani &c. Papiæ, Angleriæq; Comitis, ac Cremonæ & Nouariæ domini, belli patris, & pacis auctoris, ac filiorũ suorum in ducatu Mediolani succedentium, Et ad honorem & vtilitatem cõmunis Nouariæ, per totum tempus sui regiminis. Et ne possit dictus dominus potestas prętendere ignorantiam dictorum Statutorum dictę cõmunitatis, statuerunt & ordinauerunt quòd mittatur liber Statutorum dictæ cõmunitatis in loco Galiatis, seu in alio loco, in quo residentiam faciet die præcedenti ante introitum sui regiminis, vt ipsa Statuta ad eius officium spectãtia legere possit, & intelligere. Et quòd de dicto iuramento præstando vt supra, fiat publicum instrumentum per vnum ex notarijs deputandis officio prouisionum cõmunis Nouariæ. Cura autem prædictorum fiendorum & exequendorum spectet Sindico fiscali, qui si negligens fuerit, incurrat pœnam librarum vigintiquinq; imperialium applicandarum ducali cameræ. Et si cõtingeret aliquem potestatem intrare dictum officium non seruata forma prædicta: quòd tunc sine speciali licentia prælibati Illustriss. Domini nostri manu sua propria subscripta & huic ordini deroganti: nõ respondeatur sibi de aliquo salario. Et thesaurarius qui exbursauerit ipsum salarium contra formam prędictam, nullam possit consequi compensationem a Ducali Camera.

### *De sacramento assessorum & Militum Potestatis Nouariæ.*

ITEM Statutum est quòd assessores & Milites Potestatis prædicti teneantur & debeant prima die introitus sui regiminis iurare ad sancta dei Euangelia de regendo & exercendo eorum officium bona fide, & sine fraude, secũdum formam Statutorum Nouarię, & de ipsa statuta ad eorum officium spectantia seruando prout iacent ad litteram, sub pœna contenta in præcedenti statuto. Et si contingat aliquem potestatem mutare aliquem ex suis officialibus vel militibus durãte officio quòd similiter substitutus teneatur iurare vt supra. Aliàs non admittatur ad officium. Cura autem sit prædicti Sindici fiscalis, sub pœna prædicta.

### *De familia domini Potestatis.*

ITEM Statutum est & ordinatum, quòd Potestas Nouarię teneatur & debeat tenere pro eius familia & officialibus, pro toto tempore sui regiminis Vicarium vnũ, qui sit doctor iuris

ciuilis,qui etiam intelligatur,& sit doctor malleficiorum Militem vnum qui etiam intelli
gatur,& sit Iudex, victualium,pontium,& stratarum , & præsit custodię nocturnę Domicel
los duos,famulos duos a stalla, vnum cochum & vnum subcocum Rigacium vnum, Cācel-
larium vnum,Malleficiorum Idoneum comestabilem vnum cum vno rigacio cum famulis
quindecim & equos quatuor. Hoc addito quòd dictus dominus potestas nullo tempore
posit tenere aliquem officialem:seu aliquem familiarem,seu aliquem barruerium,qui sit
de Ciuitate,burgis,curia districtu, vel diœcesi Nouarię secum directè nec per indirectum
sub pœna librarum quinquaginta imperialium ducali cameræ applicandorum, & perden-
di soldum ipsius talis officialis familiaris seu barruerij:Et quòd tales personę nō reputen
tur nec habeantur in numero officialium barrueriorum seu familiarum ipsius domini po-
testatis seu eius curiæ. Et quòd dominus potestas non admittet aliquem seruitorem qui
vadat ad exercendum officium cum eius milite,qui non fuerit deputatus per præsidentes
negocijs cōmunis Nouariæ, sub pœna prædicta. Et quòd dictus dominus potestas non ad-
mittet aliquem forensem pro eius officiali,Vicario,Milite,Cācellario,commestabili,Bar
ruerio, seu familiari : qui aliàs officialis,Vicarius , Miles , Cancellarius,Commestabilis,
Baruerius,seu familiaris fuerit alterius domini potestatis Nouariæ præteriti proxime,
sub pœna prædicta. Et vlterius talis officialis,vt supra,non reputetur pro officiali. saluo
quòd de Barruerijs fiat ad beneplacitum Illustrissimi domini domini Ducis &c.

## *De salario potestatis.*

ITEM Statuerunt & ordinauerūt quòd dominus potestas Nouariæ,habeat & habere debeat
pro eius salario ab Illustrissimo domino domino nostro:prout per excellentiam suam:seu
per dominos Magistros Intratarum ducalium ordinatum fuerit singulo mense. A cōmuni
tate autem Nouariæ habere & percipere posit libras quinquagintatres,soldos sex,& dena
rios octo imperialium singulo mense,de denarijs cōdemnationum factarum & fiendarum,
tam per ipsum dominum potestatem,quàm per eius antecessores,spectātium Cōmunitati
prædictæ. Et potestas qui contrafecerit,vel aliter recipere solutionem ausus fuerit,incur
rat ipso iure & facto pro qualibet vice pœnam librarum vigintiquinq; imperialium appli
candarum cameræ prælibati Illustrissimi domini domini nostri irremissibiliter,per domi
num Refferendarium Ciuitatis Nouariæ,auferēdarum,sub alia pœna simili præfato domi
no Refferendario;si negligens fuerit in exigendo dictam pœnam nomine ducalis cameræ.
Et vlterius constituentes aliter ipsi domino potestati salarium teneantur ad interesse di-
ctæ Cōmunitati,pro quo interesse quilibet iusdicens in Ciuitate Nouariæ, & quilibet Vi-
carius generalis iusticiam facere posit & debeat:& vlterius prouisio facta quòd solutio sa
larij, fiat aliter quàm vt supra dictum est,sit nulla ipso iure. Et quod notarius scribens ta-
lem prouisionem pro solutione dicti salarij fienda aliter quàm vt supra , incurrat pœnam
librarum decem imperialium, pro qualibet vice applican. & exigen. vt supra , sub pœ-
na dicto domino Refferēdario vt supra. Et quòd dominus potestas nec aliqui de eius fami
lia nullo modo posit se impedire de denarijs cōmunitatis Nouariæ:nisi per manum cane
parij communis Nouariæ sub pœna librarum quinquaginta imperialium applican. vt su-
pra,totiens committenda quotiens contrauentum fuerit : & quilibet contrafaciens sindi-
cetur. Et quòd notarius seu notarij,ad maleficia deputati,processus Maleficiorum scriben
tes nihil habere debeant de procesibus & scripturis quos & quas confecerint in dicto of
ficio:nec pro exemplatura testium,vel processuum,vel actorum aliquorum:nec eorum oc-
casione.Et quòd non posint elligere vel habere aliquem notarium vel scriptorem: vel ali
cui committere ad scribendum vel exemplandnm aliquos processus vel acta: sed parti pe
tenti & Notatio,quem pars ellegerit,processus & acta,dum tamen notarius & scriba sit de
Nouaria,copiam faciant ad exemplandum seu ad scribendum. Et non solùm dominus po-
testas:sed etiam iudex malleficiorum fieri faciat copiam modo quo supra. Et quòd dictus
notarius maleficiorum præsentari faciat,seu pręsentabit,omnes condemnationes came-
rario communis Nouariæ statim & sine mora lectis ipsis condemnationibus , in cartā pro
vt disponitur per statutum communis Nouariæ positum in secundo libro sub Rubrica De
electione caneuarij cameræ cōmunis Nouariæ,sub capitulo vigesimo. Et idem fiat de ban
nis factis: statim cum lecta fuerint. Et hoc sub pœna pręfato domino potestati librarum
quinquaginta imperialium cameræ ducali persoluēda, & totiens committenda, quotiens
con-

contrauentum fuerit. Et quòd dictus notarius seu cancellarius maleficiorum, sub pœna librarum decem imperialium, applican. vt supra, non debeat recipere aliquam denuntiam, seu querelam per aliquam personam, corpus, cõmune, vel collegium, ipsi notario præsentandum: nisi prius portata & demissa fuerit similis copia camerario communis Nouariȩ, seu Sindico fiscali. Et quòd prȩfatus camerarius, seu Syndicus recipere teneatur omnes copias ipsarum querelarum, seu denuntiarum, sine solutione alicuius pecuniȩ, seu mercedis, & ipsas in filza ponere, & postea ipsas consignare Syndicatori, qui venerit ad Syndicandum dictum D. Potestatem & eius familiam, sub pœna librarum vigintiquinque imperialium, per dictum camerarium, seu syndicum soluen. ducali camerȩ, totiens committenda, quotiens contrauentum fuerit. Et pro quibus pœnis agi posit etiam ante Syndicatum coram D. Refferendario ciuitatis Nouariȩ, & Consulibus iustitiȩ Nouariȩ, tam ad instantiam syndici fiscalis, seu communis Nouariȩ, quàm alicuius cuiuscunque personȩ.

## *De salario percipiendo in causis delegatis.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd si contingat casus quòd fiat per Illustriss. D. D. nostrum Ducem Mediolani &c. vel per eius Magistratus fiat aliqua delegatio prȩfato D. Potestati, vel eius Vicario, vel alteri officiali de eius familia, inter personas, communia, vel collegia, iurisdictioni dicti D. Potestatis commissȩ suppositas, seu supposita: & ratione rei sitæ in dicta eius iurisdictione, quòd nihil pro salario exinde percipere posit, nisi esculenta & poculenta; si eum extra ciuitatem proficisci contingat. Si autem delegatio fieret ratione rei sitæ extra suam iurisdictioné, vel inter personas iurisdictionis suæ nõ suppositas. Tunc & eo casu percipere posit salarium pro sententia ferenda, vt quilibet alius de collegio dominorũ iudicũ Ciuitatis Nouariæ percipere posset, & secundum taxã dicti collegij.

## *De vtensilibus præstandis dicto domino Potestati*

ITEM quòd præfatus dominus potestas posit & valeat consequi, & habere, ad vsum tamen, vtensilia necessaria pro coquina tantùm, & etiam tabulas sine fulcimentis, tamen cum tripodibus & bãchis. Item peltrũ pro vsu vnius tabulæ cum incisorijs ligneis, & non vltra, nec alia. Et quòd ipsa talia vtensilia & suppellectilia tempore quo sibi consignabuntur teneatur recipere per Inuentarium fiendum per publicam scripturam, quȩ remaneat penes camerarium, & ipsa omnia & singula, quæ sic habuerit, talia qualia fuerint, in fine sui officij & quæ non fuerint vsu debito consumpta, teneatur & debeat consignare dicto camerario in prȩsentia sindici dictæ communitatis & facere fieri opportunam protestationem, & cõfessionem de restitutione prædictorum, aliàs teneatur ad satisfactionem eorum quæ non consignauerit, & de hoc posit syndicari.

## *De Salario barrueriorum domini Potestatis Nouariæ.*

ITEM Statutum est quòd miles & commestabilis barrueriorum & ipsi barruerij, & etiam quilibet seruitor pro executionibus, & eorum officio fiendis, & exercendo, percipere possint pro eorum salario, seu mercede in exercendo eorum officium, pro vt infra, videlicet, in detinendo aliquem debitorem, vel debitores, tam pro debito priuato, quàm pro debito communis, & pro quo posit detineri posit percipere, si talis executio fiat in palatio pro quolibet detento denarios      pro quolibet eorum. Si fuerit extra palatium & vbiuis per ciuitatem Nouariæ denarios      pro quolibet eorum. Si fuerit in burgo vel suburbio, soldos      pro quolibet. Si fuerit in curia Nouariæ soldos      imperialium pro quolibet. Si fuerit extra curiam habeat pro singulo miliari & pro quolibet eorũ soldos      imperialium & non vltra, & pro dictis metis mercedis & salarij teneantur ad petitionem cuiuslibet habentis licentiam a iudice, & docentis, de illa facere executionem, iuxta formam licentiæ super hoc concessæ, & vltra dictas metas aliquid non possint percipere directè nec per indirectum, sub pœna quadrupli eius quod plus acceperint. Et vlterius si recusauerint pro dicto salario vel mercede eorum officij exercere, ita quòd debitor fugeret in prȩiuditium creditoris, ipsorũ culpa, & negligentia, quòd etiam teneantur ad interesse versus creditorem. Si verò exercuerint officium suum in pignorando quòd possint cõsequi solutiones prædictas pro modo & forma sicut supra dictum est in detinendo, & hoc extra ciuitatem & curiã, & in ciuitate, & curia solũ consequi possint pro pignorando inter eos quotquot fuerint ad faciendum ad executionem soldos      imperialium pro quolibet pignore, & quòd non habeat locum aliqua consuetudo in contrarium hactenus ob-

*De liurationibus faciendis de bonis bannitorum.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd dominus Potestas, seu vnus ex iudicibus suis vel militibus vadat tam per ciuitatem Nouariæ, quàm per districtum ad domos bannitorum & condemnatorum de suprascriptis maleficijs & vbicunque inuenerit seu inuenire poterit bona & res, seu terras, & possessiones bannitorum: & condemnatorum, & ea vendere. Et insuper possit & sibi liceat, & debeat de bonis bannitorum & condemnarorum dare insolutum eorum creditoribus: inter quos vxor debeat connumerari habendo pro liuratione denarios sex pro qualibet libra: qui denarij veniant in communi Nouarię.

*De cartis liurationum faciendis in consilio generali de bonis bannitorum.*

ITEM quòd omnes cartæ liurationum, insolutum dationum, seu venditionum, quæ fierent per ipsum dominum Potestatem, seu iudices, vel milites eius debeant fieri in consilio generali Ciuitatis Nouariæ, & aliter factę non valeant.

*Vt debitores bannitorum soluentes communi Nouariæ sint tuti.*

ITEM quòd omnes homines, & personæ debẽtes dare pecuniã, vel fictũ, vel aliquid aliud alicui bannito, vel condemnato de prędictis maleficijs, vel aliquo prędictorum; qui & quæ cogerentur per dominum potestatem, vel eius iudicem vel militẽ ad solutionem; vel ad dãdum seu soluendum, communi Nouarię, illud quod dare debuerint bannito seu bannitis, sint tuti & liberati, perinde ac si soluissent dicto bannito: & sint pręsentis statuti auctoritate liberati.

*Vt potestas teneatur cedere iura omnibus personis quibus cogerit ad emendum de bonis bannitorum.*

ITEM statutum est quòd præsens Potestas, ac alij qui erunt per tempora, & assessores eorum & quilibet ipsorum teneantur, & debeant, & possint cedere iura communis Nouarię omnibus personis, quæ voluntariè, seu coactè, soluerent, vel soluissent pro aliqua persona, vel communi, vel vniuersitate fodra, banna, vel condemnationes, & alia debitas & debita cõmuni Nouarię, versus illas personas, communia & vniuersitates, & bona eorum pro quibus soluerint, vel soluissent. Et teneantur potestates & assessores eorum, & quilibet ipsorum pręcisè cogere eorum officio illas personas, communia & vniuersitates ad solutionẽ faciẽdam illis, quibus cessa fuerint iura per commune Nouariæ, nulla iuris solemnitate seruata, breuiter, & summatim, sine datione petitionis, seu libelli, statuto quòd loquitur quòd potestas de causis pecuniarijs non se intromittat in aliquo non obstante.

*De exigendis omnibus his quæ banniti, vel condemnati dare tenentur communi Nouariæ, aliqua de causa, & de cogen. eorum fideiussoribus & securitatibus.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd ipse Potestas, seu iudices & milites teneantur, & debeant exigere omnia ea, & singula, quæ banniti, seu condemnati, vel aliquis ipsorum debeant dare communi Nouarię quacunque de causa, & cogere eorum securitates seu fideiussores omnibus remedijs iuris ad soluendum communi Nouariæ omne id in quo sunt obligati pro ipsis bannitis vel condemnatis.

*De exigendis omnibus fodris, bannis, & condemnationibus.*

ITEM quòd per dominum Potestatem, vel per eius vicarium, vel militem, debeant exigi omnia fodra, banna, & condemnationes, & omnia alia debita quę debentur communi Nouarię, sine malo intellectu, vel sophismate. Et si negligentes fuerint vel remissi prædicta facere, & vt supra adimplere, quòd negligens, vt supra, teneatur ad interesse ipsi communi.

*Vt creditores bannitorum & condemnatorum possint consequi solutionem in bonis mobilibus & immobilibus.*

ITEM statutum est quòd creditores bannitorum, & condemnatorum possint consequi solutionem in bonis mobilibus, & immobilibus iuxta extimationem faciendam de dictis bonis per duos bonos viros de dicto loco vbi erunt dicta bona, eligendos vnum pro parte communis Nouariæ, & alium pro parte creditoris, cum sacramento ipsorum.

Et

Et ad dictam extimationem vocetur vnus ex officialibus domini potestatis: qui vadat vel mittat sufficientem personam ad locũ extimationis. Et si dicti extimatores non fuerint in concordia, detur tertius per dictum officialem: & stetur extimationi duorũ ex eis. Et quòd dominus potestas & eius assessores non possint accipere de bonis bannitorum & condemnatorum insolutum, vel facere deuenire in communi Nouarię, vel procedere ad venditionem dictorum bonorum, donec satisfactum fuerit creditoribus prioribus, & præcedentibus dictum commune, qui se presentauerint ad contradictionem dictorum bonorum, & dicta liuratio fieri debeat per dominum potestatem, seu aliquem ex assessoribus suis. Et si facta datione insolutum alicui creditori, postea compareat alter creditor, vel creditores anteriores & potiores eo qui dictam dationem habuerit insolutum, teneatur prædictus creditor, qui rem habuerit insolutum, dimittere pacificè priori, & prioribus creditoribus res habitas insolutum, & non consumptas, sine datione libelli, & iuditiorum strepitu, & figura: salua potioritate inter creditores postea venientes, & talis creditor, qui rem datam insolutum dimittet, regressum habeat super alijs bonis, & sua iura habeat illesa & intacta, sicut si fuisset euictus ordine iudiciario, & solemnitatibus antemissis. Hoc addito quòd si talis creditor preueniens vellet soluere potius creditoribus anterioribus, quàm dimittere rem insolutum hoc facere possit. Et tunc sibi debeant cedi iura per illos creditores, quibus soluet contra debitores & fideiussores eorum, & eorum bona, & creditor qui veniat postea, qui erit anterior debeat soluere expensas solutas per creditorem preuenientem inconsuetudo solutionem prædictam, antequam sibi dimittantur res datæ insolutum.

*Vt Potestas faciat deuenire in communi Nouariæ omnes terras, & possessiones bannitorum, quæ occuparentur per aliquam personam.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliqua persona, corpus, vel collegium, seu vniuersitas Nouarię, vel districtus occupauerint, seu occupassent terram, seu possessionem, vel res mobiles alicuius banniti de prędictis maleficijs, vel aliquo prędictorum seu condemnatorum, quòd Potestas, & eius iudices, & milites teneantur, & debeant facere deuenire ipsas, & possessiones in commune Nouarię.

*De capiendis & detinendis debitoribus communis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd presens Potestas, & quilibet alius potestas, qui fuerit pro temporibus, Et quilibet alius officialis, seu exactor specialiter deputandus ad exactionem fodrorum & talearum imponendarum in communi Nouarię, teneatur, & debeat personaliter capere & capi facere ad totum suum posse quemlibet hominem Nouarię, & iurisdictionis communis Nouarię, qui non soluerint suum fodrum, & quartum, si incurrerint in pœna quarti, & expensarum, & ipsum captum detinere, donec soluerit fodrum, cum quarto, & expensis. Et hoc idem intelligatur in debitoribus communis Nouariæ debentibus communi Nouariæ ex aliqua quacunq; de causa. Et si ipse dominus potestas, aut eius miles, aut exactor, & officialis, deputandus, vtsupra, negligens seu negligentes fuerint exequi, & facere vtsupra continetur, quòd teneatur ad omne interesse, tam versus dictum commune, quàm versus quamlibet personam de dicta communitate cuia interesset, ac versus quamlibet communitatem, vel collegium dictæ iurisdictionis, in cuius damnum negligentia huiusmodi fuisset commissa. Et similiter teneantur ad obseruationem omnium aliorũ statutorum descriptorum in hoc volumine, mentionem facientium de exactionibus fodrorum, talearum, & condemnationum fiendis, & eorum salario, sub pœna predicta, & vnum remedium non impediatur per aliud.

*Contra occupatores & detentores communitatum, bonorum, possessionum, & iurium, vel terræ ciuitatis Nouariæ & districtus.*

ITEM quòd contra occupatores & detentores communitatum, bonorum, possessionum, & iurium, vel terræ curiæ Nouariæ, vel districtus, vel iurisdictionis Nouariæ possit & debeat dominus potestas, vel eius iudices, & familia pręsẽtis, & futuri, inquirere, procedere, cõdẽnare, & punire, & eas facere relaxare, sine strepitu & figura iudicij, summariè cognoscendo sine datione libelli, vel alicuius petitionis, & sine aliqua alia solẽnitate iuris, & sine datione sapientis, non obstante statuto quòd loquitur de sapiente dando, nec statutis loquentibus de ordinationibus causarum, & non obstantibus aliquibus statutis, vel prouisionibus factis, vel fiendis, in contrarium loquentibus.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd potestas qui nunc est, vel pro tempore fuerit, teneatur, & debeat, infra duos menses post introitū sui regiminis, sub debito iuramento, ad petitionem cuiuslibet requirentis elligere quattuor bonos homines & legales de qualibet porta, qui habeant terras possesiones in dicta porta, videlicet, duos deintus, & duos de foris, & imponere sibi per sacramentum, quatenus debeant dare in scriptis dicto domino potestati omnia communia, terras, & possessiones, & iura quæ occupantur, & tenentur occupata, per aliquos homines, vel personas, quibus communibus, terris, possessionibus, & iuribus datis in scriptis dicto domino potestati, ipse dominus potestas omnia ipsa communia, terras, possessiones, & iura faciat apperiri, & facere reduci in communi, & de appertura fieri faciat instrumentum, quod ponatur ad cameram. Et idem dominus potestas ad petitionem & denuntiationem cuiuslibet, vel quorumlibet habentium terras, & possessiones in dicta porta, teneatur inquirere, & apperiri facere omnia communia, vt supra. Et denuntians seu denuntiantes teneantur secreti si eis placuerit. Et per hanc apperturam non fiat prȩiudicium aliquibus volentibus probare de iure suo, quod haberent in dictis terris appertis, & ad cameram positis infra duos menses, de quo iure infra dictum terminum possint probare & ostendere coram dicto domino potestate, & predicta locum habeant, non solùm in communitatibus aperiendis in curia Nouariæ, sed etiam in casinalibus coherentibus dictæ curię, & alibi in quolibet loco, qui locus non regeretur per commune sed per se.

*De sequellis vniuersitatum, & burgorū episcopatus, & districtus Nouariæ facien. domino Potestati, & eorum consulibus, per eos dandis in scriptis.*

ITEM quòd quælibet vniuersitas burgorum, villarum, castrorum, locorum cuiuscunq; status existat, teneatur & debeat facere sequellam domino potestati Nouarię, recipienti pro communi Nouariæ, & ad honorem prælibati Illustriss. D. D. nostri, & habere consulem, vel consules, & eos consignare in principio regiminis, & facere sequellam domino potestati Nouariæ recipienti vt supra. Et quòd teneantur dare in scriptis dicto domino potestati, seu eius iudici, omnes de vniuersitate in dicto loco habitantes, masculos a decemocto annis supra, & de quinquēnio fiat syndicatus, & syndici ipsarum vniuersitatum teneātur facere sequellam dicto domino potestati, & communi Nouariæ, ad honorem prælibati domini, non obstan. quòd homines ibi habitantes fuerint alibi extimati, vel alibi fecerint se extimari: & hoc sub pœna in bāno soldorum centū imperialium pro qualibet vniuersitate, quę non obseruaret præsens statutum, nec possit aliquis de villa, loco, vel casinali esse, nec permaneat extimatus, nisi in illo loco, vel villa, in quo, seu in qua habitat, nec in ciuitate, nec alibi, nisi sit ciuis, vel nobilis, & describi facere dictas sequellas in vno libro quadro, qui fiat, & seruetur penes camerarium, & in eo describantur iuramenta dictarum fidelitatum, & nomina prstæantium dictam fidelitatem.

*De sequimento capitaneorum, & valuasorum.*

CApitaneos, valuasores, & alios milites, qui sunt de iurisdictione Nouarię iurare faciam stare meo mandato: sicut alios ciues Nouariæ, & mandato Illustrissimi D. N. D. Ducis Mediolani &c. ac successorum in ducatu Mediolani succedentium.

*Vt feudatarij & inuestiti per commune, si non soluerint fodra, cadant a feudo.*

ITEM Statutum & ordinatum est quòd si aliquis fuerit inuestitus per commune Nouariæ de aliquibus terris, & possessionibus, & poderijs, & iuribus, & castris, & steterit quòd non soluerit, vel hinc retro stetit quòd non soluisset sua fodra, cum quarto, & expensis, & alijs pœnis statutis per commune Nouariæ, quòd potestas teneatur & debeat ipsi inuestito denuntiare personaliter, seu publicè in arēgo, vt debeat soluisse suprascripta sua fodra infra mensem vnum a die denuntiationis. Et si aliquis prædictorum inuestitorum prædicta non attenderit, vel non obseruauerit, & non soluerit, cadat ipso iure ab ipso feudo & inuestitura, & ipsum feudum & possessionem, & res, & iura inuestita potestas teneatur facere venire in commune, & eas vendere, tamquam res & iura communis Nouariæ.

De

## De sequellis domino Potestati faciendis.

ITEM statutum & ordinatum est quòd communia Burgorum, villarum, & locorũ, & nobiles, & personæ, quę debent facere, seu pręstare securitatem, seu sequellam coram potestate Nouariæ, fiat tamen vna sequella seu securitas cuilibet potestati, semel in anno tamen per mẽses Ianuarij & Februarij. Et potestas non possit inquietare ipsa communia, nobiles, seu personas ad ipsas sequellas, seu securitates præstandas nisi semel vt dictum est. Et quòd lucrum ipsarum securitatum seu sequellarum, sit notariorum cõmunis, & durẽt securitates vsq; ad annum. Et sacramentum sequellę seu fidelitatis, fiat secundum quòd ordinabitur per sapientes, antequam prestetur, dummodo ipsi sapientes non possint aliquid ordinare contra honorem prælibati domini nostri. Hoc addito quòd iurare debeãt, attendere, & obseruare omnia quę consules iustitię Nouariæ iudicent omnibus illis de omnibus hijs quæ ad officium consulum pertinent. Et si cessarent in sequellis facien. de mensibus Ianuarij & Februarij, Quòd dominus potestas teneatur ipsos condemnare ad rationem soldorum viginti pro quolibet soldo, quem soluunt notarijs communis pro ipsa sequella, pro qualibet vice, qua citarentur occasione prędicta. Et nihilominus teneantur ad ipsam sequellam facien. elapsis dictis mensibus Ianuarij & Februarij. Itẽ quòd dominus potestas teneatur citare vel citari facere cõsules omnium dictarum vniuersitatum, burgorum, villarum, seu locorum, ad dictas sequellas faciendas, & ipsas vniuersitates negligentes condemnare, & condemnationes executioni mandare. Et percipiant prędicti notarij communis pro dictis sequellis, prout infra declarabitur, videlicet, a communi Cerredani libras tres & soldos decẽ septem imperialium, a communi Romantini soldos decem octo, a communi Pernate librã vnam & soldos decem, a communi Camerio libras duas & soldos quinque, a communi Cauagliani, & Condemõtis soldos quindecim, a commune Olegij libras tres & soldos quindecim, a commune Blanzaghi libras duas & soldos octo, a commune Galnagi soldos quindecim, a commune Marrani libram vnam & soldos decem septem & denarios sex, a commune Pombiæ libram vnam & soldos decem septem & denarios sex, a commune Varalli libras duas & soldos quinq;, a commune Burgiticinij libram vnam & soldos decemocto denarios sex, a communi Comignagi soldos quindecim, a communi Deuignani soldos duodecim, a communi Morgenghi libras duas & soldos octo, a communi Veruni soldos duodecim, a cõmuni Caltignacæ soldos decemocto, a communi Solonnij soldos decemocto, a communi Mõmi libram vnam & soldos decem, a communi Agnilengi soldos duodecim, a communi Vaurij soldos quindecim, a communi Suni libram vnam soldos duos, a commune Crixiæ libram vnam & soldos decem, a communi Bugonij soldos decemseptem, a commune Agrate soldos nouem, a commune Gategi libram vnam & soldos decem, a communi Burgiagnelli soldos quindecim, A communi Sorisij soldos duodecim, a communi Brigæ soldos septem denarios sex, a cõmuni Vemeniæ & plebatus libras duas soldos quinque, a communi Cerrei & plebatus libram vnam soldos duos denarios sex, a communi Burgimaynerij libras tres & soldos quindecim, a communi Quirij libram vnam sold. decem, a communi Fontaneti libram vnam soldos duos denarios sex, a communi Caualij libras tres soldos octo, a cõmuni Caualieti soldos nouem, a cõmuni Aconiatis soldos nouem, a communi Nibię soldosquindecim, a communi Cisti soldos quindecim, a communi Petrolij soldos duodecim, a communi Brionæ libras tres soldos sex, a cõmuni Farę soldos quindecim, a cõmuni Siciani libram vnam soldos duos denarios sex, a communi Agamij libras quattuor soldos decem, a communi Romagnani libram vnam & soldos decem, a communi Grignaschi soldos decemseptem, a communi Caualirij soldos nouem, a communi Calpignani libras duas soldos sedecim, a communi Silauenghi libras duas soldos quinque, a communi Mandelli libram vnam soldos decem, a communi Landionæ soldos duodecim, a communi Casalegij libram vnam soldos decem, a communi Gargarengi soldos septem denarios sex, a cõmmuni Moxitij librã vnã & sold. duodecim denarios sex, a commune S. Petri soldos quindecim, a Curia superiori Vallis Sicidę, & a Curia inferiori Vallis Sicidę, cum Montibus Vallis Sexij, & Vallis Vzie libras sex, a communi Casselligialis soldos duodecim, a communi Ponzanæ soldos quindecim, a commune Fisserengi librã vnam soldos duodecim denarios sex, a cõmuni Pisnengi soldos duodecim, a cõmune Olfengi sol. decem nouẽ, a cõmune Casalini librã vnã soldos , a cõmuni Granotij soldos nouẽ, a cõmuni Mõticelli soldos sedecim, a cõmuni Guilẽgi soldos duodecim, a commune Garbaniæ soldos nouẽ, a cõmuni Nibiolæ soldos nouem, a commune Vespolati soldos septem denar. sex, a cõmuni Burgi Lauizarij libram

libram vnam soldos decem, a communi Grauaronę soldos duodecim, a communi Tornegi soldos nouem, a communi Terdubiate soldos duodecim, a commune Sozagi soldos septē, denarios sex, a communi Casiioli soldos duodecim, ab aliis verò locis, burgis, seu vniuersitatibus sequellam facientibus, quę superius non continentur percipiant soldos quinq; imperialium pro quolibet, & qualibet vice; & vltra summam limitatam superius nequeat percipere vel habere; Quòd si casus contigeret quòd notarię prędictę peruenirent in communi Nouarię; tunc dicti notarij nequeant percipere vel habere vltra tertiam partem superius descriptam sub pœna banni quadrupli quantitatis perceptę, vltra summam superius limitatam. Et vltra hoc, quod illicitè perceperint restituere teneantur ei a quo perceperint. Et potestas teneatur accipere sacramentum ab eis ante receptionem dictarum sequellarum de obseruatione pręsentis statuti, & de eorum officio fideliter exercendo.

*Vt porta Potestatis stet semper aperta, a Solis ortu, vsq; ad occasum.*

ITEM statutum est quòd porta potestatis, siue hostiolum, stet aperta, seu apertum, & aperta teneantur a solis ortu vsq: ad occasum Solis, ita quod quilibet volens loqui cum potestate, vel cum aliquo ex sua familia possit illuc ire.

*Vt Potestas non habeat consilium cum aliquo, qui non sit de Nouaria, & de collegio Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd potestas, & rectores Nouarię, & consules iustitię Nouarię non possint habere consilium de aliqua re, questione, vel negotio, cum aliquo Iudice, seu Iurisperito qui non sit de iurisdictione, & qui non sit subiectus potestati Nouarię, & communi Nouarię, & qui non sit de collegio dominorum iudicum ciuitatis Nouarię. Et hoc nisi fuerit de voluntate partium, quę voluntas partium nihil operetur: vt per eam possit fieri commissio, vel sapientis assumptio alicui vel de aliquo, qui sit de familia domini potestatis, vel alij non subdito communi Nouarię, qui habeat aliquod officium in ciuitate vel districtu Nouarię. Et si aliter factum fuerit non valeat, nec teneat ipso iure.

*De iustitia interdicenda.*

ITEM statutū est quòd potestas Nouariæ nō possit interdicere iusticias, nec rationes cōsulū iustitiæ Nouarię, sine licentia, & parabola consilij priuati & aliorum adiunctorum, vsque ad numerum quadraginta inter eos, & de numero consiliariorum: & cū licentia & parabola dictorum quadraginta consiliariorum possit ipse potestas interdicere iusticias, & rationes, tam dominorum consulum, quàm ad eius tribunal fiendas per illos, & tot dies, & per tantum tempus, quibus, & quot, & quantum sibi, & eisdem consiliarijs videbitur. Et de ipsa interdictione fiat, & fieri facere teneatur ipse dominus potestas prouisionem, aut instrumentum, & illam & illud mittere, & describi in hoc volumine, cum subscriptione oportuna infra dies octo proximos sub pœna librarum decem imperialium applican. communi Nouariæ, quòdq. pendenti tali interdictione, teneatur etiam ipse D. Potestas ponere ad consilium de ipsis iusticijs redden. & restituendis, vel iterum interdicendis. Et si notarius rogatus de ipsa interdictione foret negligens ipsam in volumine horū statutorū inserere, quòd debeat cogi per ipsum D. Potestatem ad ipsam inserendum, & sit præcisum.

*De custodiendis Instrumentis & rebus communis Nouariæ, & non manifestandis ad damnum communis Nouariæ.*

ITEM Statutum & ordinatum est quòd potestas Nouarię teneatur & debeat bona fide, sine fraude, saluari & gubernari & custodiri facere per Camerarium, ad vtilitatem communis Nouariæ, omnia instrumenta, & omnes res communis Nouariæ, quæ & quas habet vel haberet; & quod nō patiatur nec consentiat alicui ipsas res, seu instrumenta auferri, seu exemplari ad damnum communis Nouarię scienter, nec aliquo tēpore tenorem ipsorum instrumentorum, vel alicuius ipsorum, ad damnum communis Nouariæ manifestare.

De in-

*De instrumentis communis Nouariæ exemplandis, inquirendis, & custodiendis.*

ITEM Statutum est quòd potestas Nouariæ, & eius assessor, & miles teneatur bona fide, sine fraude, custodire, & custodiri facere instrumẽta & priuilegia communis Nouariæ: quæ sunt reposita in camera communis Nouariæ: quæ camera est vbi moratur camerarius communis Nouariæ in scrineo quod est in ipsa camera, quod scrineum habet quatuor clauaturas, & quatuor claues diuersas. Et ipsum scrineum cum ipsis instrumentis, & priuilegijs infrascripto modo & forma custodire, videlicet; quòd non patietur ipsum scrineum & cartas amoueri de ipsa camera. Et quod teneatur & debeat claues ipsius scrinei dare & commendare quattuor hominibus bonæ opinionis, arbitrio potestatis Nouariæ; qui habeant pro suo salario annuatim soldos decem imperialium. Et quòd illi qui habuerint ipsas claues vno anno non possint habere anno sequenti. Et ipsa instrumenta, priuilegia, & claues prædictas pro dicto salario debeant custodire per totum annum vnum, & ipsa Instrumenta legere, vel legi facere, ad voluntatem potestatis Nouariæ, assessorum eius & sex sapientium, vltra clauarios, inter quos sex sint de collegio dominorum Iudicum ciuitatis Nouariæ, & totiens quotiens potestas & assessores eius & alij prædicti voluerint, & potestas seu eius assessores prædictos quatuor homines bonos, facere iurare speciali sacramento quòd bona fide, sine fraude, prædicta facient, & complebunt, & custodient, & seruabunt, & gubernabunt ad voluntatem communis Nouariæ, nec de ipsis fraudem facient, vel fieri permittẽt modo aliquo: nec ea dabunt alicui ad exemplandum vel legendum, vel aliud faciendum, sine licentia potestatis Nouariæ, & consilij generalis Ciuitatis Nouarię. Et omnia alia instrumenta priuilegia quę de cętero peruenient & spectabunt communi Nouarię, facere custodiri, & legi, prędictis forma & modo.

*De libris communis Nouariæ custodiendis. & ponendis in vno scrineo.*

ITEM Statutum est quòd potestas Nouariæ, & eius assessor, & miles teneantur, & debeant omnes libros emptionum, & acquistorum, & priuilegiorum, & concordiarum communis Nouarię, & communi Nouarię pertinentium: qui sunt penes Camerarium communis Nouarię, ponere seu poni facere in vno scrineo; cum duabus clauaturis, & clauibus diuersis. Et ipsum scrineum faciant poni & custodiri cum ipsis libris in Camera Camerarij communis Nouarię Et ipsum scrineum cum ipsis clauibus commendent duobus hominibus bonę opinionis. Et quilibet eorum habeat pro suo salario omni anno soldos quinq; imperialium pro quolibet. Et qui habuerit ipsas claues, vel aliquam ipsarum, in sequenti anno vno, non possit ipsas claues, vel aliquam ipsarum in sequẽti anno habere. Et quòd ipsi duo homines teneantur & debeãt ipsas cartas & priuilegia, quę sunt in ipsis libris & scrineis legere, vel legi facere, bis in anno quemadmodum legerentur alia priuilegia, & cartę communis Nouarię. Et quòd potestas ipse si negligens fuerit prędicta facere, & obseruari facere, seu in aliquo prędictorum contrafecerit, ipso facto cadat in pœnam librarum quinq; imperialium, cameræ communis Nouarię applicandarum. Et quę pœna nullo modo possit remitti.

*De donis, remunerationibus a Rectoribus non faciendis, ac debitis non soluendum & petitionibus non admittendis, & hære communis non expendendo.*

ITEM Statutum & ordinatum est quòd potestas Nouarię non possit de rebus communis facere aliquod donum. Et quod nõ possit petere licentiam ab illis de consilio. Saluo eo quod potestas Nouarię possit remunerare quemlibet, qui fecerit aliquod opus seu seruicium cõmuni Nouarię, vsq; ad soldos quinq; imperialium tantùm. Et hoc si intercesserit specialis & manifesta vtilitas communis Nouarię: Et quòd de hęre communis Nouarię non possit fieri aliquod donum, nec aliquod mutuum, nec aliqua remuneratio operis facti pro communi Nouarię alicui personę nisi hoc modo, videlicet, quòd si aliquis poneretur in officio communis Nouarię, vel in labore communis, vel in laboribus communis, quod potestas communis Nouarię teneatur primo ei salariũ suum decernere & declarare cum voluntate maioris partis consilij, seu credentię, antequam eligatur, vel ponatur in opere, vel labore, vel officio. Saluo quòd in principio istius capituli continetur, & quòd petenti debitum a communi Nouarię, ipsum, si vltra soldos quinq; imperialium fuerit, nõ soluat nec solui faciat, nisi illud debitum sibi publico instrumento vel testibus fuerit liquidum. Et quòd de hære communis Nouariæ non possit expendere, nec expendi facere, vltra

tra soldos quinque imperialium, sine licentia, & auctoritate maioris partis consilij generalis, vel priuati. Et quòd per quindecim dies ante exitum sui regiminis non faciat, nec fieri concedat remunerationes alicuius operis, seruitij, seu offitij, vel donum alicui personę, nec inde licentiam postulet: nec breue siue instrumentum, per quod commune teneatur siue possit conueniri, alicui faciat, nec per dictos quindecim dies ante exitum sui regiminis aliquam petitionem ponat, vel poni permittat aliquo modo ad cõsilium maius vel priuatum. Saluo eo quòd liceat potestati & consilio de voluntate maioris partis consilij circa festum Natiuitatis donare debere cõmunis Nouariæ fratribus minoribus, fratribus prędicatoribus, fratribus heremitanis, & sanctę Marię de Monte Carmelo, & pauperibus caritatis, & fratribus elimosinarium sanctę Mariæ nouæ, & sancti Dionisij, & emitti cum hominibus, qui dicuntur ad iustitias vsque ad illam quãtitatem quæ placuerit & videbitur maiori parti consilij generalis, vel priuati Ciuitatis Nouariæ. Dum tamen dicta quantitas non possit excedere quãtitatem viginti librarum imperialium in dimidio anno. Et saluis remunerationibus, & donis concessis per statutum communis Nouariæ iurisperitis, & consulibus iustitię Nouarię. Et hoc cap. & quilibet alia pars eius sit præcisum, & pręcisa, & non possit relaxari, vel remoueri aliquo modo, qui dici vel excogitari possit. Et si cõtrafactum fuerit non valeat ipso iure.

*De muneribus & donis Iudicibus de collegio Ciuitatis Nouariæ faciendis.*

ITEM statutũ est quòd dona & munera data hactenus iudicibus Nouariæ de cetero eis dẽtur per cõmune Nouariæ, sicut olim dari cõsueuit, videlicet, ad festum Natiuitatis Domini soldos sedecim imperialiũ, & libram vnam piperis pro quolibet iudice, & quolibet anno: & ad pascha Resurrectionis Domini sol. decẽ imperialiũ, pro quolibet iudice, & quolibet anno.

*De inquirendis fraudibus factis contra commune Nouariæ.*

ITEM Satutum & ordinatum est quòd potestas communis Nouariæ cum consilio deputatorum ad consiliũ priuatũ precisè teneatur infra calẽdas Februarij proximè venientis elligere quatuor sapientes, de melioribus, & legalioribus istius Ciuitatis, qui superesse debeant cum Iudice potestatis ad inquirendum & inueniendum omnes fraudes factas contra commune Nouariæ, & in libris communis Nouariæ, per aliquos homines ciuitatis Nouarię, & districtus, & aliunde per totum tempus pręteritum, & ipsas fraudes facere retrahi tali modo quòd si commune Nouariæ fuerit deceptum aliqualiter, quòd ipsa deceptio remoueatur, & retractetur, postquam inuenta, & reperta fuerit per subscriptos iudices & inquisitores. Et si repertum fuerit aliquem, seu aliquos, habuisse, & recipisse indebitè, & iniustè de
bonis & de hęre cõmunis Nouariæ, quòd potestas teneatur infra octo dies, postquam reper
tum fuerit, illud facere venire in commune Nouariæ, in pecunia numerata, in cõmune No-
uarię, cum pœnis, quę cõtinentur in statutis communis Nouariæ, factis contra eos qui rece
perint a commmuni Nouariæ quod habere non debent. Et quòd prędicti inquisitores tene
antur, & debeãt inquirere omnes libros dispendiorum & receptorum communis Nouariæ
preteritorum, vt supra. Et si repertum fuerit alicui personæ fuisse scriptum aliquid inde-
bitè, & iniustè in prędictis libris, quòd illud debeat cassari. Et quòd prędicti inquisitores te
neantur, & debeant inquirere omnes taleas, & omnia fodra exactas & exacta, & facere fieri
rationem omnibus exactoribus ipsarum talearum, & fodrorum cõmunis Nouarię: & omni
bus superstitibus pedagiorum, & omnibus, qui receperint de hære communis Nouarię, po
testas teneatur illud facere deuenire in communi Nouariæ infra octo dies, postquam illud
fuerit notificatum, in pecunia numerata, & similiter inquiratur, & fiat contra omnes super
stites, capitaneos, officiales, qui supradicto tempore exercuerunt officium capitanearię &
superstantariæ, & alia officia in Nouaria, & iurisdictione Nouariæ, & quòd in elligẽdo prę...
dictos quatuor, non elligatur aliquis, qui debeat facere rationem, vel eius frater, filius, ne
que compater. Et potestas teneatur hoc statutum seruari facere, sub pœna librarum decẽ
imperialium, applican. Cameræ communis Nouariæ ipso facto, & iure, & totiens, quoti
ens fuerit denuntiatum, & nullatenus possit remitti.

*Vt nullus percipiat a communi Nouariæ, vel patiatur sibi scribi quod habere non debuerit.*

ITEM Statutum est quòd aliquis de Nouaria, vel iurisdictione Nouarię non percipiat vel exigat a cõmuni Nouariæ vel in libro dispendij Nouariæ faciat scribi aliquid quod habere

# INDEX RUBRICARUM
## STATUTORUM CIVITATIS.
### NOVARIAE.

## RUBRICAE PRIMI LIBRI.


De sacramento Potestatis. fol. 1
De sacramento assessorum,& militum potestatis Nouarię. fol. 1
De familia domini potestatis. fol. 1
De salario potestatis. 2
De salario percipiendo in causis delegatis. 3
De vtensilibus pręstandis dicto domino potestati. 3
De salario barrueriorum domini potestatis. 3
De notario eligendo in defectum syndici. 4
Vt potestas, & assessores, milites,& Notarij eius non exeant districtum ciuitatis Nouarię. 4
Vt potestas non possit secum conducere vxorem. 4
Vt potestas,& eius familia non possint aliquem equum,vel pignus,vel pecuniam in commodatum,vel mutuum accipere. 4
De ciuitate,personis,& rebus Nouariæ, burgis, & iurisdictione Nouarię,saluãdis & gubernã. 4
De iurisdictione cõmunis Nouariæ defenden. 5
De officio iudicis exactoris, & de hijs quę spectant ad eius curiam, & iurisdictionem. 5
De crida super bonis bannitorum inquirendis. 5
De liurationibus faciendis de bonis bannitorum. 6
De cartis liurationum faciendis in consilio generali de bonis bannitorum. 6
Vt debitores bannitorum soluentes communi Nouarię sint tuti. 6
ITEM statutum est quòd Potestas communis Nouarię teneatur expedire & expeditam tenere porticam nouam communis Nouariæ, qui est iuxta ecclesiam & atrium sanctæ Mariæ & banchum facere fieri circumquaque vbi non est iusta murum de vno aside, & habere & tenere trabes inter vnum pilonum & alium vbi non sint. Saluo eo quòd liceat merchatoribus & ferrarijs in diebus merchati habere ibi banchas ad ludendum ad scachos & tabulas tantùm, & ibi ludere ad schachos & tabulas tantùm.

*De tenendis apertis & spaciatis porticibus Ciuitatis Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur & debeat tenere apertos & spaciatos porticus ciuitatis Nouariæ qui dicuntur porticus communis, & martiauulorum & beccari

as & porticus caligariorum,quam alios porticus ciuitatis, ſicut continetur in carta inde facta per Albricum de ſerpetro notarium.

## *De eodem*

ITEM ſtatuerunt & ordinauerunt , quòd liceat cuilibet a capite porticus ſancti Ambroſij vſque ad ſtationem magiſtri Simonis Cazami vendere pannos lanę, lini,& bambatij,& alias res,quę continẽtur ſub appellatione marzauoliæ,vel armorum,& ſpecierum,& ferramentorum, vel alterius metalli : alias autem res nulli vendere liceat & qui contrafecerit puniatur in ſoldos ſexaginta imperialium pro qualibet vice, & hoc ſtatutum nullum præiudicium faciat in iure quod habuit Petrus ſanius in Rizolo,quod eſt prope becharias.

## *De eodem*

ITEM ſtatuerunt & ordinauerunt quòd inter duos pillonos qui ſunt extra palatium verſus paſquarium ſiue merchatum per medium portam palatij,nullus debeat tenere quicquam ad vendendum,nec ſcrineum, nec banchum,nec aliquid tale pro vendendo , ſub pœna ſoldorum decem imperialium pro qualibet vice, ſoluendorum communi Nouariæ, & dominus poteſtas teneatur inquirere,& idem intelligatur a dictis pillonis vſque ad plateã militum directè,niſi aliter prouiſum vel conceſſum fuerit per conſilium priuatum.

## *De tenendo broreto communis Nouariæ expedito.*

ITEM ſtatutum eſt & ordinatũ quòd aliquis tabellio,ſiue notarius,ſiue ſalarius , vel aliqua alia perſona Nouariæ,quęcunque ſit,non poſsit,nec debeat vllo modo tenere nec habere aliquod ſcrineum , nec archonum, vel archibanchum, vel brellam, vel banchetam, vel ſedem aliquam,vel aliud edificium,vel gubernaculum in aliqua parte broreti ,vel ambitus, vel ſubtus ſalariam, vel ſubtus palatium communis Nouarię,vel in aliqua parte broreti, vel ambitus,vel ſubtuspalatium,ab vna parte palatij ad aliam,vel circumquaque in aliqua parte. Saluis & reſeruatis archibanchis, ſeu rizoletis,& brellis,& ſcanellis modo in ſutis , & adiunctis, ſiue coniunctis, ſiue cainatis, & apedratis ad collegium dominorum iudicum: qui & quæ haberi & teneri poſsint , & ſaluis archonis extimatorum, & notariorum,& conſulum iuſticię Nouariæ , qui ibi poſsint haberi,& teneri; & ſaluis archibanchis in arangatione vſque ad banchum cuniculi ſtremariæ,vt ſuperius dictum eſt:& qui contrafecerit cõponat pro banno qualibet vice communi Nouarię ſoldos viginti imperialium. Et nichilo minus quælibet prędicta amouere & ſpatiare teneantur. Saluo quòd liceat cuilibet notario facere ad ſui expenſas , & tenere & habere per circumquaque teſtam broreti inter duos pillonos deuerſus ſero, a bancha extimatorum, vſque ad pillonum,quòd eſt per medium portę broreti,qua itur ad eccleſiam ſãctæ Mariæ de verſus mane,& ſecundo pillono quod eſt iuxta portam cameræ vſque ad murum palatij,& per iuxta murum ab ipſa parte, & poſsit ea facere duplicata per prædictas partes ſuperius exceptatas , & medietas banni ſit communis,& alia accuſatoris:& ſaluis archibanchis circumquaque palatium, & ſaluis ſchrineis,archibanchis,qui ſunt appoſiti,& qui tangunt pillonos, qui ſunt ſubtus palatiũ & ſaluo archibancho,qui eſt retro portam palatij a latere deuerſus montem;qui remoueri non poſsit & ſit pręciſum.

## *De his quæ prohibita ſunt vendi in broreto communis Nouariæ.*

ITEM Statutum eſt quòd in broreto communis Nouarię , nec in porticibus broreti , nec a porta broreti vſq; vltra tectum porticus pannorum vendantur nec teneantur ad vendendum mugioli,paraphides,banche,nec archoni, ſub pœna ſoldorũ decem imperialium pro quolibet,& qualibet vice. Et accuſator pullorum,& quęlibet alia perſona bonæ opinionis poſsit accuſare. Et poteſtas teneatur de prędictis condemnare, medietas quarum condemnationum ſit accuſatoris,& alia communis Nouariæ. Et quòd nullus audeat vel preſumat quocunq; tempore, ſiue ſit dies mercati,ſiue non,aliquid vendere,vel emere,nec bladum , nec aliquid aliud ad vendendum ibi teneat in prædicto broreto , hoc eſt ab vna parte porta palatij broreti,vſq; ad aliam portam dicti broreti per medium ipſius broreti,& hoc inter duos pilonos. Ita quòd libera ſit via omnibus euntibus & tranſeuntibus per ipſum broretum & qui contrafecerit condemnetur in ſoldis decem imperialium pro quolibet,& qualibet vice. Et quilibet poſsit accuſare,& idem ſit de porta palatij,quę eſt deuerſus meridiẽ eundo directè verſus plateam militum.

*Vt domus communis Nouariæ semper remaneat in communi Nouariæ.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd domus quę fuit & est communis Nouarię, & quę empta fuit per commune Nouarię a domino Galuaneo Torniello. In qua modo tenetur hospitium, & domus ibi contigua, in qua tenetur carceres: & duæ apotecæ nouiter factę in hedificio palatij apperientes in strata, quę est deuersus montem palatij, quæ aliàs tenebantur ad alium vsum potestatis, & alia quę est a latere portæ versus sero, remaneant, & semper remanere debeant, in communi Nouarię de cetero. Et quòd ipse domus & stationes aliquo modo, vel casu, vel causa, qui dici vel excogitari possint: non possint vendi, vel obligari, vel aliquo titulo, vel modo alienari, nec etiam in emphiteosim dari, vel concedi. Sed quòd dicta domus ab hospitio signi piscis, & dictæ stationes debeant temporaliter affictari plus offerenti, & poni ad incantum ad ipsas affictandum temporaliter tantùm. Ita quòd dicta affictatio non excedat nouennium. Et reliqua domus contigua dictę domui ab hospitio, in qua sunt, & fiunt carceres, remaneat ad ipsum vsum, prout est destinata. Et quòd quæcunque alienatio & quęcunque instrumenta aliter, & contra formam huius statuti facta, non valeant nec teneant ipso facto & iure. Insuper quòd nullus officialis audeat loqui, nec suo posse patiatur aliqualiter loqui in contrarium huius statuti, nec etiam aliquis alius sub pœna & banno cuicunque loquenti & procuranti aliquo modo in contrariũ pręsentis statuti, librarum quinquaginta imperialium, ipso facto & iure applican. communi Nouariæ, quæ nullatenus possit remitti, & si contrafaciens non haberet ad soluendum pœnam pecuniariam prædictam, quòd luat in corpore stando carceratus per menses sex.

*Vt plaustra non intrent broretum.*

ITEM statutum est quòd plaustrum non intret broretum communis Nouariæ, nisi in diebus iouis & in diebus nondinarum, exceptis illis plaustris, quæ veniunt pro communi Nouarię cum blaua quando blaua imponitur pro commune Nouariæ per tempora. Et saluis plaustris ducentibus, blauam ad vendendum & sal, & saluis plaustris perinde transeuntibus, & nullam moram facientibus, qui per inde transire possint & duci & saluis omnibus plaustris ducentibus mercantiam: & saluis venditionibus, & contractibus factis per commune Nouariæ.

*De pontibus portarum & pusternarum & stratarum ciuitatis Nouariæ aptãdis.*

ITEM quòd pontes portarum & pusternarum & stratarum ciuitatis Nouariæ aptẽtur, & prędicta teneatur potestas inquirere, vel inquiri facere infra mensem a tempore introitus sui regiminis, citius quã comodè etiã poterit, expẽsis cõmunis Nouarię tamen & nõ alterius.

*De clauibus portarum & pusternarum.*

ITEM statutum est quòd quatuor calaues ad minus sint in qualibet porta & pusterna ciuitatis Nouariæ. De quibus clauibus potestas teneat in se duas claues de qualibet porta & pusterna: & aliæ duæ claues cuiuslibet portæ, & pusternæ dẽtur per potestatem Nouariæ de voluntate consilij generalis duobus hominibus ciuitatis Nouarię qui sint illius portæ & pusternæ, & habeant pro quolibet pro suo salario ad tres menses soldos decẽ imperialiũ, & nõ sit officiũ. Et de clauibus disponatur prout placebit prelibato Illustrissimo D. Nostro.

*De clauibus fractarum.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd in qualibet fracta suburbiorum ciuitatis Nouariæ sint & esse debeant duę claues ad minus, & illę duæ claues dentur per potestatem & consilium generale ciuitatis Nouariæ illis quibus placuerit ipsi domino potestati, & illis de dicto consilio, & habeant & habere debeant illi quibus datæ fuerint ipsę claues vt supra pro suo salario a communi Nouarię soldos quinque imperialium pro quolibet pro tribus mẽsibus, & non sit officium, salua tamen voluntate prelibati domini, vt supra.

*De fortilitijs non faciendis in episcopatu.*

ITEM statutum est quòd aliqua fortilicia fieri non possint in episcopatu, & districtu Nouarię, sine licentia potestatis Nouarię, & duarum partium consilij generalis ciuitatis Nouarię, cridati per duos dies ante dictum consilium. Et qui contrafecerit det & soluet cõmuni Nouarię pro banno libras centum imperialium pro qualibet vice, & quilibet possit accusare

sare, medietas cuius accusationis sit accusantis,& alia communis Nouariæ. Et potestas de hoc habeat cognitionem. Et habeat locũ istud statutũ in casibus futuris. In castris verò siue fortilitijs factis hinc retro, vel modo inceptis, non vendicet sibi locũ in aliquo pœna istius statuti, vel similiũ, nec cõprehensa in hoc statuto, salua voluntate prælibati domini.

*De vijs communis intra ciuitatem, & suburbia inquirendis, & nõ impediẽdis*

ITEM statutum est quòd Potestas teneatur infra octo dies ex quo intrauerit regimen suum facere denuntiari publicè voce præconia vel per ciuitatem, vel in concione, si quis impediuerit aliquid super commune in Nouaria vel suburbijs coherentibus ciuitati quòd debeat id quod habet super commune remouere infra certum tempus a potestate datum. Et si non remouerit infra ipsum terminum a potestate datum, quòd teneatur potestas auferre pro banno soldos decem imperialium pro qualibet vice. Et teneatur potestas per se, vel iudicem, vel militem, hoc inquirere quolibet mense. Et hoc locum non habeat de archonis tabellionum, qui ponuntur in palatio. Et omnes illi qui ostenderunt vel ostenderint per cartam habuisse datum a communi Nouariæ amplius non molestentur, seu inquietentur per commune Nouariæ.

*De muris, fossatis, & palanchatis ciuitatis & burgorum Nouariæ manutenendis, reficiendis, & defendendis.*

ITEM statutum est quòd dominus potestas qui nunc est, vel tempora fuerit, teneatur infra duos menses post introitum sui regiminis, inquirere & inquiri facere per seipsum vel colleterales suos, cũ duobus ciuibus per ipsũ elligẽdis, muros, fossata, & palãchata, & aliã fortilicia ciuitatis, & burgorũ Nouariæ, & ipsa manutenere & refici facere si necesse fuerit.

*Ut liceat merchatoribus tenere assides sub porticu communis.*

ITEM statutum quòd liceat merchatoribus tenere asides sub porticu communis loco storarum, videlicet sub grondana vbi consueuerunt tenere storas, ita quòd asides sint alte à terra per brachia tria, & dimidium. Eo saluo quòd asides non habeantur nec teneantur ad grondanam, quæ est ante portam broreti de versus meridiem inter duos pillonos, & quòd non possint tenere aliquas telas in oppositum aeris seu lucis dicti porticus, sub pœna soldorum decem imperialium pro qualibet vice, & quolibet ipsorum, cuius pœnæ medietas sit accusatoris, & alia medietas sit communis Nouariæ.

*Ut murus Ciuitatis Nouariæ remaneat sine aliqua fenestra, vel ruptura, & de strata quæ est prope dictum murum.*

Muro di fortificaz.ne della Città di Novara

ITEM statutum est quòd murus ciuitatis Nouariæ a porta sanctę Mariæ circumquaque, eũdo versus mane, & circumeundo deuersus montem, & deuersus sero, vsque ad castrum, remaneat sine aliqua fenestra, vel ruptura, sicut nunc est. Et si aliqua fenestra vel ruptura ibi inueniatur in dicto muro, vel est, vel aliquo tempore fuerit, debeat ipsa ruptura, & fenestra aptari & stopari de bonis lapidibus, & calcina, & stopata teneri expẽsis communis, & in partibus in quibus murus indiget refectione vel reparatione debeat refici & reparari expensis dicti communis. Et strata quæ est prope prædictum murum intus ciuitatem circumquaq; ipsum murum debeat remanere & teneri ampla adminus per brachia,

It a quòd ipsa via non possit per aliquem impediri, vel appropriari, vel in ea aliqua clausura de spinis, vineineis, lignis, vel lapidibus, vel aliqua alia re fieri, nec aliquod impedimẽtum, vel fouea, vel ortum, vel aliquod aliud fieri, per quod impediatur andamentum dictę viæ. Et quilibet potestas teneatur singulis tribus mensibus saltem semel circuire per se, vel aliquẽ de sua familia, cũ duobus ex bonis viris ciuitatis Nouariæ prędictã viã, & prędictos muros, tam intus quam extra, ad videndum prędicta & ad obuiandum ne fiat contra prędicta Et quòd potestas negligendo inquirere, & circuire, ac adimplere pro sua parte cadat in pœnam ipso facto & iure librarum vigintiquinq; imperialium, applican. cameræ ducali, totiens quotiens contrafecerit, vel omiserit vltra pœnam contentam in decretis. Reliquę verò personę contrafacientes cadant in pœnam librarum vigintiquinq; imperialiũ pro quolibet & qualibet vice, applican. pro medietate accusatori & pro alia medietate cameræ communis Nouarię, vltra pœnas contentas in decretis. Item quòd nullus cuiuscunque gradus &c. audeat portare immondiciam, nec aliquod terrenum, nec aliquam fangam, nec aliquid aliud quod habeat impedire andamentum dictę stratæ. Et qui contrafecerit cõ

ponat

ponat pro banno soldos viginti imperialium pro quolibet & qualibet vice, cuius pœne medietas applicetur communi Nouarię, & alia medietas accusatori. Et quòd dicta strata sit publica, & semper remaneat in communi, & semper pro strata publica habeatur.

*Vt ad exercitum intersit vnus ex militibus Potestatis.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd quotienscunq; milites Nouarię missi fuerint, seu mitterentur per commune Nouariæ extra Ciuitatem Nouarię, vel extra districtum, quòd potestas teneatur cum prædictis militibus mittere vnum ex suis militibus seu ex Iudicibus ad prædictam expeditionem suis proprijs expensis. Qui miles vel iudex debeat, donec redierit cum eisdem militibus commorari. Et idem intelligatur si populus aut pars populi ciuitatis Nouarię missi fuerint ad exercitum seu andatam.

*Vt qui contionatus fuerit de andata ad ipsam ire personaliter teneatur.*

ITEM statutum est quòd si aliquis de Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ, temporibus, quibus equi non possent, impositi per commune Nouariæ, concionatus fuerit in consilio publico vel priuato, quòd debeat equitari pro communi Nouariæ, seu militia Nouariæ, vel populo, quòd ille qui sic concionatus fuerit, teneatur & debeat personaliter, vel per sufficientem excusatorem ad ipsam andatam, caualcatam, seu stremitam, & exercitum equitare, seu ire. Et si contrafecerit soluat bannum communi Nouariæ pro qualibet vice soldos centum imperialium.

*Vt ciues si excusationem dederint ad caualcatam, vel exercitum ire extra districtum Nouariæ, non cogãtur, & vt scutifer excusare non possit.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona ciuitatis & burgorum coherentium ciuitati Nouariæ, non possit cogi ad aliquem exercitum seu caualcatam ire extra districtum ciuitatis Nouariæ, dum tamen det excusationem pro eo, qui tamen sit idoneus. Salua semper voluntare prælibati Illustriss. domini nostri.

*De restitutione equorum, armaturarum, & aliarum rerum.*

QVICVNQVE in exercitu communi, siue in expeditione, vel ad soldos pro cõmuni in exercitu, vel caualcata, eques cum equis pugnando, vel hostes prosequendo, vel fugando, vel etiam fugiendo, vel alio modo, siue sua culpa, vel dolo, postquam mouerit ad eundum ad dictum exercitum, vel andatã amiserit illorum quorum prout hic inferius continetur, restitutioné a communi Nouarię consequatur, militi seu personæ qui equum amiserit fiat restitutio de illo equo in illa quãtitate in qua extimatus fuerit ille equus per extimatores ad hoc per potestatem & consilium quindecim sapientium electos, qui extimatores debeant esse octo, & qui extimatores debeant iurare in consilio publico, quòd ipsos extimabunt bona fide secundum valimentum eorum, & hoc habeat locum in ciuibus Nouariæ.

*De eodem.*

HOC idem dictum est de omnibus rebus, indumentis, armaturis, sine culpa amittentis in conflictu belli, & alibi postquam motus fuerit ad eundum in exercitum, vel andatam, scilicet, quòd fiat, & fieri debeat amittentibus restitutio de prędictis, in illa quantitate, quam probauerint legitimè dictas res amissas valuisse tempore amisionis, demum si contingeret aliquem in aciem vel in ordinem pugnandi constitutum sine mandato potestatis, vel etiam sine mandato eorum, qui preordinati fuerint ad hostes declinare, quicquid passus fuerit ipsum damnum sibi ipsi imputetur, & amissa sine restitutione iaceãt, nec propter hoc banni impositi pœna excusetur: & prędictarum rerum restitutio tantùm intelligatur debere fieri, cùm aliquis ex mandato potestatis, vel eius iudicis, vel militis se ad pugnã presentauerit, vel fugãdo, persequẽdo, seu etiã fugiendo res vt determinatũ est amittere contigerit.

*De restitutione rerum commodatarum ad adducendum ad exercitum commodatori facien. vt omnia lucra veniant in communi.*

ITEM non liceat alicui personæ eunti in exercitum, vel aliquam expeditionem res alienas ab aliquo de iurisdictione Nouarię in commodatum acceptas, si aliquo casu amiserit di-

cendo se ad restitutionem rerum amissarum aliquo legis auxilio, vel consuetudine, seu iure introducto, teneri, sed ad hoc in omnibus & per omnia ad rerum amissarum restitutionem teneatur, & omnia lucra veniant in communi.

*Quòd lucra facta in exercitu veniant in communi.*

ITEM quòd quicunque in exercitu communis, vel in expeditione, vel ad soldos pro communi in exercitu, vel andata cum hostibus pugnando, vel hostes persequendo, vel fugando, seu fugiendo, aliquid lucratus fuerit, illud lucrum veniat in communi illorum qui erunt in caualcata, vel comitiua & ad butinum ponatur. Saluo quod si caperetur aliquis bannitus communis Nouariæ de maleficio, de quo personaliter puniri deberet, quòd talis bannitus detur communi Nouarię, salua tamen semper voluntate Illustriss. Domini.

*De præsonerijs scontrandis.*

ITEM statutum est quòd potestas teneatur scontrare, vel scontrari facere omnes præsonerios, qui fuerint per tempora in fortia communis Nouarię, pro illis presonerijs Nouarię & iurisdictionis, qui detinerentur in carceribus ab inimicis communis Nouariæ, per illos modos qui placuerint maiori parti credentiæ. Et potestas in consilio ponere de carcerarijs, si qui fuerint in fortia communis Nouariæ scontrandis pro illis carceratis Nouarię & iurisdictionis, qui detinerentur in carceribus ab inimicis communis Nouariæ. Et regere se ad voluntatem illorum de consilio, ita tamen quòd non fiat aliquod scontrum quoquo modo sine speciali licentia prelibati Illustriss. Domini nostri, vt supra.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd nullus carceratus communis Nouariæ, qui nunc sit, vel pro temporibus fuerit in fortia communis Nouariæ, possit scontrari, vel dari in scontro pro aliquo non subdito communis Nouarię, & quòd non possit aliquis carceratus communis Nouarię, qui nunc sit, vel pro temporibus fuerit, donari vel concedi, vel de eo gratia fieri alicui non subdito communi Nouariæ, & potestas communis Nouarię, vel eius familia non possit de hoc petere consiliũ priuatũ, vel generale, non obstante aliquo statuto in contrarium loquente. Et nõ obstante statuto, quod loquitur quòd potestas teneatur ponere ad consilium ea quæ sibi denuntiarentur per antianos, seu sapientes. Et potestas qui contrafecerit & in cuius regimine hoc fieret, componat pro banno de suo salario libras vigintiquinque imperialium pro qualibet vice. Salua voluntate prelibati Domini nostri.

*Qualiter liceat Potestati eunti in exercitum ducere tubatores & seruitores.*

ITEM statutum est quòd liceat potestati Nouariæ, quando ire voluerit in exercitum, vel andatam, in districtu Nouariæ, vel extra; ducere de tubatoribus, vel seruitoribus communis Nouariæ, vt ordinabitur per sapientes. Et quilibet tubator habeat vltra salarium soldos tres, & seruitor imperiales decemocto pro quolibet & qualibet die: & tantum plus quãtum ordinabitur per consilium, saluo quod si excusarent aliquem seruientem, seu aliũ, qui ire debuisset ad ipsum exercitum; vel andatam, quòd ille qui excusabit, dictum soldum non habeat.

*De salarijs tubatorum & eorum officio.*

ITEM statutum est quòd potestates, qui erunt per tempora in ciuitate Nouariæ, teneantur fieri facere solutionem de here communis Nouariæ, vel aliter, iuxta consuetudinem, duobus tubatoribus communis Nouariæ de eorum salario quolibet mense ad rationem soldorum duorum imperialium pro quolibet & qualibet die. Et teneantur dicti tubatores, aut vnus ex eis conuocare consilium sono tubæ, & continuo residentiam facere ad hostium consilij per tantum tempus quantum sapientes steterint in consilio. Et teneantur vocare rationatores, & alios, quos sibi impositum fuerit per dictos sapientes, sub pœna soldorum trium imperialium pro qualibet vice retinendorum de salario suo. Et quòd debeant facere officium eorum pertinens ad commune Nouariæ pro dicto salario, sine aliqua aliа datione pecuniæ, saluo quod habere possint & debeant pro qualibet crida funeris subditi soldos quatuor imperialium, & pro crida eleemosinarum soldis quinque imperialium, &

pro

pro qualibet crida renuntiationis hereditatis soldos duos imperialium pro quolibet, & pro qualibet emancipatione, etiam si plures emancipantur in vno instrumento, soldos duos imperialium, & pro crida venditionum denarios sex imperialium; & dictas cridas facere teneantur pro dictis salarijs, tam in ciuitate, quam in suburbijs per loca consueta, secundum exigentiam cridarum.

### *De vestibus fiendis tubatoribus.*

ITEM statutum est quòd potestates qui per tempora erunt in ciuitate Nouariæ, teneantur in principio introitus sui regiminis dare duobus tubatoribus communis Nouarię, duas vestes sufficientes fornitas seu fodratas pelle, & mantellum similiter, videlicet, vnam vestem infodratam de pelle, & mantellum vnum & capucium vnum pro quolibet eorum, & pro quolibet anno. Saluo si officiũ potestatis nõ duraret nisi sex mẽ sibus, quòd dictæ vestes fiant semel tantùm in principio officij, sub pœna ipsi domino potestati de eius salario librarum sexaginta imperialium, quæ retineantur per caneparium communis, vel alium deputatum ad soluendum salarium domini potestatis, de quo salario retento, vt supra, fiant dictę vestes, & hoc de denarijs salarij primi mensis.

### *De vestibus dandis per dominum Potestatem personis nominandis per sapientes communis Nouariæ.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd potestas Nouariæ, & potestates omnes venturi, teneantur & debeant dare vnam robbam completam de suis robbis illi personę quam nominauerint sapientes communis Nouarię.

### *De laudibus & contracambijs.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur infra mensem vnum, postquàm ab eo requisitum fuerit, dare & conducere laudem & contracambium omnibus hominibus Nouariæ & iurisdictionis soluentibus fodrum communis Nouariæ, contra communia & homines & speciales personas aliarum ciuitatum & locorum alterius iurisdictionis, capiendi, detinendi, & habeudi in Nouaria & districtu Nouariæ tantùm de rebus & bonis illorum hominum & personarum, qui vel quę essent de ipsis ciuitatibus & earum districtibus & locis alterius iurisdictionis, contra quę peterentur dari ipsa cõtracambia, vsque ad plenam satisfactionem totius heris & quantitatis heris, & omnium terrarum, decimarum, godimentorum, rerum, & fructuum, quę ipsi ostenderint debere habere, vel sibi detineri, vel ad se pertinere, vel alio modo sibi fuisse ablatum, vel detentum per cartam, vel per testes, vel per alia legitima iudicia, vel etiam per concessiones & laudes sibi datas. Et hoc denuntiationibus primo factis, siue per commune Nouariæ, vel per potestatem, vel eius vicarium, vel per illum, qui petierit sibi dari contracambium communitatibus aliarum ciuitatum & locorum, contra quę petuntur dari contracambia, seu rectori, vel rectoribus, seu consuli, vel consulibus earum quòd debeant infra quindecim dies restitutionem facere, vel fieri facere illis hominibus iurisdictionis Nouariæ, qui peterent ipsa contracambia de eo, de quo peterent ipsa contracambia sibi dari. Et omnia alia contracambia & laudes olim data hominibus Nouarię, & iurisdictionis sint firma, & rata. Et illi quibus data sint, vel de nouo data fuerint possint, & eis liceat ipsis vti auctoritate communis Nouariæ impunè, & dentur dicta contracambia in consilio generali in here & personis, & dictum statutum locum habeat in habitantibus cum familia in Nouaria, vel districtu, salua voluntate prælibati Domini nostri.

### *De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum, quòd si aliquis de iurisdictione Nouarię, habens terras & possessiones extra iurisdictionem Nouariæ, petat quòd sibi fiat iustitia per rectorem & commune, in cuius territorio habuerit terras & possessiones, & dicti rectores recusauerint conquerenti facere iustitiam summariam, de cõsilio duorum sapientium communiter elligendorum de ciuitate Nouarię, vel Mediolani, quòd tunc potestas Nouariæ teneatur, ad petitionem eius, seu conquerẽtis, mittere litteras ad prędictos rectores & commune, assignando terminum quindecim dierum a præsentatione litterarũ, infra quos predicto modo iustitiã faciãt ciui suo, quod si nõ fecerint, possint elapsis dictis quindecim diebus prædictis ciuibus facere saxiri, & sequestrari de omnibus rebus & bonis pertinentibus ad dic-

tos rectores commune & homines ipsius terræ, vel loci qui iustitiam facere neglexerint, & saxita & sequestrata tenere vsque quo cognitum fuerit prędicto modo, & pronuntiatum satisfieri debere prędicto ciui nostro, & sibi fuerit plenariè satisfactum. Et habeat hoc locũ etiam ratione damnorum hinc retro datorum dicto ciui nostro, & in futurum dandorum.

*De curia Burgi Lauezarij, & quorundam aliorum locorum terminanda.*

ITEM statutum est quòd potestas, seu rector Nouariæ, teneatur præcisè determinare, vel determinari facere infra tres menses, post introitum sui regiminis, per bonos terminos apparentes curiam burgi Lauizarij a curijs Nicorui, & Albonesij, & Cilauegnę, & curiam Grauualone a curijs Vigleuani, & Cilauegnę, & fines Vighietij finire a finibus Canobij, & curia Burgi Lauizarij, a curia Nicorui, & Albonesij per bona fossata, & ad expensas Burgi Lauizarij, faciendo, & diffinitas, & terminatas defendere & manutenere. Et si potestas, vel rector contrafecerit amittat, & perdat de suo salario libras quinquaginta imperialium pro qualibet vice, & perueniant ipso iure in communi Nouariæ.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd dominus potestas, qui per tempora fuerit, teneatur inquirere diligenter confinia territorij, & districtus Nouariæ, attestantis cũ territorio alterius iurisdictionis. Et determinare territoriũ nr̃um a territorio alieno, & facere operam cũ effectu, & quicquid de nostro territorio vsurpatũ teneare deueniat, & recuperetur in territoriũ nr̃um & teneatur hoc facere sub pœna sacramẽti, & librarũ quinquag. imperialiũ de suo salario.

*De curijs locorum terminandis, & vt in sua curia liceat pignorare.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur discernere, & determinare, & discerni, & determinari facere per bonos terminos apparentes omnes curias locorum, & villarum, & burgorum iurisdictionis Nouarię, si ei ab aliquo fuerit denuntiatum vel requisitum, vel per aliquem dominorum. Et hoc ad expensas villarum & burgorum. Et liceat cuiq; de illa curia pignorare homines aliarũ villarum, in sua curia pasculantium, & damnum facientes.

*De curia Terchati terminanda a curijs circumstantibus.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur terminare, & terminari facere per bonos terminos apparentes infra duos menses proximos post introitum sui regiminis curiã Terchati a curia Gradesij, Pernati, Romantini, Cerredani, Sozagij, Giulengi, & aliorum locorum iurisdictionis Nouariæ confinãtium. Et ipsis curijs determinatis teneatur potestas modis omnibus quibus poterit prohibere, & tensare ne homines & personę Terchati per se vel per eorum bestias vtentur in curijs districtus Nouarię, & nominatim in curia Gradesij.

*De non habendo habitaculum prope Cerreum.*

ITEM teneatur potestas quòd nõ permittat aliquod habitaculum prope burgum Cerrei infra duo miliaria præter in Mergotio & præter quàm in Graualona a strona versus meridiẽ & sit præcisum.

*De tenendo distructum Blandrate, & omnes domos quæ sunt intra fossatum.*

ITEM Blandrate tenebo distructum, & omnes domos quæ sunt intra fossatum veteris loci destrui facciam, præter ecclesiam, & domos, in quibus habitant clerici. Et hospitalia, & terris molandini, & destruam, & destrui faciã omnem fortilitiam, quę a modo fiet in domibus quas habitant clerici intra fossata loci veteris Blandrate, & in ecclesijs, hospitalibus, & in terris molandini, siue alibi intra fossata, salua tamen voluntate prelibati domini. Et etiam saluo quòd non liget per aliquod vinculum iuramenti.

*De eodem.*

BIS in anno ego potestas Nouariæ per me, & cum ambasiatoribus, quos mecum conducere voluero, circuibo castrum, siue locum Blandrati, & si intra fossata Blandrati domum vel domos edificatas inuenero, destruam, & destrui facciam infra viginti dies sequentes, & qui iuerit ad habitãdũ ad aliquẽ locũ circa Blãdratũ destructũ, auferã ei pro bãno libras decẽ imperialiũ, & insuper ponã eos in banno, salua tamẽ volũtate prælibati dñi vt supra.

*De eodem.*

TENEATVR potestas manutenere, defendere,& guarentare possessiones hominum Nouariç,& iurisditionis Nouariæ,quas habent in Blandrate,vel habuerint,seu in circumstantibus locis; si occasione quòd ibi de prædictis possessionibus iustitia sub consulibus, vel potestate illius loci, facere noluerint, impedirentur, vel alio modo irationabiliter.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd potestates, qui erunt per tempora in ciuitate Nouariæ,teneantur & debeant omni anno infra tres menses, post introitum sui regiminis,ponere in consilio de inquirendis, terminandis, & defendendis omnibus terris, & possessionibus ,& hominibus,& iuribus quæ commune Nouariç habet,& habere debet in Blandrato,& eius territorijs, & de prędictis facere secundum quòd maiori parti consilij placuerit.

*Quòd Potestas teneatur facere destrui domos & murum Burgi Franchi.*

ITEM statutum est quòd potestas venturus teneatur, & debeat infra Calendas Aprilis proximè venientis ire vel mittere ad Burgum Sexij,seu ad Burgum Franchũ,& destruere funditus omnes domos quę sunt in dicto burgo,& splanare totum murum circumquaque dicti burgi,& similiter fossata dicti burgi,ita quòd dictus burgus nũquam possit habitari. Et quilibet potestas, & quilibet rector communis Nouarię teneatur & debeat ipsum burgum tenere destructum & splanatum semper imperpetuum,salua tamen voluntate prelibati Illustrisimi Domini, vt supra, & præsens statutum non liget ad iuramentum.

*Vt comites de Blandrate non vadant in vallem Sicidam.*

ITEM statutum est quòd nullus de Comitibus de Blandrate legitimus, vel naturalis,vadat, vel presumat aliquo modo, absq; licentia consilij & potestatis Nouariæ,ire in Vallem Sicidam. Et qui contrafecerit ex ipsis comitibus soluat bannum communi Nouariæ pro qualibet vice pro quolibet,libras decem imperialium.

*De Castro & Monte Mesinæ custodiendo & affictando.*

QVIA in statutis antiquisimis,atq; veteribus,necnon nouis hinc retro æditis continebatur & continetur statutum infrascripti tenoris. Statutum est quòd potestas omnibus modis teneatur saluare,gubernare,& defendere,& tenere, & manutenere, & custodire , & custodiri facere montem, siue Castrum Mesenię:& terram & territorium pertinentia communi Nouariæ in ipso monte,& iuxta ipsum montem: nec amore,nec timore,vel banno, vel alio facto,quod posit excogitari ipsum relinquere,vel dimittere,vel restituere:sed omni tempore teneatur in communi Nouariæ,& custodiatur & defendatur , vt dictum est per omnia:& hoc capitulum debeant iurare omnes consules Nouarię,scilicet,dare operam vt ita attendatur & obseruetur,vt dictum est,Et omnes de credentia annuatim.Et hoc capitulum ponatur in breuibus sequimenti:super quo iurabunt homines Nouarię & iurisdictionis Nouarię sequimentum potestatis.Sed prędicta intelligantur,& sint ad voluntatem maioris partis consilij.Item quòd potestas infra mensem vnum,post introitum sui regiminis,teneatur præcisè exponere in consilio de dando ad fictum ad meliorem conuentionem,quam poterit,castrum & terram castri Messeniæ in voluntate partium,& illorum de consilio.Ita quòd nulla fortilicia ibi fieri posint nisi per commune Nouarię, Et hoc idem teneatur potestas pręcisè de omnibus quę commune Nouarię habere reperiretur in Nouaria, vel iurisdictione, quæ affictari possent. Et quia suprascriptum castrum Messenie diruptum fuit de anno 1358. de mensibus Augusti,Septembris,& Octobris per homines de Ripparia: quod castrũ fuerat edificatum & constructum ad honorem & vtilitatem communis Nouariæ,& per defensionem iurisditionis & territorij,honoris,& hominum communis Nouariæ:& per commune Nouariæ fuit edificatum super monte,territorio,iurisdictione,& districtu Nouariæ, statuerunt & ordinauerunt quòd potestas Nouariæ,qui nunc est,& per tempora fuerit , teneatur & debeat totis viribus manutenere & defendere totum territoriũ , & pertinentias castri & Montismessenię,ad vtilitatem & commodum communis Nouariæ, & quantum ad iurisdictionem,& quantum ad territorium,& quò ad proprietatem,& possessionem & territorium,& pertinentias dicti montis,& castri teneatur & debeat affictare,& affictatum tenere ad vtilitatem prędicti Montis. Ita quòd commune Nouarię stet,& remaneat & perseueret,& defendatur in possessione prædicti montis,& pertinentiarum suarum, & in possessione,seu quasi iurisdictionis prædicti mõtis,& castri. Nec posit nec debeat permittere accipere

cipere vel exportari lapides dicti castri. Et teneatur cōtra illos qui acceperint, vel accepissent, vel exportassent, vel exportauerint lapides dicti castri procedere per inquisitionem, & omni alio iure, modo, & forma, quibus melius & vtilius sibi videbitur: & eos debita correctione punire, & sit præcisum. Et hoc cùm ipsum castrum, & mons, & totum eius territorium, & pertinētiæ dicti montis, sint, fuerint, & steterint tēporibus retroactis communis Nouariæ &, ad ipsum commune Nouariæ pertinuerint, & pertineant pleno iure. Statuentes, non derogādo propterea statutis veteribus hinc retro ęditis de dicto castro in fauorem communis Nouariæ, salua tamen semper voluntate pręlibati Illustrissimi Domini.

*De extraordinarijs seruientibus, remouendis voluntate consilij.*

ITEM statutum est quòd capitanei & seruientes, siue aliæ personæ, quæ mitterentur pro communi Nouarię in castris, & locis communis Nouariæ per potestatem Nouarię, siue per voluntatem consilij, quòd potestas teneatur, & debeat semper in capite cuiuslibet mensis ponere in consilio, & secundum voluntatem consilij, dictas personas dimittere in prædictis castris, vel locis: vel auferre. Et idem intelligatur de seruientibus, & alijs stipendiarijs communis Nouariæ.

*Vt Olegium sit burgus.*

ITEM statutum est quòd Olegium sit burgus, & habeat priuilegium burgi, tale quale habet burgus sancti Leonardi, saluis concordijs dominorū. Et quod ordinatum est per consilium Nouarię inter homines ipsius loci & dominos.

*De cambiatoribus & de his qui spectant & pertinent ad eorum officium & de sacramento eorum.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur facere iurare semel in anno omnes cābiatores Nouariæ infra Calendas Februarij cuiuslibet anni, quod scienter denarios tonsos vel falsos, alicui non dabunt, scilicet, nisi tonsos pro tonsis: & omnes denarios falsos, qui in se peruenirent, taliabunt, & protonsabunt. Et omnes denarios qui eis depositi fuerint, vel quos occasione officij sui, seu cambiariæ, seu campsoriæ debuerint infra octo dies, postquàm fuerint petiti a depositore, vel ab eo, qui habere debuerint occasione campsoriæ, vt supra ei, vel eius misso, seu heredi eius restituent, & dabūt. Et potestas, & consules iusticiæ teneantur, & debeant cogere omnibus iuris remedijs omnes cambiatores, & eorum securitates sine libello, vel petitione, vel dilatione aliqua ad dictam solutionem, & restitutionem faciendam infra prædictum terminum octo dierum, omni appellatione cessante, statuto quod loquitur quòd potestas de pecuniarijs causis non se intromittat in aliquo non obstante. Et si aliqui dederint aliquem denarium tonsum, vel falsum, teneatur illum denarium continuo cambiare. Et si incontinenti non cambiauerint, teneantur dare pro banno communi Nouarię soldos centum imperialium. Et insuper ipsos denarios tonsos & falsos cambiare debeant. Et de prędictis, & alijs pertinentibus ad eius officium attendendis bonam faciant securitatem de libris duobus milibus imperialium infra prędictum terminum. Et si voluerint officium campsoriæ exercere, fiat dicta securitas de quatuor bonis & idoneis fideiussoribus approbandis per dominum potestatem, & duodecim sapientes ad minus, qui fideiussores sese & bona sua obligent, & promittant, & fideiubeant pro dictis campsoribus, & pro quolibet eorum vsque ad quantitatem librarum prædictarum duorum milium imperialium inter ipsos quatuor, videlicet, de quingentis libris imperialium pro quolibet ipsorum quatuor. Et quòd dicta securitas, seu fideiussio, debeat legi in consilio generali, & ponantur prouisiones & de securitates ad cameram communis Nouariæ, vt homines & personæ possint de ipsis habere copiam. Et ille qui fecerit dictam securitatem, & præstiterit dictum sacramētum teneatur, & debeatur pro campsore. Et qui ipsam securitatem & sacramentum non pręstiterit, vt supra, nō habeatur nec teneatur pro campsore, ad suum commodum & fauorem: sed in eius præiudicium, & vt tanquam campsores debeant creditoribus respondere. Et vt cōtra eos fiat ius summarium habeantur & pro campsoribus reputentur, vt supra. Et potestas teneatur, & debeat illos qui exercuerint officium campsoriæ prædictis securitate & sacramento non pręstitis infra prędictum terminum condemnare in libris viginti quinque imperialium. Et ponantur securitates quas fecerint campsores: qui sese obligabunt pro campsoribus secundum quod superius continetur cùm citius fideiusserint, & se obligauerint immedietate obligati teneantur de omni

de omni eo & toto quod campsor vel campsores, pro quibus promiserint & satisdederint, teneantur dare quacunq; occasione officij dictæ campsoriæ. Et hoc vsq; ad annum vnum tunc proximè subsequentem a die quo fideiusserint, & tantum plus teneat obligatio supra dicta, quantum campsor vel campsores steterint ad dandum fideiussores alios, & quàm citius alij fideiussores obligati fuerint & fideiusserint continuo, alij primi sint ab omnibus debitis absoluti, quibus obligati tenerentur & occasione seu fideiussorię dictorum campsorum & campsoriæ. Et sic imperpetuum singulis annis obseruetur de dictis fideiussoribus renouandis. Et nihilominus campsores remaneant obligati perpetuò donec satisfecerint creditoribus quibuscunq;, & omnes rationes scriptæ per eos qui stabunt ad tabulas cāpsorum, & omnia recepta & deposita habita per illos, qui stabunt ad dictas tabulas perinde habeantur, ac si ipse scripturæ & deposita prædicta fuissent facta & factę per ipsos campsores publicos & principales qui suprascriptam promissionē fecerint. Et eodem modo pro ipsis teneantur prædicti fideiussores vt supra dictum est, omni appellatione cessante.

### *De molinarijs & iuramento ab eis exigendo.*

ITEM teneatur potestas Nouariæ & eius assessores iurari facere molinarios Nouarię & iurisdictionis, & eorum familias habentes a quatuordecim annis supra, infra mensem post introitum sui regiminis, quòd granum eis datum, & farinam ex ipso grano factam, bona fide seruabunt & gubernabunt, restituent, & quòd non accipient, nec accipi facient, vel concedent nisi cuppum de stario. De panicho vno, & milio pistato cupum vnum de stario. Et qui contrafecerit componat pro banno pro qualibet vice soldos decem imperialium, & dānum emendetur. Et teneatur potestas cogere omnibus modis quibus melius poterit omnes molinarios ad præstandum bonam satisda tionem de suprascriptis omnibus attendendis & obseruandis. Et si quis molinarius noluerit præstare suprascriptam satisdationem, aliquis de Nouaria & districtu non debeat ei tradd ere suam blauam ad macinādum, & hoc sub pœna & banno soldorum decem imperialium pro qualibet vice, & soluendo per dictū molinarium, & non per dantem blauam ipsi molinario. Et istud capitulum locum habeat in omnibus molinariis & molandinis, quæ sunt a Gaudiano inferius, & de blaua non reddita credatur sacramēto illius personę, cuius erit blaua, seu eius qui tradiderit ipsam blauā ad macinandum. Et notarius deputatus ad recipiendum sacramentum & satisdationem a dictis molinariis, si receperit salariū sine satisdatione & sacramēto prædictis, teneatur in duplum eius quod receperit. Et si satisdatio non fuerit idonea, notarius ipsam recipiens teneatur ad interesse, & potestas legi facere singulis tribus mensibus, cum nominibus molinariorum, qui recusauerint iurare aut sadisdationes præstare.

### *De fornarijs & pristinarijs, & iuramento ab eis præstando.*

ITEM Statutum est quòd potestas, in introitu sui regiminis, in quolibet regimine, iurare faciat fornarios, & pristinarios, quòd pro fornaritia panis decocti his personis nō accipiāt nisi imperiales decē pro cocta cuiuslibet starij panis, quando de suis lignis furnus fuerit calefactus. Et si de lignis decoqui facientis, habeat pro stario imperiales tres, & non vltra, nec braschăm, nec cinerem, nec panem. Et quilibet contrafaciens det pro banno pro qualibet vice & quolibet stario soldum vnum, & quilibet possit accusare, medietas pœnæ sit accusatoris, alia communis. fornarij verò, & bolungarij, & omnes alię personæ possint facere panem ad vendendum ad eorum voluntatem, dum tamen ipsum panem faciant pulchrum, bene coctum, & bene saxonatum secundum pesam tūc tēporis ordinatā in valimento blauæ. Et contrafaciens perdat panem, qui distribuatur in pios vsus, & condemnetur pro quolibet pane in valore ipsius & quilibet possit accusare, medietas sit accusatoris & alia communis. Et potestas conuertens prędictum panem perditum, & distribuendo, vt su pra, in vsum proprium puniatur & condemnetur pro qualibet vice in quadruplum, & vltra secundum formam decreti ducalis.

### *De fornasarijs & iuramento ab eis exigendo.*

ITEM statutum est quòd fornasarij debeant facere lapides & cupos ad mugiolos qui sunt ad cameram communis Nouariæ. Et quòd potestas teneatur facere ipsos fornasarios, hoc iurare & satisdarę, & quòd facient cupos & lapides bene coctos & bene massaratos, & planos & non cauatos. Et teneatur potestas inquiri facere dictos mugiolos, & lapides, & cupos. Et teneatur nihilominus ponere accusatores, quibus cum sacramento det fides singulis tri

bus

bus mensibus,& cōdemnare cōtrafacientes in soldis viginti imperialiū pro qualibet vice. Et quòd fornasarij teneantur facere maltam bene masaratam & bene menatam, & subtiliter, bene cauatam, & incisam, antequàm faciant lapides & cupos. Et quòd debeant quemlibet fornasatam plenam, vel semiplenam de lapidibus, vel cupis, dequoquere in quatuor diebus, & per quatuor dies ad minus, & de lapidibus coctis faciant tres cernias: vnam de lapidibus cernutis, alteram de lapidibus communis, & tertiam de lapidibus alphanis, & ipsos lapides sic diuisos, & cernutos, aliqua vice non misceant, sed diuisos ipsos teneant & vendant sine fraude, & aliquē lapidem fractum non possint vendere nec in numero computare contra voluntatem emptoris. De cupis verò faciant duas cernias scilicet bonos & bene coctos per se, & alphanos diuisos per se sine aliqua mistione, sub pœna prædicta pro quolibet fornasario & qualibet vice, qua factum fuerit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, vel non fuerit obseruatum, prout superius est declaratum, & expressum. Et prædictum statutum seruetur & in pratica ponatur. Et quòd notarij scribentes tale iuramentum, acci pere possint a quolibet soldos quatuor imperialium. Et quòd pœna applicetur pro medietate accusatori.

### *De consilio habendo de monetis & vsu earum.*

ITEM quòd Potestas præsens, & futurus, infra mensem sui regiminis, debeat ponere ad cōsilium sapientis de monetis, & vsu earum, & interim expendantur ad pondus & cursum ciuitatis Mediolani.

### *Qualiter Potestas teneatur facere consilium de blaua imponenda.*

POTESTAS Nouarię teneatur facere consilium generale ante medium Aprilem de blaua imponēda, & secudū quòd placuerit illis de consilio, illam blauam debere imponi facere teneatur, & dare operā efficacem, vt illa taliter imposita cōsignetur ad Ciuitatē Nouarię.

### *Vt Potestas teneatur per duos menses ante exitum sui regiminis exponere in consilio de statutis emendandis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd omnis Potestas, vel rector communis Nouarię, teneatur, & debeat exponere in cōsilio generali Ciuitatis Nouariæ de emendandis statutis cōmunis Nouarię per menses duos ante exitum sui regiminis.

### *De duobus voluminibus statutorum complendis.*

ITEM statutum est quòd duo volumina omnium statutorum communis Nouariæ vnius temporis fiant pro communi Nouariæ, vnum quorum remaneat penes Potestatem, vel eius vicarium, videlicet tamen in publico ad eius banchum iuris ciuilis, & istud volumen applicetur ad istud banchum more antiquo, cum vna catena, ita quòd non possit exportari. Et ibi fiat vna capsa cum claui, supra quam teneat notarius qui præerit ad officium notariarum quinque dicti banchi, & per ipsum notarium quolibet sero reponatur & conclauetur in dicta capsa & quolibet mane extrahatur & dimittatur tota die extractum super dicto bancho, exceptis diebus festiuis in honorem Dei, quibus teneatur conclauatum, nisi ex causa, & pro tempore necessitatis ad illud habendum: aliud verò volumen reponatur, & cōseruetur apud camerarium & conclauatum in vno schrineo, ita quòd nō possit aliqualiter in aliqua sui parte viciari, nec mutari, nec etiam extra dictam cameram exportari, & teneatur ipse camerarius pręstare debitum iuramentum ad ipsum volumen fideliter custodiendo vt supra.

Lo statuto stava giornalmente appreso con catena al banco del pod.-tà in publico, e si chiudeva ogni sera in una cassa

### *De libro statutorum officij maleficiorum tamen fiendo.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd ex dicto volumine debeant exemplari & describi in vno libro de per se omnia statuta pertinentia ad officium maleficiorum & ipse liber dictorum statutorum debeat permanere apud iudicem maleficiorum in suo officio pro vsu dicti officij, & in fine dicti libri exempletur etiam statutum prohibens aliquid posse accipi per canzellarium dicti officij maleficiorum.

### *De eodem.*

ITEM quòd ex dicto volumine debeant extrahi & exemplari in vno libro de per se omnia statuta pertinentia ad officium & notariam damnorum datorum, & etiam ad officium domini

mini collecteralis, tam super victualibus, quàm etiam super stratis, fossatis, pontibus, rugis, & alijs pertinentibus ad dictum officium. Et specialiter pro communitatibus apperiendis, & quòd in fine exemplentur capitula dati dictæ notariæ.

*De libro statutorum officij, & notariæ damnorum datorum & dati dicti notariæ fiendo.*

Item quòd etiam ex dicto volumine, & in vno alio libro exemplentur omnia & singula statuta pertinentia ad iustitiam ciuile reddendum & ad officium consulatus. Et quòd ipse liber debeat similiter cum vna catena ligari ad vnum ex dictis banchis dominorum iusticiæ Nouariæ. Et ibi fieri vna capsa, in qua debeat teneri conclauatum de nocte & diebus festiuis pro tempore, quo non erit necessarius: Et quòd ad ipsum reponendum, conclauandum, ac extrahendum debeat deputari vnus vel duo ex procuratoribus, vel notarijs, qui maiorem cótinuam residentiam faciunt sub dicto palatio, qui teneãt claues dictæ capsę. Et quòd in fine dicti libri debeat describi & inseri datum notariorum dictorum dominorum consulum.

*De statuto, in quolibet dictorum librorum, vt statuta sint præcisa, inserendo.*

Item statuerũt & ordinauerũt, quòd in ipsis duobus libris, & quolibet ipsorum, & etiam in dictis alijs fiendis, vt supra, debeat describi, & exemplari statutum tenoris subsequentis. Item statutum, & ordinatum est quòd omnia prædicta statuta & ordinamenta sint pręcisa, sub rubrica quòd omnia prędicta statuta ac ordinamenta sint præcisa.

*Vt omnes condemnationes quàm cito factæ sunt consignentur camerario ad tenendum in fortiam communis.*

Item statutum est & ordinatum, quòd quàmcito condemnationes communis Nouariæ, siue pro maleficijs, siue pro damnis datis factę & lectę fuerint supra lapidem broreti communis Nouariæ, statim & incontinenti dentur in fortia camerarij communis Nouariæ, & dictus camerarius communis Nouarię teneatur & debeat esse præstus ad recipiendum ipsas condemnationes, vt in statuto libri secundi sub rubrica de ellectione camerarij continetur. Et dominus potestas teneatur, & debeat consignare & dare dictas cõdemnationes in arégo dicto camerario. Et dictus dominus potestas teneatur similiter librum scribi facere & remaneat penes eum. Et potestas qui recusauerit vel remissus fuerit in consignando dictos libros cadat in pœnam pro qualibet vice librarum vigintiquinq; imperialium, applican. cameræ communis Nouariæ, & vlterius ad interesse teneatur.

*Vt iudices cum notarijs, finitis eorum officijs, consignare teneantur eorum scripturas.*

Ivdices & notarij, videlicet maleficiorum, & prouisionum, finitis eorum officijs, teneantur, & debeant cõsignare omnes scripturas factas suis temporibus, ratione sui officij & omnes alias scripturas, processus, & acta, quę habuissent de communi, successoribus suis, vel camerario communis Nouariæ, sub pœna librarum centum imperialium iudici, & librarum vigintiquinque notarijs, si steterint vltra mensem vnum post exitum sui regiminis, quòd non obseruauerint prædicta. Et quilibet possit accusare, medietas cõdemnationis sit accusatoris, & alia communis Nouariæ, Et quòd notarij communis reformationes consiliorum & prouisiones, quas receperint ad cameram communis Nouariæ, camerario communis cum nota eius qui confecit tradere teneantur. Et quòd notarius rationatorum communis Nouaeiæ de consignatione ipsarum scripturarum & dictorum processuum, & actorum & numero foliorum & cum annis quo, & quibus facti sunt, teneantur facere & in libro communis inserere & registrare.

*De nominibus & tempore interdictorum, abbominatorum & defectorum, ponẽdis in duobus voluminibus statutorum, & de crida facienda de eis.*

Item statutum est quòd Potestas Nouariæ teneatur facere scribi in duobus voluminibus statutorum nomina & tempus omnium quorum bonis interdicitur, & qui abominantur & restituũtur, & qui pronuntiabũtur pro defectis, & cuiuslibet eorũ, infra vnũ mensẽ a tépore interdictionis, abominationis, restitutionis, & pronuntiationis, pro defecto vnus quorum remaneat in cõmuni ad cameram, & alter in publico super lateri lo fiendo in palatio

communis Nouariæ,& cum volumine statutorum collocetur. Et si potestas non obseruauerit prædictum statutum, ipso iure cadat a perceptione sui salarij vsq; ad soldos cẽtum imperialium. Et notarius qui confecerit instrumentum de prædictis, nihilominus infra prædictum terminum, tenorem dicti instrumenti, cum sua nota, in dictis voluminibus ponere teneatur, sub pœna soldorum viginti imperialium. Et fiat crida in locis consuetis de prædictis infra tertiam diem.

*De tollendis paraticis Ciuitatis Nouariæ, suburbiorum, & episcopatus, & tollẽdis statutis eorum, & de tollendis statutis burgorum & villarum.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd omnes paratici ciuitatis Nouariæ, & burgorum & districtus, sint casfi, & statuta eorum similiter sint cassa, & nullius valoris. Et quòd deinceps non sint aliqui paratici in Nouaria, vel suburbijs, & districtu Nouarię, & quicũque fecerit paraticum in Nouaria, vel districtu Nouariæ, puniatur in soldis sexaginta imperialiũ pro quolibet & qualibet vice. Et statuta burgorum, & villarum, seu quę fierent, sint cassa, & irrita ipso iure. Et nulla communitas burgorum, seu villarum episcopatus Nouariæ possint habere statuta aliqua, nec vti eis, sub pœna librarum decem imperialiũ pro quolibet burgo & qualibet vice: Et librarum quinq; imperialium pro qualibet villa & qualibet vice. Et nihilominus dicta statuta sint cassa, nisi statuta burgorum & villarum fuerint per prelibatum Illustrissimum Dominum Dominum nostrum specialiter approbata, vel nisi fuerint quolibet anno de mense Ianuarij tantùm potestati Nouarię, qui erit pro tempora presentata: Et per eũ & sapientes ciuitatis Nouarię, quos secum habere voluerit concorditer approbata. Et saluo quòd quælibet communitas burgorum, & villarum, castrorum, & cassinalium episcopatus Nouarię, dummodo ipsa communitas sit in concordia cum dominis & ciuibus habentibus facere in dicta communitate, seu cum maiori parte ipsorum, possint pro eorum composturis, & camparijs, & accusationibus campariorum, & emendis damnorum statuere, & ordinare & ordinari facere quicquid facere voluerint, ita tamen quòd omnes accusationes, quę fierent per communitates & camparios dictarum communitatum domino potestati Nouarię, & eius officia, medietas condemnationis veniat in commune, & alia medietas ipsis camparijs & accusantibus.

Non era lecito ai borghi, terre del contado di far statuti

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd nullus artista, merchator, seu reuenditor, audeat seu presumat falsare artem suam, nec fraudem committere in ea. Et qui contrafecerit componat pro banno pro quolibet, & qualibet vice ad arbitrium domini potestatis, quod arbitrium extendatur & extendi possit a soldis decem vsque ad soldos quadraginta imperialium. Et quilibet possit accusare. Et medietas pœnæ deueniat in potestatẽ, & alia medietas in accusatorem. Et nichilominus res falsata deueniat in communi.

*Vt Potestas, vel consules, vel rector burgorum, vel villarum iurisdictionis Nouariæ, non exerceant iurisdictionem de vna persona ad aliam.*

ITEM statutum est quòd aliquis Potestas, vel consul, vel rector, vel aliquis alius iurisdictionem exercens alicuius burgi, vel villę, vel castri, vel cassinalis, vel vniuersitatis districtus Nouariæ, non habeat, nec possit facere aliquã condemnationem, vel absolutionem in criminalibus de vna persona ad aliam, nec aliquam exercere iurisdictionem in ciuilibus, vel facere condemnationem, vel absolutionem, vel insolutum dationem, extimationem, vel liuerationem, vel preceptum, vltra soldos quinque imperialium. De Romagnano, Burgomaynerio, Burgo Ticino, burgo Agnello, inferius ab ipsis burgis: superius vltra soldos viginti imperialium. Et persona iurisdictionem extrahens, & contra prędicta faciens componat pro banno & pœna libras vigintiquinque imperialium pro quolibet & qualibet vice: commune verò Burgi componat pro banno, & pœna libras vigintiquinque imperialium: commune verò villę componat pro pœna & banno libras vigintiquinque imperialium pro quolibet & qualibet vice, commune verò Castri, & cassinalis libras decem pro quolibet & qualibet vice, commune verò vniuersitatis componat pro pœna & bãno libras quinquaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice, & qui traxerit vel citari fecerit aliquem contra prædicta, suo nomine, vel alieno ad iudicium, componat pro pœna & banno libras tres imperialium pro quolibet & qualibet vice, ad quam pœnã minores decemocto annis non teneantur. Et gesta, & acta non valeant ipso iure. Et aliquis tabellio non possit

nec

nec debeat facere, nec ſcribere inde aliquam cartam vel ſcripturam. Et ille notarius qui contrafecerit componat pro pœna & banno libras quinque imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et ſi ex eadem cauſa & re, vltra prædictam quantitatem, ſeu quantitates aliquo modo queſtio mota fuerit contra prædicta, reus ipſo iure ſit abſolutus, & quilibet poſſit accuſare. Medietas banni ſit accuſatoris, alia medietas ſit communis Nouariæ. Et nihilominus poteſtas, & ſui milites teneantur ſolicitè inquirere de prędictis, ſaluo iure priuilegiorum. Et prædicta obtineant, conſuetudine contraria in aliquo non obſtante: ſaluis ſpecialibus conceſsionibus factis, vel faciendis per Illuſtrisſimum Dominum Dominum noſtrum Ducem, & eius ſucceſſores, in quibus locum non habeat hoc ſtatutum.

*Quòd Poteſtas, ſui Iudices, Conſules iuſtitiæ Nouariæ, & communia locorum teneantur ad obſeruationem ſtatutorum Nouariæ.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt quòd poteſtas, & ſui iudices, & conſules iuſtitię Nouariæ, & omnia communia & vniuerſitates diſtrictus Nouarię teneantur ad obſeruationem ſtatutorum, & ordinamentorum communis Nouariæ, & officiales ipſorum communium & vniuerſitatum debeant & teneantur in cauſis occurrentibus, comprehenſis in ſtatutis, & ordinamentis prædictis, ipſa executioni mandare: nec prędicta communia, & vniuerſitates facere quicquã poſſint contra prædicta communia, ſaluo quòd non teneatur ad obſeruantiã ſtatuti anterioris ſub rubrica de tenendo diſtrictũ Blandratę & ſequens, quod incipit bis in anno. Salua voluntate prælibati Illuſtriſſ. Domini, vt ſupra. Et idem intelligatur de capitaneo deuetus diſtrictus Nouariæ, vt teneatur ad obſeruantiam ſtatutorum & ordinamentorum communis Nouariæ.

*Ne aliquæ Poteſtariæ dentur in villis iuriſdictionis Nouariæ.*

ITEM ſtatutum eſt & ordinatum quòd de cetero nulle poteſtates ſeu poteſtariæ dentur per commune villis iuriſdictionis Nouariæ: & ſi quæ hinc retro ſint datæ alicui perſone per commune & conſiliũ Nouarię, ſeu per aliquam aliam perſonam, quòd illa datio & conceſsio ſit & non valeat nec teneat ipſo iure, & quòd ille & illi cui & quibus datæ & cõceſſę eſſent dictæ poteſtariæ nullũ ius, nullã actionẽ, & nullã poteſtatẽ habeant, ſeu petitionẽ pro tẽpore futuro cõtra illa cõmunia quorũ poteſtariæ eis datę vel cõceſſæ eſſent, ſaluo eo quòd dari poſſint arbitrio & diſpoſitionę prelibati Illuſtriſſ. D. vt ſupra, & arbitrio conſilij.

*Vt omnes vniuerſitates, quibus darentur Poteſtates, ſoluant eorum ſalaria ſicut conſueuerunt ab anno currente 1273. retro.*

ITEM ſtatutum & ordinatũ eſt quòd omnes vniuerſitates Nouariæ, quibus darentur poteſtates per tẽpora per cõmune Nouariæ, debeant ſoluere eorũ ſalaria ſeu ſalariũ, ſicut conſueuerunt, & ad illũ modum & formã qui cõſueuerint hinc retro, vel prout taxabitur in futuro.

*De terris Lupiati.*

ITEM ſtatutum eſt quòd poteſtas teneatur & debeat inquirere ſeu inquiri facere omnes terras territorij ſeu curiæ Lupiati & aliorum locorum circumſtantium, & coherentium loco Lupiati. Et ſi inuenerit aliquam ex predictis terris alienatis in hominem aliquem, qui non ſit de iuriſdictione Nouariæ, teneatur eas reuocare & compellere homines Burgiticini iuſto precio comperare.

*De ſtrata franciſca, vt fiat ſecuritas per communia.*

ITEM ſtatutum eſt quòd ſtrata franciſca veniat & currat ad ciuitatem Nouarię, faciendo ſecuritatem quodlibet commune cuiuſlibet loci burgi de emendandis & reſtituẽdis damnis quę fierent & darentur per eorum territoria. Et hęc fiant ad voluntatem conſilij. Et poteſtas teneatur hoc ponere ad conſilium. Et hoc ſi communia terrarum eccleſiæ Nouarię fecerint ſimilem ſecuritatem. Et dicta ſtrata franciſca declaratur eſſe illam qua itur Mommum, & deinde Gaudianum, & in Rippariam, & ad domum Oſſole.

*Quòd ſingulæ Parrochiæ elligãt duos qui tẽpore uẽtoſo exquirãt loca ne incẽdiũ oriatur.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt, quòd ſingulę parrochię ciuitatis & ſuburbiorum Nouarię teneantur elligere duos de dicta parrochia, qui ſollicitè curent, & maximè tempore ventoſo per totam viciniam exquirendo loca, ne per negligentiam alicuius incendium oriatur. Et quòd poteſtas teneatur cogere vicinos parrochiarum ad elligendum illos duos.

*De custodia palatij & pedagerijs non dandis ad sortes.*

ITEM statutum, est quòd custodia palatij nullo modo dari posit ad sortes, nec collectores pedagij & decimarum argentarium communis Nouariæ, & qui habuerit aliquid prædicto rum offitiorum & fecerit per annum nō posit habere nec esse ad aliquod prędictorum officiorum per biennium aliquo modo: etiam si ellectus fuerit ad aliquod ipsorum officiorū, & prędictum statutum non liget ad iuramentum potestatem.

*Quòd omnia prædicta & infrascripta sint præcisa.*

ITEM statutū & ordinatum est quòd omnia prædicta & infrascripta statuta & ordinamenta sint præcisa.

*Vt omnes sententiæ & liurationes factæ de bonis quondam comitum Gociorum Blandrate sint firmæ.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd possessiones siue liurationes datę & factæ de bonis quondam comitum Gociorum de Blādrate, seu eorum heredum, vel descendētium ex ipsis comitibus de Blandrate, seu de valle Sicida, vt apparet per instrumenta facta per Olricum de Noli notarium 1298. die sabbati vigesimo Septembris, valeant & teneant pleno iure. Et quòd potestas Nouariæ & consules iusticiæ Nouariæ teneantur & debeant eas manutenere & defendere, dum tamen quòd propter hoc ipsum commune Nouarię non teneatur ad euictionem vel restitutionem aliquam.

*De solutione ambasciatorum, & vt soldum non habeat qui non sit suppositus iurisdictioni communis Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd quilibet ambasciator qui iuerit extra iurisdictionem Nouariæ pro communi Nouarię cum tribus equis seu quatuor debere habere pro qualibet die & quolibet equo soldos viginti sine aliqua diminutione. Excepto quòd retineatur ei soldus vnus pro qualibet libra, idem etiam intelligatur qui iuerit cum duobus equis, & nullus ambasciator posit ducere vltra equos quatuor ad soldum communis. Et nullus posit habere soldum nec expensas a communi, hoc addito, quòd si ducatus nunc valoris librarum trium & soldorum sedecim imperialium, reduceretur ad soldos trigintaduos imperialium, sit cōtētus de soldis duodecim imperialium pro singulo equo singulo die, & quòd dies recessus & dies reuersionis pro vna die tantùm computentur.

*Vt banniti de maleficio, interdicti, abhominati, seu defecti, siue clerici, non habeant soldum a communi.*

ITEM non patiatur potestas aliquem bannitum de maleficio a potestate, siue interdictum, siue abominatum, siue a suis bonis, siue defectum, siue clericum, habere soldum a communi Nouariæ; nec aliquod officium in communi Nouarię, nisi aliter ordinatum fuerit per præsidentes secundum occurentia.

*De cuniculis in Ciuitate Nouariæ fiendis.*

QVONIAM cœlum pestilentias & ruinas minatur propter immūditiam cloacarum, prouidaratione statuimus quòd potestas Nouariæ venturus teneatur & debeat, & successiuè alij potestates teneantur & debeant facere fieri cloacas & cuniculos in stratis mastris per quas itur a porta sancti Gaudentij ad portam sancti Agabij, Et a porta sancti Stephani ad portam sanctæ Mariæ, & elligere vnam de ipsis portis ad faciē dū cuniculos & cloacas & quòd per commune Nouariæ teneatur & debeat dari illis qui habent domos per medium lapides & sabionum & calcinam, & remouere & abducere terram quæ remouetur, & detrahitur de dictis cuniculis & cloacis, & illi per medium quorum domos fient cuniculi & cloacæ teneantur & debeāt soluere & satisfacere magistris & manualibus & imponere magistros & manuales. Et predictum statutum non liget potestatem ad iuramentum.

*De ticinello & aquæductu nouiter faciendo.*

ITEM statutum est quòd pro euidenti vtilitate cōmunis & hominum ciuitatis & districtus Nouariæ, dominus potestas præsens & futurus, & alij rectores cōmunis Nouarię, qui sunt, & per tempora erunt, teneantur & debeant totis viribus dare operam cum effectu quòd aquęductus nouus fiat, & fieri debeat, seu Ticinellus, ad ducendū aquā sufficientē pro nauigio

uigio a Ticino ad ciuitatē Nouarię. Et quòd dictus dominus potestas,& alii potestates seu officiales & rectores teneantur & debeant saltem semel in quolibet suo regimine infra duos menses post sui regiminis introitum,quousq; dictum opus fuerit completum, ponere in generali consilio ciuitatis Nouarię:de dicto aquæductu sufficienti pro nauigio de Sicida ducendo ad ciuitatem Nouarię,per rugiam nouam facere teneatur.

*Quòd merchatum animalium non fiat in ortello,sed in prato marzaliæ.*

ITEM statutum est & ordinatum, quòd merchatum bouum & animalium non fiat amplius in ortello. Sed quòd merchatum bouum & animalium fiat & fieri debeat in pratis marzaliæ,& merchatum porcharum & caprarū in pasquario sancti Gaudentij,seu inhibere & exequutioni mandare quòd merchatum non fiat in ortello nec in pasquario.

*De non amouendis picturis domus & porticus communis.*

ITEM statutum est quòd sub porticu picta domus communis nullo modo debeant nec possint amoueri picturę, nec pingi aliqua arma vel signa. Et qui contrafecerit puniatur in libris decem imperialium.Et præsens statutum non liget ad iuramentum potestatem.

*De Potestate, & eius assessoribus & militibus qui non obseruauerint omnia prædicta statuta.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd pro quolibet statuto contento in hoc volumine non obseruato,vel cui contrauentum fuerit per ipsum dominum potestatem, vel eius familiā, potestas qui contrafecerit, vel non obseruauerit cadat in pœnam librarum vigintiquinque imperialium, communi Nouariæ persoluendarum,iudex,vel assessor eius qui contra prædicta venerit,vel fecerit,vel omiserit, cadat in pœnam librarum decem. Et miles in tātundem. Saluis omnibus alijs pœnis in suprascriptis statutis contentis.

PROVINCIA DI TORINO

*De aliquo ad confinia non ponendo.*

ITEM quòd dominus potestas,vel sui iudices,vel aliquis alius rector, vel officialis communis Nouariæ,non possit alicui confinia assignare,vel ponere aliquem in confinis, sine expressa licentia prælibati Illustrissimi Domini nostri &c. Et contrafaciens puniatur in libris quinquaginta imperialium,communi Nouariæ dandis, de suo salario retinendis: & vltra teneantur ad restitutionem damnorum & expensarum facien.contra illum,cui dicta confinia assignasset.

*Vt pignoratio uel executio non fiat a libris quinque supra,condemnatione non facta.*

ITEM quòd dominus potestas, vel aliquis alius rector, iudex, vel miles,vel alius officialis communis Nouariæ,non possit pro aliquo debito priuato,quod dicatur ascendere a libris quinq; supra,aliquem pignorare,nec exequutionem aliquam facere,condemnatione prius non facta:& etiā defensione legitima nō assignata. Et a libris quinq; imperialiū infra vsq; ad dictas libras quinq; imperialiū, possint fieri pignorationes, seruata hac forma videlicet. Si debitor citatus ad instantiā creditoris nō cōparuerit ad respōdendū de iure,asserenti se esse creditorem siue in rebus siue in pecunia:tunc licet nulla pręcesserit condemnatio possit talis contumax pignorari. Et si pignoratus post pignorationem citatus fuerit, & comparuerit, vel comparere fecerit: & non citatus, citato eo qui ipsum pignorare fecit, ad respondendum de iure ei, qui ipsum fecerat citare, vel pignorari,teneatur officialis & iusdicens restitui facere pignora, purgata prius per solutionem expensarum contumatia. Si autem citatus quis fuerit pro aliquo debito, & trina citatione in scriptis, personaliter, vel ad domum ipsius citandi, dimissis ipsis trinis citationibus contumax extiterit; dummodo citetur cum interuallo trium dierum ab vna citatione ad aliam:& vna vice personaliter reperiatur, quòd virtute illarum trinum contumatiarum, iurante creditore se esse verum creditorem ipsius contumacis citati vt supra, vsque ad dictam summam librarum quinque inperialium tantum: Quòd talis contumax habeatur pro confesso: ac si probatio esset facta contra eum de quantitate iurata contra eum. Et etiam habeatur de ipsa quantitate iurata & de expensis pro ipsis trinis citationibus pro condemnato. Et contra eum fiat exequutio ac si esset condemnatus. Cum hac tamen conditione, quòd in ipsis citationibus, fiendis vt supra, inseratur quantitas, quę requiritur per creditorem, & causa debiti. Et idem in omnibus & per omnia obseruetur per dominos consules iu-

stitiæ Nouarię. Et condemnatio, vel exequutio aliter, & non seruata forma prædicta, facta non valeat, nec teneat ipso iure.

*Quòd qui fuerit Potestas Nouariæ, iudex, & miles cesset per triennium.*

ITEM statutum & ordinatũ est quòd ille qui fuerit potestas, assessor, vel miles ciuitatis Nouariæ, non possit iterum esse potestas, assessor, vel miles dictæ ciuitatis, nisi prius vacauerit per annos tres, aut hoc fuerit de voluntate consilii generalis. Et idem sit de cancellario malleficiorum, & commestabili potestatis. Salua voluntate prælibati Domini, vt supra,

*Ut Potestas non possit habere aliquem notarium, nisi fuerit officialis communis Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd potestas non habeat, nec habere possit scriptorem, siue notarium preterquàm de ciuitate Nouariæ, siue iurisdictione, qui occasione scribendi vel exercendi officium notariæ aliquid debeat habere vel lucrari de here communis, vel alterius subditi. Et quòd non possit ipse potestas, vel iudex, vel miles eius habere aliquem notarium causa exercendi aliquod officium, siue causa scribendi, nisi fuerit officialis communis Nouariæ, excepto vno cancellario ad maleficia, quem habere possit: & etiam debeat tenere ad dictum officium suis expensis, & istud capitulum non possit relaxari, etiam consilio seu voluntate totius credentiæ.

*Ne quis de familia potestatis possit habere aliquod officium communis Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd potestas alicui de sua familia vel stipendiario non possit dari facere aliquod officium: sed bona fide prohibere teneatur quod aliquis de secum morantibus: nec aliquis stipendiarius ad aliquod officium aspirate: nec occasione alicuius officij possit aliquid percipere, vel lucrari, exceptis his quæ dantur cõtra vetita communis Nouariæ de quibus habere debeant eorum partem, prout ordinabitur in credentia, & non vltra: & exceptis his quæ per statuta sint concessa.

*Nec potestas, nec aliquis de sua familia, esse possint in detrimentum communis.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ, & eius assessor, & miles, & familia, non sint, nec debeant esse spiæ nec guidæ ad damnum ciuitatis Nouarię, & ad proficuum inimicorum communis Nouarię.

*De seruando honore & iurisdictione Nouariæ & hominum Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ, qui nunc est, & per tempora fuerit, teneatur & debeat, durante eius officio & regimine, & finito adiuuare, defendere, & manutenere omnem honorem iurisdictionis Nouarię, & hominum ciuitatis Nouarię, & maximè illorum de ciuitate & districtu.

*Ut nihil dicatur volentibus emere ad lapidem broreti communis Nouariæ.*

MALITIIS hominum obuiantes, præsenti pagina ordinare curauimus, quòd aliquis non
audeat, nec præsumat dicere alicui, qui vellet emere ad incantum aliquid ad lapidem bro
reti communis Nouariæ, quòd non debeat ea emere, & qui contrafecerit componat pro
banno & det communi Nouarię, soldos cẽtum imperialiũ pro qualibet vice. Et de hoc de-
tur plena fides cuiq; qui dixerit & accusauerit sibi dictũ fuisse per aliquẽ; dum tamen sit ho
mo bonæ opinionis. Et quòd aliquis qui non sit subditus communi Nouariæ, & onera com
munis non sustineat, non admittatur ad incantum, nec possit incantare sub eadem pœna.
Et potestas, miles, vel officialis alius, qui talem prohibitum admiserit ad incantum, pœ-
nam incurrat librarum decem imperialium, ad quã potestas teneatur pro quolibet de sua
familia. Et quòd dictus incãtus aliter factus sit nullus, & nullius valoris ipso facto & iure.

*De eodem.*

ITEM quòd aliquis, qui non sit subditus communi Nouariæ, & onera nõ sustineat cum com
muni Nouariæ, non possit in consilio nec arengo, vel alio loco, aliquid incantare, vel eme
re ad incantum. Et potestas, & iudex, miles, & quilibet alius officialis communis Nouariæ,
existens, prædictos ad incantum admittere non valeant, nec aliquid vendere tali incãtanti.
Contrafacientes, tã officiales quàm incantantes, puniantur pro quolibet & qualibet vice,
scilicet, potestas in libris vigintiquinq; & quilibet officialis suus in libris viginti imperialiũ

de

de salario potestatis. Et incantans in libris decem imperialium. Et si fuerit soldatus soldum illius mensis vltra prædicta amittat, & incautus nõ valeat, & quilibet posit accusare, & lucretur, & habeat medietatem accusationis, & alia medietas sit communis Nouariæ.

*Vt quilibet possit venire, ad studendum, non obstantibus aliquibus repræsalijs.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd quilibet, vndecunque sit, possit liberè & securè, non obstantibus aliquibus repræsalijs, & contracambijs datis, vel dandis, venire ad ciuitatem Nouarię ad studendum in qualibet scientia, & morari, & redire ipse & nuntij sui; dummodo non sit de liberis alicuius rebellis, vel hostis communis Nouariæ.

*Vt quælibet persona alterius iurisdictionis, quæ venerit habitare in Ciuitate Nouariæ, vel districtu, sit immunis.*

ITEM Statutum & ordinatum est quòd quælibet persona alterius iurisdictionis, quæ non sit bannita a prælibato & Illustrissimo Domino nostro, vel a communi Nouariæ, de maleficio possit, & sibi liceat venire, & stare & habitare in ciuitate Nouarię, & in suburbijs ciuitatis, & in burgis, castris, & villis, cassinalibus, & molandinis iurisdictionis & communis Nouarię, liberè & securè cum personis & rebus; & quòd ille personę, alterius iurisdictionis quæ venerunt & steterunt: & quę de cetero venient & stabunt cum familijs suis, vel sine, in ciuitate Nouarię, seu in suburbijs, & burgis, & castris, & villis, & cassinalibus, & molandinis iurisdictionis Nouariæ, non teneantur, nec debeant soluere fodrum, nec onera realia sustinere in Nouaria, vel in districtu vsque ad annos quinque, numerandos vsque a die qua venerunt, seu venient stare, & habitare iu Nouaria, vel in districtu vt supra. Ita tamen quòd si voluerit dicta persona sic veniens gaudere beneficio pręsẽtis statuti, teneatur, & debeat se facere extimari, & describi in extimo facultatis Nouariæ, infra sex menses, a tempore sui aduentus computandos.

*Vt omnes ciues, qui habitant in alienis iurisdictionibus emant domos in Ciuitate Nouariæ.*

ITEM statutũ & ordinatum est quòd omnes origines alterius iurisdictionis effecti ciues Nouariæ: & tamen habitantes in alienis iurisdictionibus, seu aliena iurisdictione, cogantur per potestatem Nouarię omnibus remedijs iuris ad emẽdum domos in ciuitate Nouariæ vel suburbijs ciuitatis infra annum vnum, proximè veniẽtẽ, & nisi in talis vel tales infra dictum terminum domum emerent, vel aliud prædium in districtu Nouariæ, saltem vsque ad valorem librarum centum imperialium, dicto casu, quò ad honorem & cõmodum, pro ciue & ciuibus non habeantur, neque tractentur, sed quò ad onera vt ciues astringantur.

*Vt quilibet præsentanti lupum grandem dentur soldi viginti imperialium.*

ITEM statutuerũt & ordinauerũt quod quicũque portauerit in fortia cõmunis Nouariæ, aliquem lupũ grandem, habeat de here communis Nouarię soldos viginti imperialium: qui verò acceperit lupum paruum, & portauerit in fortia communis Nouariæ, vt supra, habeat tantùm soldos decem imperialium, & non vltra. Et pellem etiam habeat portans siue grandem siue paruum.

*De non cogendis hominibus ad mutuum vel taleam faciendam.*

ITEM statutum est quòd neque potestas, nec eius assessor, nec miles, nec consilium, nec cõmune Nouariæ, possit aliqo modo, vel ingenio, quòd dici, vel excogitari possit, cogere aliquam singularem personam, collegium, vel vniuersitatem Nouariæ, vel districtus, ad aliquod mutuum in pecunia, vel alia re, vel depositum, vel commodum faciendum: nec ad aliquam taleam facere vel dandam: nisi ipsa talea sit fodrum communis, & communiter positum inter homines Nouarię & districtus. Et istud capitulum sit pręcisum, & non possit remoueri, nec relaxari aliquo modo, vel ingenio, vel sophismate, qui dici vel excogitari possit: etiam per consilium vel arengum. Et si potestas, & eius assessor & miles contrafecerint, vel fieri passi fuerint, priuetur potestas de suo salario qualibet vice de libris decem imperialium, quæ deueniant & remaneant in commune Nouarię. Et si quis contra pręd icta arengauerit, vel concionatus fuerit, condemnetur & condemnari debeat per potestatẽ Nouarię incontinenti in dicto consilio in libris decem imperialiũ dandis

dandis & soluendis incontinenti communi Nouariæ, antequam ipse concionator descen-dat de palatio, prohibitione istius statuti nihilominus in suo robore duratura. Salua volun tate prælibati Domini vtsupra.

### *De quantitate fodri exigendi a commune Blandrate.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouarię, teneatur exigere & habere a communi & hominibus Blandratæ pro fodro libras viginti imperialium, totiens quotiens per commune Nouarię, fodrum impositum fuerit ciuibus Nouariæ. Et hoc capitulum non possit relaxari modo aliquo. Saluo quòd obseruetur sententia lata iam intra communitatem Nouariæ & dictam communitatem Blandratę, pro quo obligantur ad censum annuum in libras centum imperialium.

### *Quòd bona cuiuslibet sint obligata pro fodris, taleis, & oneribus.*

OMNES domus, terrę, & possessiones, bona, iura, & res cuiuslibet singularis personæ, vel plurium, vel vniuersitatis, obligationis, vel congregationis ciuitatis Nouariæ, & episcopatus, seu districtus Nouariæ. Et quæ teneantur & posside antur per eos, vel per aliquem eorum, semper sint, & esse intelligantur expressò, obligatę, & obligata, & obnoxiate, & obnoxiata communi Nouariæ ad fodra, taleas, & impositiones, & condicia. Et generaliter ad omnia munera & onera, quę de cetero in aliquo imponerētur per commune Nouarię soluenda, & præstanda, & subeunda communi Nouarię. Saluis his quæ in sequentibus statutis dicuntur.

### *De eodem.*

ITEM statutum est quòd si aliqua persona emerit, vel alio titulo acquisiuerit, aliquam rem immobilem alicuius personę: quæ persona tempore dictæ acquisitionis non esset debitrix communi Nouariæ pro aliquo fodro, talea, seu aliquo alio onere, quòd illa persona, quę illam rem acquisiuerit, non teneatur, nec inquietari possit realiter, nec personaliter, pro illa persona, cuius fuerit dicta res pro aliquibus fodris, taleis, & oneribus, quæ post dictā acquisitionem imponerentur vel impositæ essent illi personæ cuius fuerit dicta res. Si verò dicto tempore acquisitionis dicta persona dictę rei, cuius ipsa fuit, tenebatur communi Nouariæ pro aliquibus fodris, taleis, vel oneribus: in quibus oneribus non contineantur banna, nec condemnationes, vel si aliqua fodra vel onera imposita erant per commune Nouarię illi personæ, cuius dicta res fuit tempore alienationis vel acquisitionis, quòd illa persona acquirens possit cum effectu conueniri pro dicta re acquisita pro omnibus illis oneribus, quæ iminebant, & imposita essent illi cuius dicta res fuit tempore dicti acqui sti, de quibus oneribus teneatur: in quibus oneribus non contineantur banna, nec condem= nationes, quauis de causa factæ, seu facta. Quæ conuentio & executio hoc modo fiat. Iu= dex exactor communis Nouariæ primò teneatur requirere ex suo officio personaliter, vel ad domum habitationis suæ, personam debitricem, cuius res alienata fuit, si dicta persona habitauerit a Gaudiano, Romagnano, vel Arona inferius inclusiuè: & si dicta persona non venerit infra terminum sibi datum: quòd tunc iudex exactor possit conuenire possessionē prædictam: & tenentes & possidētes res prædictas, & dictus iudex ad petitionem dictę per sonę possidentis, dare teneatur terminum pręsentandi principalem personam, & dare di ctę personę fauorem & auxilium de familia domini potestatis, ad inueniendum & præsen tandum dictum debitorem. Qui terminus sit octo dierum ad minus, si debitor habitaue= rit in Nouaria vel suburbijs: vel quindecim dierum ad minus, si habitauerit extra ciuita= tem & suburbia, vltra dicta confinia Gaudiani, Romagnani, & Aronę. Et si dictus posses= sor dictum debitorem infra dictos terminos consignauerit, & soluendo, nō possit inquieta ri pro oneribus illius debitoris. Si verò eū non consignauerit vel soluere nō poterit, possit dictus possessor cum effectu exigi, capi, & detineri, & remedijs iuris cogi, debita & onera, quæ debebat illa persona, cuius res illa quam possidet fuit tempore acquisitionis primi acquisitoris, quando primo res exiuit de bonis illius. Et hoc vsque ad præcium vel valorem quo dicta res fuerit acquisita, seu valebat tempore primi contractus: quę res exiuit de bo nis debitoris: nec liberetur possessor volendo rem dimittere: sed teneatur possessor illa onera sustinere, & soluere vsque ad valorem medietatis pręcij seu valoris dictæ rei quam possidet vtsupra.

De

## De eodem.

ITEM statutum est quòd si sunt plures possessores rerum alienatarum, seu acquisitarum ab aliquo debitore communis, prædictis de causis, vel quæ fuerit dicti debitoris communis, quòd dictus iudex teneatur & debeat dictos possessores conuenire in maiori qua poterit quantitate modis omnibus,& ad solutionem complere eius quod dare debeat, prout superius dictum est, persona cuius fuerit res prædicta,

## De eodem.

ITEM quòd iudex exactor, auctoritate communis Nouariæ, teneatur cedere omnia iura communitatis Nouariæ cuilibet possessori, qui solueret pro aliquo debitore ratione rei quam posſidet: & talia qualia dictum commune habebat. Et hoc contra ipsum debitorem & eius heredes, & bona, & iura: & contra omnes alios possessores bonorum, & rerum, & iurium illius debitoris: & teneatur dictus iudex talem executionem facere in fauorem, & ad petitionem illorum, quibus cesserit dicta iura: qualem facere deberet si dicta pecunia deberet peruenire in communi Nouariæ. Ita quòd dictus dominus potestas, & futuri, & eorum iudices, & milites, & familia teneantur, & debeant capere, & detinere ipsum debitorem, & alios possessores bonorum, rerum, & iurium dicti debitoris ad petitionem illius, vel illorum cui & quibus fuerint iura cessa per dictum commune contra dictum debitorem, perinde ac si essent spontè condemnati.

## De eodem.

ITEM si aliquis emeret vel alio titulo acquireret aliquam rem immobilem alicuius debitoris, prædictis de causis communis Nouariæ: & quod esset obligata communi Nouariæ, iure dictę acquisitionis,& ille acquisitor haberet ad defensionem dictæ rei iura antiquiora & præcedentia, etiam tempore impositionum onerum communis Nouarię: quòd dictus acquisitor posſit dictis iuribus vti, & pręferatur communi Nouarię vsque ad quantitatem ipsorum iurium,& in eo quod dicta res reperirerur plus valuisse, vel maioris pręcij fuisse tẽpore primę acquisitionis, quòd vsque ad medietatem valoris teneatur soluere dicta onera pro vero dictę rei debitore vt supra: & sibi debeant cedi dicta iura vt supra.

## De eodem.

ITEM quod si persona debitrix communis Nouariæ habitauerit a Gaudiano, Romagnano, vel Arona superius, vel non habeat certum habitaculum, vel habitat extra districtum Nouarię, posſit dictus Iudex facere executionem prędictam contra possessores bonorum eius, absq; eo quòd faciat ipsam personam requiri; & absq; eo quòd faciat aliquem terminum dare possessoribus petendi principalem debitorem.

## De eodem.

ITEM quòd prędicta statuta locum habeant in alienationibus factis in subditis communis Nouariæ: & donec dicta res remanserit in eorum dominio, si autem dictę res peruenirent in domino non subdittorum iurisdictioni communis Nouarię, habeat locum dictum statutum, omnes domus prout iacet,& tunc in eo casu sint adeo obnoxiatę,& intelligantur, communi Nouarię quòd super eis posſit exigi tam fodrum, quàm alia specialis præstatio, si onus esset mere reale,& impositum rei tantùm,& non personę pro rebus.

## De eodem.

ITEM statutum est quòd si aliqua persona decesserit, non derelicto herede, siue ex testamento, siue ab intestato, vel relicto tali herede, qui vel quæ non sit soluendo in totum iuxta estimum factum in personam illius cui successit; quòd tunc & eo casu bona decentis sint obligata communi Nouariæ pro fodris, taleis, & alijs oneribus impositis, seu imponendis per Dominum siue commune ciuitatis Nouariæ, vsque ad quinque annos, computandos a morte decedentis. Ita & taliter quòd cuiuscunq; possessor dictorum bonorum, vel ad quem venerit de dictis bonis, posſit compelli & constringi ad soluendum & substinendum prædicta onera, pro rata dictorum bonorum non obstante eo quòd possessor prędictus, vel alter, ad quem peruenissent dicta bona ante fuisset & esset in estimo, & substinuisset, & substineret onera communis pro alijs bonis, seu alio quocunque modo

Et in-

Et intelligatur decedere sine herede, quantum ad prædicta, qui decesserit non instituto herede, vel non relicto aliquo agnato, vel cognato, vsque ad quartum gradum, & executio fiat secundum formam præcedentis statuti, videlicet, quòd ante conueniantur heredes & eorũ bona excutiantur, quàm perueniatur ad bonorũ possessores, vel qui ea possedissent.

### *De debitis fodris.*

ITEM teneatur potestas, bona fide, sine fraude, omnia debita, ficta, & fodra, quæ debentur, siue debebuntur communi Nouariæ, infra quindecim dies post terminũ, excutere capiendo, & detinendo debitorem, & bona eius omnibus iuris remedijs: & sit præcisum.

### *Quod dominus Potestas, nec eius iudices non possint compellere aliqua communia nec singulares personas ad præstandum aliquam securitatem contra formam statutorũ.*

ITEM statutum est quòd dominus potestas Nouarię, & sui iudices, non possint, nec debeant compellere aliqua communia, seu singulares personas Nouarię & districtus, ad prestandum vel faciendum aliquam securitatem de aliquid faciendo vltra securitates, quæ fiunt ex forma statutorum: Et quod notarij non possint de aliquibus securitatibus, quas traddauerint, solutionem aliquam recipere, nisi de illis quæ taxatæ sunt per formam statutorum, quę fiunt & fieri debent quando sequellę fiunt: & in sequella domini potestatis fiant securitates, & describantur. Et quòd dominus potestas in securitatibus, quas recipiet, non possit imponere maiorem pœnam, quam contentam in statutis. Et si contingeret dominum potestatem, vigore aliquorum mandatorum domini, vel alio modo, ab aliquo seu aliquibus, aliquas securitates recipere, quòd tunc, & eo casu pro ipsis securitatibus præstandis, notarij aliquid recipere non debeant. Et prędictum statutum locum non habeat in maleficijs. Salua voluntate prælibati Domini vt supra.

### *De oneribus per filios emancipatos.*

ITEM statutum est quòd filij emancipati, seorsum habitantes a patre, teneantur, & debeant sese facere extimari, sub pœna soldorum centum imperialium pro quolibet. Quod statutum locum habeat in filiis emancipatis, seorsum habitantibus tempore estimationis proximè de nouo factę seu reformatæ. Filij verò emancipati, seorsum habitantes post dictam extimationem, teneantur soluere fodra & onera alia realia, seu mixta substinere pro portione estimationis patris cum ipso patre, filij autem non emancipati viuente patre extimari non debeant, nec teneantur ad fodra, siue habitent cum patribus, siue non. Et si extimatio facta esset, non valeat nec teneat, sed debeat de libris communis nouarię cancellari.

### *Qualiter plures simul vel separatim extimari debeant.*

ITEM statutum est quòd omnes personę diuisę, vel singulariter extimentur. Saluo eo quod supradictum est de filio emancipato. Simul verò habitantes in simul, & non diuisim, extimentur.

### *De oneribus substinendis a rusticis.*

ITEM statutum est quòd si aliquis rusticus, vel burgensis, venerit habitare in ciuitate Nouarię, vel in burgis coherentibus ciuitati Nouariæ, teneatur soluere onera illius loci, siue burgi, in quo habitat per totum illum annum in quo recessit, perinde ac si staret, & solueret partem sibi contingentem totius debiti illius loci a quo recessit, postmodum stando in ciuitate Nouariæ, vel in aliquo burgo coherenti Nouarię, & hoc ad illam extimationem quę erat extimata quando recessit, ita quod extimatio aliorum hominum illius loci a quo recessit non minuatur nec augeatur.

### *De rusticis & burgensibus volentibus permanere ciues.*

RVSTICI & burgenses episcopatus Nouarię, qui venerint ad habitandum in ciuitate Nouariæ, vel suburbijs, si voluerint permanere ciues, poni debeant in extimatione & extimari debeant hoc modo, videlicet, quòd infra vnum mensem a tempore quo venerint habitare in ciuitate Nouariæ, vel suburbijs, teneantur & debeant ire ad potestatem, vel eius vicarium: qui potestas vel eius vicarius debeat & teneatur mittere pro cõsulibus illius loci vel burgi in quo habitabant dicti burgenses, vel rustici, & sibi facere deferri extimũ

illorum

illorum burgensium vel rusticorum, & communis burgi, vel villæ, & debeant sibi facere notificari quid & quantum soluere solebant dicti burgēses & rustici in dicto burgo, vel villa, seu loco, cum suo communi de fodro, siue talea tunc existenti, & imposita per commune Nouariæ, & extimari debeant per dictum dominum potestatem, vel eius vicarium, cum quatuor extimatoribus Nouariæ, elligendis per ipsum dominum potestatem, vel eius vicarium, vnum pro qualibet porta, secundum extimationem & computum ad quem solebant cum dicto communi, vel villa, vel loco. Et teneatur habitare in Nouaria vel suburbijs ciuitatis Nouarię cum vxoribus & filijs, & cum sua familia continuè per decem annos, pręter quàm a sancto Bernardo vsque ad sanctum Gaudentium de Augusto, quo tempore possint stare ad villam, seu burgum cum famulis suis, & a medio mensis Septembris vsque ad Calendas Nouembris. Et si ita non habitauerint, & ita non obseruauerint, teneantur, vt rustici siue burgenses, soluere fodra, taleas, & scuffia, & alia quæuis onera cum burgensibus & rusticis. Et quòd elapsis prędictis decem annis, si iuerint ad habitandum in dictis burgis, vel villis cum eorum familijs, & habitauerint pro maiori parte anni, teneantur vt Burgenses, & rustici prædicta fodra, taleas, & onera soluere & sustinere cum burgensibus siue rusticis. Et istud statutum locum habeat tantùm in burgensibus & rusticis, qui a tempore publicationis istius statuti venerint ad habitandum in ciuitate Nouarię vel suburbijs. In alijs verò qui ante istud statutum venerunt ad habitandum in Ciuitate Nouarię, & suburbijs, locum habeant statuta vetera loquentia de rusticis & burgensibus volentibus permanere ciues.

*Quòd habitantes in districtu Nouariæ, si fuerint extimati per se, vel ascendentes in aliqua parochia ciuitatis, & ibi soluerit fodra per decem annos, non teneantur subire &c.*

ITEM quòd si aliquis habitans in districtu Nouariæ per se, vel patrem, vel auum, seu pater, vel auus steterit vel fuerit extimatus in aliqua parrochiarum ciuitatis Nouariæ per annos viginti proximè præteritos, & soluerit fodra & onera sustinuerit cum communi Nouariæ tanquàm Nobilis, seu ciuis, quòd ad soluendum seu sustinendum onera cum villa vel loco in quo habitat, seu cum vicinis dicti loci, non teneatur, nec cogi possit. Et potestas ipsum extimatum sic defendere, & procedere teneatur ad cōdemnandum commune & homines loci contrafacientis.

*Quòd communia locorum per se extimata de cætero separatim, per se censeantur in fodris & oneribus.*

CVM dicantur esse aliqua loca in episcopatu Nouariæ, vel districtu, quæ olim, non aliàs consueuerunt censeri per se, sed cum alijs communitatibus vel vniuersitatibus episcopatus vel districtus Nouariæ, nunc verò per se separatim soluant & substineant taleas, & huiusmodi onera incumbentia alijs communitatibus & vniuersitatibus prædictis: statuerunt & ordinauerunt quòd prædicta loca separatim, & per se censeantur, & habeantur ab alijs communitatibus & vniuersitatibus episcopatus Nouariæ & districtus, in taleis, fodris, scuffijs & omnibus alijs oneribus cuiuscunq; generis: Ita & taliter quòd nullo modo cogi possint cum ipsis alijs communitatibus & vniuersitatibus subire & sustinere communiter vel aliquod eorundem. Sed communitates & vniuersitates sint per se, huius præsentis statuti auctoritate: & possint omnia illa facere, quæ ceteris communitatibus competunt quoquo iure. Et insuper teneantur consules facere sub pœna soldorum viginti imperialium pro quolibet capite domus habitanti dicto loco. Et hoc statutum nihil præiudicet debitis & obligationibus iam cōtractis, quibus homines dictorum locorum, & eorum prędecessores, essent aliqualiter obligati, quibus dicti homines extiterunt obligati.

*De habitantibus Sorixij habendis quò ad fodrum vt burgenses.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd homines qui habitant, & pro tempore habitauerint in Sorisio, seu territorio, & curia Sorisij super poderio hominum Nouarię, vel hominum iurisdictionis Nouariæ, quò ad fodrum soluendum communi Nouarię, habeantur vt burgenses. Salua omni ratione hominum Nouarię in honore, districtu, & iurisdictiione, & in omnibus alijs, sicut ante habebant. Nec propter hoc statutum sit e iis aliquod pręiudicium generatum in aliqno.

De

*De extimationibus illorum qui extimati non fuerint, faciendis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd omnes homines ciuitatis Nouarię & suburbiorum coherentium ciuitati, qui vel eorum patres, vel aui non essent in extimatione pro fodro communi Nouariæ soluendo, infra octo dies proximos, cum impositio de fodro soluendo publicè fuerit facta, veniant coram potestate, vel suo iudice, siue nuntijs, ad hoc pro communi Nouarię constitutis, & se faciant extimari, & qui non obseruauerit prædicta det pro banno pro qualibet vice quòd imponeretur fodrum soldos viginti imperialium, si habet de bonis libras vigintiquinque imperialium. Et si habet de bonis a libris vigintiquinque imperialium vsque ad libras centum imperialium, det pro banno libras tres imperialium: & si a libris centum supra, det pro banno arbitrio potestatis, sed vltra libras decē imperialiū excedere non possit, & idem teneātur facere burgi, villæ, & vniuersitates, & quælibet cōmunia locorum, quæ non essent extimata, vt supra, sub pœna librarum vigintiquinq; imperialiū pro quolibet burgo, & librarū decem imperialium pro qualibet villa, & qualibet communitate loci, & soldorū viginti pro quolibet consule, & pro qualibet vniuersitate librarum quinquaginta imperialium. Et nihilhominus dominus potestas teneatur facere extimari prędictos non extimatos, & ponere eorum nomina in extimatione in libro facultatum communis Nouarię, & quandocunque requirentur parrochiani parrochiarum ciuitatis Nouarię & suburbiorum, & consules burgorum, & villarum, & quorumlibet communium, & vniuersitatum, quòd dare debeant in scriptis omnia nomina eorum qui sunt in parrochijs eorum, & omnia nomina nobilium habitantium in burgis, & villis, seu locis communitatum & vniuersitatum prædictarum prædicti parrochiani infra tres dies, postquàm petitum fuerit, nomina & cognomina de suis parrochijs, tam masculorum quàm fœminarum, sub pœna soldorum viginti imperialium pro quolibet parrochiano, & qualibet vice. Consules verò burgorum, & villarum, & vniuersitatum, & aliorum locorum quarumlibet communitatum debeant dare nomina nobilium prędictorum habitantium in dictis eorum burgis, villis, & locis suprascriptis, infra octo dies proximos postquàm fuerint requisiti, sub pœna soldorum viginti imperialium pro quolibet consule, & librarum quinque imperialium pro quolibet communi, & qualibet vice, & pro qualibet vniuersitate librarum decem imperialium, & quilibet de prædictis possit accusare, medietas sit accusatoris & alia medietas sit communis Nouarię. Et istud statutum legatur in arengo in qualibet impositione fodri. Et nihilhominus facta extimatione de eis teneantur ad solutionem fodrorum & talearum communis Nouariæ, abinde retro impositorum, secundum extimationem de ipsis factam, vt supra, a die pręsentationis præsentis statuti in antea. Et quòd quilibet volens fieri ciuis Nouariæ de cetero non admittatur ad ciuilitatem, nec describatur in numero ciuium, nec tanquam ciuis reputari possit, nisi soluerit prius, & ante ipsius admissionem communi Nouarię libras vigintiquinque imperialium, quæ expendantur in necessitatem & ornamētum palatij, & non in alia, etiam si per litteras ducales contingeret aliquem fieri ciuem.

*De extimationibus illorum qui extimati non fuerint, faciendis.*

*De eodem.*

ITEM ad examinandum eos, qui non fuerint extimati, vt supra, teneatur dominus potestas siue rector, elligere, & habere penes se secrete; & priuatim quatuor bonos homines ciuitatis Nouarię, vnum pro qualibet porta qui extiment eos secretè priuatim, & iurent eos extimare bona fide & possit dictos extimatores mutare, & elligere de nouo ad suam voluntatem. Extimatio verò burgorum, & villarum, & vniuersitatum, & communium non extimatorum, debeat fieri per octo bonos viros, iurantes vt supra, scilicet duos pro porta.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd omnes homines & personæ, cuiuscunq; conditionis existant, non soluentes fodra, & alia onera non sustinentes cum communi Nouariæ, teneantur pro terris, & possessionibus, & bonis alijs, quæ & quas habent, vel acquisiuerunt in territorio, vel iurisdictione Nouariæ, soluere fodrum dicto communi, & alia onera sustinere cum dicto cōmuni, de rebus in territorio acquisitis a ciue, vel nobile: seu cum communi in cuius territorio dictæ terrę & possessiones sunt sitæ, de rebus acquisitis a burgense, vel rustico prędicti loci in cuius territorio acquisitę consistunt: & curare cum effectu quòd ipsi

&

& quilibet eorum, ponantur in extimatione, & extimentur ratione acquisitarum per eos super iurisdictione Nouarię, quod si non fecerint, eis iustitia non reddatur in ciuilibus, & eorum massarij & laboratores terrarum teneantur soluere pro eorum dominis a quibus laborant terras, vel domos, vel prata tenent, quas habent in iurisdictione Nouarię, fodra, taleas, & alia onera realia substinere.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est infallibiliter obseruari, pro omnibus terris, sediminibus, & possessionibus reiacentibus in burgis, villis, locis, & cassinalibus iurisdictionis Nouariæ, vel in eorum territorio, seu curijs, debeant soluere & substinere fodra & onera communis Nouariæ, cum communi & hominibus illius loci in cuius territorio, vel curia dictæ terrę, & possessiones consistūt, siue laborentur per vicinos, & sint vicinorum, siue laborentur per extraneos, & sint extraneorum. Nec per hoc intelligatur quòd domini, nobiles, castellani, vel ciues Nouariæ soluant, vel soluere teneantur cum vicinis, vel Burgensibus, de eorum terris & possessionibus, quas habent vel acquirent in futurum.

*De eodem.*

ITEM denique prouisum est, statutum, & ordinatum, quòd omnes terræ, & sedimina & possessiones districtus Nouariæ, vel iurisdictionis Nouariæ, quę alienatę sint in pręteritū, vel alienarentur in futurum in non subditos, & non habitantes in Nouaria, vel districtu, & non soluentes fodrum, & alia onera non substinentes cum communi Nouarię, sint præsentis statuti auctoritate obligatę, astrictæ, & obnoxiatę, ad soluēdum & ad substinēdū fodra & onera cū cōmuni Nouarię: & hominibus illius loci in quo vel cuius territorio dictę terræ, vel possessiones, consistunt: facta computatione de terris quas habent & tenent vicini dicti loci pro rata cum ipsis vicinis, & cum terris & possessionibus vicinorum, modium pro modio, & valorem pro valore.

*De eodem.*

ET consules, & commune, & homines locorum in quorum territorio sunt, debeant ipsas inquirere, & extimare, & exigere super ipsis terris, & eorum fructibus & solutionem accipere & massarios illarum terrarum & possessionum cogere.

*De eodem.*

ET quia possessiones de facili reperiri via, per quam illi qui non sunt subditi cōmuni Nouarię, & nec soluunt fodrum, habentes possessionem in districtu & iurisdictione Nouariæ, ea fictione sub aliquo venditionis titulo, donationis, vel alienationis, seu sub alio figmento, seu colore quesito, facerent fieri cartam alienationis, vel dominij seu possessionis trāslationis in aliquem ciuem, seu districtualem ciuitatis Nouariæ: vel in aliquem soluentem, vel non soluentem fodrum cum communi Nouariæ. Et sic ille non subditus, interuentu subditi, vel Nouariensis godiret terras vel possessiones fraudulenter. Idcirco prouisum, & statutum est quòd illæ terræ, quæ sunt non subditorum communis Nouariæ, sint ex toto sic astrictę, & obnoxiate ad fodra omnia, & onera quæ imponuntur per commune Nouariæ, in cuius loco & territorio consistunt, quod nō prosit eis alienatio, vel dominij translatio, quę fieret, vel quæ facta reperiretur, sed pręcise, & expressè soluere, & ad soluendum fodra & onera cum communi illius in cuius loco, territorio, vel curia consistunt, ad omnia fodra & onera, quę imponerētur ipsis terris, & possessionibus, vel occasione dictarū terrarum, & possessionum per ipsum commune Nouarię, vel per illum locum in cuius loco vel territorio dictę terræ, sedimina, & possessiones consistunt, infra terminum qui ad soluendū prefigetur, & cum pœna quarti post terminum. Et quòd dominus potestas, & eius vicarius & quilibet ipsorum, teneantur, & debeant per iuramentum cuiuscunque personæ aliquod instrumentum venditionis, alienationis, cambij, vel donationis, siue alterius tituli habilis ad translationem dominij, & per probationes, & per indicia, & argumenta, & alijs modis omnibus quibuscunque, quibus viderint expedire, de prædictis veritatem inquirere: etiam sine aliqua iudicij solemnitate. Et si aliquis deprehensus fuerit de periurio, vel mēdacio, puniatur & condemnetur in florenis quinquaginta, applicandis cameræ prælibati Domini pro medietate, & pro quarta parte communi Nouariæ, & pro alia quarta parte accusatori.

*De eodem.*

ITEM quòd si dicta fodra & onera non fuerint soluta, non liceat alicui districtus Nouariæ, vel aliũde post denuntiationẽ factã super solutione fodrorũ, vel aliorum onerum, ipsas terras, & possesiones, & sedimina tenere, & habitare vel laborare, vel fructus inde amouere, quousque de prædictis oneribus, cum quarto, & expensis fuerit plenariè satisfactum, sub pęna & banno librarum vigintiquinq; imperialium pro qualibet persona, & qualibet vice. Et nihilominus boues, & animalia, & instrumenta, quę reperirentur ad dictum laborerium impunè possint capi, & sint capientium.

*De eodem.*

ITEM quòd dominus potestas Nouarię, qui est, & per tempora fuerit, & eius iudices & familia, & consules iustitię & alij præsidentes regiminis ciuitatis Nouariæ, teneantur pręcisè ad obseruantiam prędictorum, & contra prædicta statuta, vel aliquòd prædictorum, litteras, præcepta, & Inquisitiones, & banna, processus, vel condemnationes facere non debeant, nec facta exigere. Et si fecerint non valeant, nec teneant, sed sit irritum ipso iure.

*De eodem.*

ITEM quòd pro prędictis statutis, ordinationibus, vel prouisionibus, nihil diminuatur de statutis loquentibus contra illos qui vendiderunt aliquid, vel venderent in futurum, scilicet terras, & possesiones, & sedimina alicui non subdito communi Nouarię, ac etiam contra illos qui emerunt vel emerent in futurum vt supra. Et qui non sunt subditi communi Noariæ, & cum communi Nouariæ onera non substinent.

*Vt onera communis substineantur per subditos, pro illis qui secum habitant non soluentibus, & onera non substinentibus.*

ITEM statutum est quòd si plures personæ simul habitauerint, quarum aliquę non sint sup-
positæ iurisdictioni communis Nouariæ, & eis imponatur per cõmune Nouarię aliquod fo
drum, vel talea, vel aliquod aliud onus reale, personale, vel mixtũ, cõmuniter, vel diuisim,
quòd illud fodrũ, vel talea, vel onus impositũ videatur illi persona, vel illis quę est vel quę
erit supposita iurisdictioni communis Nouarię ad illud fodrum vel taleam persoluendam,
vel onus subeundum, insolidum teneãtur, & debeant, & posint cogi per cõmune Nouariæ.

*De fodris dominorum soluendis per massarios.*

ITEM quòd si aliqua persona non subdita communi Nouariæ habuerit terras & possesio-
nes vel domos, ficta, vel iura in Nouaria, vel districtu: & illi personæ imponatur aliquod
fodrum, talea, vel aliquod aliud onus reale, vel personale, vel mixtum, per commune No-
uariæ quòd ad illa fodra, taleas, & onera, teneantur, & sint obligata omnia iura, & bona,
terrę, & possesiones. Et quòd tenentes, & laborantes dictas terras, & possesiones, & iura
teneãtur, & debeant, remedijs iuris, cogi ad ipsas taleas, fodra, & onera persoluenda. Sal-
uo statuto posito sub rubrica de eodem.

*Vt rusticus vel burgensis teneatur soluere fodrum in burgo vel villa in quibus habitat, vel habitauerit.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd quilibet burgensis vel rusticus teneatur soluere fo-
drum, & onera sustinere, cum burgo, vel villa in qua habitat, vel habitauerit, & non cum
ciuitate Nouariæ, licet cum ciuitate Nouariæ vel suburbijs fuerit extimatus, non obstanti-
bus aliquibus priuilegijs, vel reformationibus in contrarium datis, vel factis per commu-
ne Nouarię a decem annis citra, quæ tanquam speciales, & specialia, & iniquè, & iniqua,
effectu careant ipso iure. Et quòd intelligatur si tales rustici vel burgenses non fuerint ex-
timati secundum formam statuti, sub rubrica de rusticis & burgensibus volentibus perma-
nere ciues positum superius.

*De rusticis & burgensibus euntibus habitatum de vno loco ad alium.*

ITEM statuerunt & prouiderunt, quòd si aliquis burgensis vel rusticus recesserit de aliquo burgo, vel villa iurisdictionis Nouarię, & iuerit ad habitandum ad alium burgum, vel villam dictæ iurisdictionis, quòd ipsi sic recedentes teneantur & debeant soluere

omnia

omnia onera realia, seu mixta, ac soluere fodra, ac taleas, & cuiuscunque alterius generis onera cum communi burgi, vel villæ, a quo recesserit: quousque post eius recessum fiet per commune Nouariæ extimum nouum. Saluo quòd de custodijs quæ fierent in ipso loco vnde recesserit nõ teneatur: ad custodias, autem quæ fierēt in loco ad quem iuerit habitatum teneatur statim ex quo ad ipsum locum iuerit habitatum. Post verò dictum extimum nouũ factum per commune Nouariȩ, & non ante, teneatur ad omnia onera prædicta sustinere cũ communi burgi, vel villȩ loci in quo habitabit tempore ipsius extimi noui, & nõ cum ipso loco a quo recedet. Si verò ipsum commune burgi vel villȩ a quo recedet aliqua debita faciet ante ipsum extimum nouum, quòd ipsi recedentes teneantur pro modo sui extimi ad dicta debita quæ sic fient: & non ad debita quȩ fierēt per commune burgi, vel villȩ, ad quem iuerit habitatum, non ad ea quȩ fient per commune burgi vel villæ vnde recesserint: nec cogantur illi qui recesserunt, redire ad ipsum locum a quo recesserint.

## *De eodem, & vt eorum extimum non augeatur.*

ITEM quòd antequàm extimum nouum per commune Nouariæ fiet, non possit extimum illorum qui recedent a burgis, vel villis, seu locis, vnde recesserint augeri per commune burgi vel villæ vnde recesserint. Et quòd per prȩdicta non derogetur in aliquo statutis loquentibus de rusticis & burgensibus, qui volunt permanere ciues, & effici nobiles.

## *Vt mulieres extimentur cum maritis.*

ITEM statutum est quòd mulieres nuptæ, quibus obuenerint hæreditates, vel aliqua bona vltra dotem per successionem vniuersalem, vel singularem, extimentur cũ maritis tantum, & soluant fodrum de eorum bonis in extimatione eadem, in eadem parrochia cum maritis, secundum extimationem eorum, vel secundum illorum qui successerunt.

## *Quòd communia locorum non possint extimare Ciues Nouariæ.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd vniuersitas burgorum, & villarum iurisdictionis Nouariæ non possit nec debeat extimare ciues Nouariæ, nec nobiles, nec eorum filios naturales, vel bastardos, & qui nati non essent ex matrimonio ab eis descendentes, videlicet, illos naturales & bastardos, qui communiter tenentur, & habentur, & communiter reputantur filij naturales, & bastardi dictorum ciuium, & nobilium. In alijs verò qui dicerent se bastardos, & naturales, postquàm excesserinr annum sextum, qui habiti fuissent, & habe rentur communiter filij naturales, & bastardi dictorum ciuiũ & nobiliũ, non habeat locum dictum statutum, nec eorum terras, & possesiones, quas ciues habent in territorijs eorum, locis, & curijs: nec possint descriptiones, nec inuentaria de bonis ciuium, & nobilium facere, nec taliare, seu onus imponere, nec aduersus fictuales, vel reddentes fictum, nec contra eorum bona, nec imponere aliquod onus, nec aliquid statuere, vel facere ad impedimentum dominorum ciuium & nobilium, & habentium terras in eorum territorijs. Et si cõtrafecerint, quod factum erit non valeat, nec teneat ipso iure, sed irritum sit, & habeatur, præsentis legis auctoritate. Et consules burgorum & villarum contrafacientium, seu contrafacientes condemnentur, & puniãtur in libris decẽ imperialium, quarũ condemnationũ medietas sit cõmunis Nouariæ, & alia medietas sit illius domini, ciuis, & nobilis, contra quem fuerit aliquid de prædictis factum, vel ordinatum, & ipsa vniuersitas burgi, vel villȩ in alijs libris decem imperialium, applican. vt supra. Et de prȩdictis teneantur potestates, & eorum iudices cognoscere, & terminare, & finire summariè, & sine strepitu, & figura iudicij. Et adhibeatur fides ciui, & nobili super prædictis, si fuerint bonæ famȩ & opinionis. Et nihilominus commune siue vniuersitas teneatur ad restitutionem omnium damnorum illatorum, seu aduenientium dicto ciui & nobili. Item quòd potestas qui nunc est, & per tempora fuerit, teneatur & debeat infra quinque dies, postquàm denũtiatum fuerit ei per dictum ciuem vel nobilem, facere venire libros dicti communis, villæ, seu vniuersitatis, & notarij ipsius cõmunis, & de ipsis libris facere exhimi, extrahi, & cãcellari dictũ ciuem, vel nobilem. Et similiter de omnibus bannis eis datis pro fodris dicti loci, villæ, vel vniuersitatis. Et quòd notarius qui scriberet dictum ciuem vel nobilem in aliquo fodro, vel talea, vel banno, condemnetur in libris decem imperialium pro qualibet vice. Medietas quarum sit accusatoris, & alia medietas communis Nouariȩ.

*Quòd illi qui fuerint in cõfinibus duarum parrochiarũ possint eligere quam volunt.*

ITEM statutum est quòd si aliquis, seu aliqui habitauerint in aliqua domo, quæ sit, idest fuerit in confinibus alicuius parochiæ, vel si partim vnius parrochię, & partim alterius, quòd ille vel illi sic habitantes possint eligere illam parrochiam quã voluerint, & cum illa quam eligerint teneãtur onera realia, vel personalia, vel mixta communis Nouarię, substinere. Et facta electione prędicta non possint amplius mutari.

*Vt nomina Burgorum, & villarum, & cassinalium. locorum, & communium ponantur in libro statutorum.*

ITEM quòd omnes communitates, & communia, & homines, & omnes burgi, villę, & cassinalia existentia in episcopatu & districtu Nouariæ, & iurisdictionis nominatim ponantur, & describantur in vno libro nouo de carta, ita, & taliter, quòd ibi ponantur, & describantur eorundem omnium communium, burgorum, & villarum, vniuersitatum, & cassinalium, & eorum nomina, & extimationes, & quantitates extimationum. Et quòd si aliquę villę vel vniuersitates, vel loca essent, quæ non soluerẽt fodrum, & quæ essent in extimatione, quòd ponantur in extimo omnes & extimentur, & sint duo libri, vnus quorum stet in volumine statutorum penes rectores, & alius stet ad cameram communis, ad hoc vt possint reperiri, & inueniri ad faciendas factiones communis, & ad substinendas andatas & exercitus, & substinenda onera, & ad hoc ne fraudetur commune Nouariæ; quoniam dicitur, quòd multa communia villarum, & vniuersitatum sunt, quæ non soluũt fodrum, & fraudant commune Nouariæ, fodro: & aliæ dicuntur villę, quæ non sunt in extimo: Et quòd præsens statutum non liget potestatem ad iuramentum.

*Vt non soluens fodrũ non possit militẽ excusare, nec ad meliorandũ recipiatur equus.*

ITEM statutum est quòd aliquis, vel aliqua persona, quæ non sit ciuis Nouarię, & quæ nõ soluat fodrum cum communi Nouariæ, vel aliqua alia persona, quæ stet cum altera: & quæ nõ teneat casam, vel curtem, non possit, nec debeat equitare, seu excusare aliquem Nouarię, & iurisdictionis, cui impositus fuerit equus, vel destrerius pro communi Nouarię. Et si aliquis fecerit se excusari per aliquem de prædictis prohibitis superius nominatis, det & soluat pro banno communi Nouarię, libras decem imperialium. Et quòd aliquis equus non possit recipi ad meliorandum modo aliquo, & sit præcisum. Salua voluntate prælibati Domini, vt supra.

*Vt non soluentes fodrum non habeant officium.*

ITEM statutum est & ordinatum, quod nullus, qui non soluat fodrum, & onera communis Nouariæ non substineat, possit habere aliquod officium communis Nouarię, nec exercere officiũ notariæ in aliquo officio communis Nouariæ. Saluis priuilegiatis communis Nouariæ: & qui immunitatẽ habent a communi Nouarię, sub pœnis in statutis contẽtis.

*De regimine deuoluto ad Consules iustitiæ Potestate deficiente.*

ITEM statutum est quòd si aliquo fortuitu potestas amitteret regimen, consules iustitiæ: quò ad regimen commune, in eius locum succedant pro omnia, quousq; alius potestas, vel consules, seu rectores eligantur: de eligendis teneantur consules habere consilium credentiæ ipsa die vel sequenti post amissionem ipsius regiminis: & facere prout meliori parti credentiæ placuerit. Et ipsi consules teneantur iurare attendere ea quæ in statuto, per quo potestas iurat, continetur, donec alius potestas electus fuerit & regimen intrauerit. Salua voluntate prælibati Domini, vt supra.

*De electione Potestatis.*

ITEM, quia hactenus statutũ erat, quòd electio potestatis deberet fieri in consilio generali ciuitatis Nouariæ, prius cridato, eligantur vigintiquatuor de dicto consilio ad sortes: Qui vigintiquatuor sic electi in camerã cõmunis, vel in alio loco cõgruo secedãt seu reducant, & ibi more cõsueto, qui a maiori parte, respectu numeri, fuerit nominatus in scrutinio eligatur in potestatem, & eius ellectio statim in generali consilio publicetur. Nunc autem relinquuntur arbitrio prælibati Domini nostri.

De

*De syndicatione Potestatis, & eius familia.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd potestas, & rector ciuitatis Nouariæ qui erit, & per tempora fuerit, post exitum sui regiminis, teneatur, & debeat stare in ciuitate Nouarię personaliter, cum suo assessore, & milite, & familia tota, vsq; ad octo dies proximè sequentes ad respondendum, & iustitiam faciendum omnibus vniuersitatibus, & singularibus personis Nouarię, & districtus, volentibus aliquid petere ab ipso domino potestate, rectore, & assessoribus, & militibus de familia eius, vel ab aliquo eorum: & volentibus aliquam querelam vel querimoniam deponere de ipsis, vel aliquo ipsorum, si non essent sopitæ, vel determinatæ per sententiam, vel conuentionem, quòd ipse potestas, vel assessores, & milites, & familia eius, quibus, & de quibus data esset aliqua petitio, vel aliqua querimonia deposita, infra prędictos octo dies teneatur, & debeat, vel stare personaliter, vel dimittere idoneū & sufficiētē procuratorē in ciuitate Nouarię, qui stet, & veniat ad respondēdū, & procurandū in dicta causa, & causis corā potestate & examinatoribus ad hoc constitutis, totiēs quotiēs citati & requisiti fuerint, & ad procedendū in causis, & ad audiendum sententiam de prædictis questionibus ferri. Et hoc vsq; sententia, seu sententię fuerint de prædictis. Et quòd dictus potestas, & rector, teneatur, & debeat in fine eius officij, in manibus syndicatoris, mittendi per prælibatum Dominū, ac eligendorum per commune Nouarię, præstare bonam & idoneam satisdationem, per bonos & idoneos fideiussores, de stando in ciuitate Nouariæ, & iuri parendo, cum assessoribus, & militibus, & familia sua tota, post exitum sui regiminis per tempora suprascripta, & modos suprascriptos, & de soluendo omne id de quo condemnarentur ipsi, & quilibet ipsorū. Et quòd nō intelligātur idonei fideiussores, nec acceptari debeāt magnates de hac ciuitate pro fideiussoribus. Et potestas, seu rector Nouarię, qui est, & per tempora fuerit, teneatur, & debeat per se, omnibus iuris remedijs, statim facta condemnatione de prædictis, cogere personaliter, & realiter fideiussores prædictos, sine libelli datione, vel strepitu iudiciorum, exequendo condēnationes prædictas ad solutionem faciendam de eo toto de quo fuerit condemnatus, & condemnati eius assessor, & miles, & quilibet alius de familia ex sentētia lata. Et si potestas, vel rector non faceret dictam satisdationem per tres menses ante finem, vel exitum sui regiminis, vt supra, ipso iure cadat a iure & perceptione sui salarij trium mensium: & ipsum salarium ipso iure deueniat in cōmune Nouariæ. Et quòd etiā in syndicatione, horis iuris, & sedentibus syndicatoribus ad banchum, nō possit interesse syndicatibus dictis, nec aliorum officialium magnates aliqui; nisi vna & prima vice, quando legitur inquisitio, sub pœna librarum vigintiquinque imperialium pro quolibet magnate, & qualibet vice, auferenda & applican. cameræ Ducali. Et quòd potestas, qui posuerit ad cōsilium, per se, vel submissam personam, de licentiando eū, vel de minorando suprascriptum terminū, amittat pro pœna de suo salario libras quinquaginta imperialium. Item quòd quilibet possit accusare quocunque tempore quemlibet de familia potestatis, de his, quę ipsi, vel alter eorum omiserit contra formam statutorū communis Nouariæ. Et de prędictis, etiam pendente regimine dicti domini potestatis, possint consules iustitię Nouariæ cognoscere & terminare. Cuius condemnationis medietas sit accusatoris, & alia communis Nouarię: & suprascripta pœna librarum quinquaginta imperialium imposita potestati, & pœna librarum decem imperialium imposita loquutori perueniat camerę prælibati & Illustrissimi Domini. Et quòd prędictum statutum legatur & publicetur in cōsilio generali ciuitatis Nouarię, antequā fiat postea aliqua de syndicatione domini potestatis, & eius familię. Salua semper voluntate prælibati Domini, vt supra.

*De mercedibus pignorationum, & detentionum, debendis officialibus, seruitoribus, & barruerijs.*

IN primis, quòd si quis priuatus fecerit alium eius debitorem detineri in palatio, habeant famuli intra se, quotquot fuerint, soldos quatuor. Si fuerint extra palatium, in ciuitate tamen, habeant intra se soldos octo. Si fuerint in suburbijs ciuitatis, habeant soldos duodecim. Si fuerit in curia, habeant soldos sexdecim. Si fuerit in districtu, habeant pro quolibet famulo, & pro quolibet miliari soldum vnum.

ITEM si quis fecerit debitorem suum pignorari, pro debito priuato, habeant famuli & seruitores vt infra. Si fuerit seruitor solus, vel cum vno famulo, habeant pro quolibet famulo eorum pro quolibet pignore in ciuitate, & Burgis ciuitatis, soldum vnum pro

prima vice. Et si fuerint plures vocati post primam vicem, & vetasset pignus prima vice, habeant pro quolibet famulo, & quolibet pignore, soldum vnum cum dimidio. Et si fuerit in districtu, habeant, si fecerint vsque ad quinque pignora quotquot sint, & abinde infra, pro quolibet pignore soldos duos. Si fecerint vsque ad decem, habeant soldum vnum cum dimidio pro quolibet pignore. Et si fecerint vltra decem pignora quotquot sint, etiam si in pluribus terris, habeant soldum vnum pro quolibet pignore. Si verò pro vno tantùm debitore iuerint, habeant pro quolibet miliari soldum vnum. Et prædicta etiam obseruentur in debitoribus communis, siue pignorentur, siue detineantur. Saluo quòd si contingat ad prędicta ire militem, vel commestabilem, quòd habeat salarium duplicatum eius quod debetur vni famulo.

Item si contingat aliquem officialem detineri facere aliquem debitorem, siue pro sale, siue pro taxa equorum, siue pro carugijs, quòd habeant vt supra declaratum est pro pignore debiti priuati. Si verò contingat ipsos detineri facere, habeant vt supra dictum est de detentione pro debito priuato. Saluo quòd sit in arbitrio officialis, si placuerit ipsis famulis de aliquali pluri salario prouideri facere.

Item quòd in factis datiorum fiat arbitrio Domini Refferendari. Saluo quòd ad instantiam datiariorum, si fuerit executio realis, vel personalis, famuli habeant vt supra declaratum est de debito priuato, & vltra arbitrio Domini Refferendarij.

Item quòd in condemnationibus criminalibus, & damnorum datorum, latis tempore officij Domini tunc potestatis, nihil percipere possint pro exactione. Sed ipsas teneantur, & debeant dominus potestas, eiusque iudices, & milites exequi. Saluo quòd de condemnationibus latis tempore suorum præcessorum, debeant officiales ipsas condemnationes exequentes soldos vnum pro qualibet libra, quam fecerint in camera dicti communis peruenire.

## FINIS PRIMI LIBRI.

# LIBER SECVNDVS, DE ELECTIONIBVS OFFICIALIVM ET OFFICIIS, ET SALARIIS EORVM.

## *De solemnitate adhibenda in electione officialium.*

IN PRIMIS teneatur Potestas, seu Rector, antequàm eligi faciat aliquam personam in officio communis Nouarię, facere scribi tenorem & formam sacramenti cuiuslibet officialis, si scripta non reperitur in statutis. Postea statuatur ei salarium, & ad vltimum elligatur secundum quòd placuerit maiori parti consilij generalis, vel priuati. Et vltra illud quod statuetur pro salario, nihil posit, nec debeat dari quoquo modo. Salua voluntate Illustrissimi & excellentissimi Domini Domini Francisci Sforcię Vicecomitis Ducis Mediolani &c. Et filiorum suorum in ducatu Mediolani succedentium.

## *De electione officialium, & salario, & exercitio officiorum.*

ITEM statutum est quòd omnes officiales, tam communis, quàm iustitię, debeant suum officium exercere vsque ad medium annum tantùm, inchoando in Calendis Ianuarij: & alij officiales per dies tres ante finem dimidij anni eligi qui debeant per alium dimidium annum, inchoandum in Calendis Iulij, exercere. Et nõ habeant salarium nisi quod est eis concessum in statutis, vel quod eis concedetur, & declarabitur per cõsilium generale, vel priuatum: vbi non est concessum nec declaratum per statuta. Et si aliquis officialis ante terminum sui officij decesserit, vel iusta de causa ab ipso officio remotus fuerit per commune Nouariæ, habeat salarium pro rata temporis quo exercuerit officium. Et quilibet officialis debeat exercere officium per se tantùm, & non possit aliquem loco sui ponere ad illud officium, nisi de voluntate consilij priuati communis Nouarię. Salua tamen voluntate prælibati Domini, vt supra.

## *De officialibus eligendis ad sortes.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd omnes officiales eligantur, & vadant ad breuia & sortes, in consilio generali, seu priuato ciuitatis Nouariæ, & electio aliter facta sit nulla ipso iure. Et quòd ipsa breuia imbussolentur, & extrahantur ad sortes per Dominum potestatem. Salua tamen voluntate, vt supra.

## *De his qui non possunt officium communis habere.*

ITEM teneatur potestas iurare quòd nunquam permittat aliquem habere vel tenere officium communis Nouariæ, qui officium communis ab vno anno retro habuerit, vel exercuerit, vel salarium ad medium annum a communi Nouariæ receperit, vel per maiorem partem dimidij anni, vel loco alicuius officialis extiterit, secundum formam pręcedentis statuti, nec bannitum de maleficio a consulibus, vel potestate, siue interdictum, siue abhominatum, siue a bonis suis defectum, nec aliquem qui non sit de iurisdictione Nouariæ: & qui non sit æstimatus in aliqua parrochia, per se, vel patrem, vel auum paternum viuentes, vel defunctos, cui successerit. Et statim cùm denuntiatum fuerit potestati, vel ad aurem, seu aures ipsius potestati peruenerit, bona fide, veritatem inquiret quàm citius poterit, qua inquisita eũ statim remoueat. Et hoc idem intelligatur in castellanis, & in potestatibus datis pro communi. Eo acto, & expressim dicto in principio, medio, & fine huius statuti: Quòd hoc statutũ non pręiudicet in aliquo statutis, vel consuetudinibus, quæ loquũtur de hæreticis, nec illa per istud in aliquo vicientur, nec ellidentur. Salua volũtate pręlibati Domini.

## *De eodem.*

ITEM statutum est quòd aliquis non habeat nec habere posit officium communis Nouarię, nisi fuerit ciuis communis Nouariæ, & fuerit in extimatione cum ciuibus Nouariæ, & fodrum soluerit tamquàm ciuis Nouariæ. Et qui contra hoc statutum receperit officium det & soluat communi Nouarię libras vigintiquinque imperialium. Et potestas teneatur de hoc condemnare: & quilibet posit accusare. Medietas pœnę sit communis Nouariæ, & alia

medietas sit accusatoris.Salua voluntate Domini, vtsupra.

*Quòd omnes officiales cessent per annum: & nullus ad officium recipiendum compellatur.*

ITEM statutum est quòd omnes officiales,tam communis,quàm iustitię ciuitatis Nouariæ, præter pręcones,& seruitores,& saluis obligationibus,& instrumentis, seu cõcessionibus factis per commune Nouariæ super notarijs domini potestatis , & consulum iustitiæ Nouarię,durantibus concessionibus prædictis;qui hinc retro fuerint,& qui amodo inantea fuerint,non habeant, nec habere possint aliquod offitium communis, vel iustitiæ vsque ad annum vnum,sed debeant vachare per annum finito eorum offitio : & hoc capitulum non possit dimitti,vel relaxari,etiam cum consilio,vel parabola totius credentię . Eo acto, & expressim dicto,vel intellecto in principio, medio,& fine huius statuti quòd hocstatutum non pręiudicet in aliquo statutis,vel constitutionibus, quæ loquuntur de hęreticis , nec illa per istud in aliquo vicientur,vel ellidentur. Et quòd omnes illi qui habent,vel percipiunt salarium ad medium annum a com muni Nouarię,seu per maiorem partem dimidij anni intelligantur officiales,exceptis examinatoribus,& eo rum notarijs. Et nullus cogatur ad aliquod officium accipiendum contra voluntatem suam,nisi aliter per alia statuta sit prouisum. Et si contrafactum fuerit non valeat,nec teneat ipso iure,& vltra condemnetur in libris centum iperialium versus commune Nouarię. Et quilibet possit accusare, medietas sit communis,& alia medietas sit accusatoris.Salua voluutate pręlibati Domini nostri.

*De eo qui iurauit officium quod habere non potuit.*

ITEM statutum est quòd potestas , vel consules teneantur auferre soldos viginti imperialium illi qui iurauerit aliquod offitium,si esse nõ poterit officialis. Et sic electus officialis contra formam alicuius statuti; ipso iure desinat esse officialis. Salua voluntate Illustrissimi Domini nostri.

*De officialibus non eligendis per Potestatem,nec per aliquem de sua familia.*

ITEM statutum est quòd nec potestas,nec eius iudices,nec milites,nec aliquis de societate sua eligant,& eligere possint aliquem officialem ordinarium , vel extraordinarium. Sed dentur & eligant ad breuia ipsi officiales omnes, tam ordinarij, quàm extraordinarij: exceptis officialibus qui electi erunt pro custodia ciuitatis Nouariæ:qui eligantur sine sorte prout placuerit potestati,& consilio maiori. Et istud capitulum sit præcisum . Ita quòd non possit modo aliquo remoueri per aliquod ingenium. Et eo acto & expressim dicto,& intellecto in principio,medio,& fine huius statuti quòd hoc statutum non faciat præiudicium in aliquo statuto vel constitutionibus,quæ loquuntur de hereticis , nec illa per illud vicientur,nec in aliquo ellidentur. Et scribantur officiales semper omni anno,quando fuerint electi communis per ordinem,vt possint reperiri,qui officium habuerint. Et si contra factum fuerit ipso iure non valeat electio . Et quòd dicta scriptura fiat per notarium communis,& ponatur in archiuio infrascripto communis Nouariæ. Salua voluntate Illustriss. domini nostri .

*De quinque notarijs banchi domini Potestatis, & de eo quod recipere debent pro suis scripturis.*

ITEM statutum & ordinatũ est quòd notarij , qui erunt pro tempore notarij banchi domini potestatis,debeant esse idonei & sufficientes pro eorum officio exercendo, & debeant inter se deputare vnum sufficientem qui intersit consilijs communis Nouariæ , & prouisiones scribat, litteras ducales,decreta ducalia,& prouisiones describat fideliter , & earũ copiam portare & consignare teneatur in fine sui officij cameræ communis Nouariæ , in forma fidem faciente. Et qui prouisiones scribat secundum ordines positos, & descriptos in materia consilij: & alium notarium deputent ad seruiendum militi, qui omnes notarij contenti sint pro eorum scripturis,processibus,& actis de salario ipsis taxato , secundum formam eorum dati . Et prædicta locum habeant,quò ad notarium deputandum in consilio,nisi aliter per Illustrissimum dominum nostrum prouisum fuerit.

*Quòd notariæ communis sint tantùm quinq; , & non possint esse diuisæ.*

ITEM statutum & ordinatũ est quòd notariæ communis sint tantùm quinq; , & non possint

esse

esse vltra quinque notarij ad exercendum officium notariæ domini potestatis, & communis Nouariæ: nec possit notaria aliqua diuidi, nec exerceri, nisi per vnum tantum. Et si aliter factum fuerit non valeat nec teneat. Et ille qui essent duo ad vnam notariam, ad exercendum eandem, puniantur & condemnentur, & potestas teneatur ipsos cōdemnare pro quolibet & qualibet vice in libris decem imperialiū nec potestas recipere debeat, nec pari ad banchum vel officium notariorum communis ad plus, quàm vnus notarius sit ad vnā notariam: licet diuisè dictas notarias habuerint, vel acquisiuerint. Et cogantur per dominū potestaté eligere, quis ipsorum notariorum debeat notariam exercere, & quo & quanto tempore. Salua voluntate prælibati Domini.

*De his quæ scribi debent per Notarios Potestatis, vel Consulum.*

ITEM statutum est quòd aliqua sententia diffinitiua, vel interlocutoria, vel aliqua litis contestatio, vel positio, vel terminus, vel responsio non scribatur, nec fiat nisi per notarios potestatis, vel consulum iustitiæ Nouariæ. Et ille notarius qui contrafecerit componat pro bāno cōmuni Nouarię pro qualibet vice soldos viginti: & quilibet possit accusare: medietas banni sit accusatoris, & alia communis. Et prędicta intelligantur de his quę fiunt coram domino potestate, & eius iudicibus, & assessoribus: & coram consulibus iustitię Nouarię.

*Quòd Notarijs communis, & cæteris alijs non detur aliquod salarium.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd de cætero non debeat dari per cōmune Nouariæ, nec possit aliquod salarium seu remuneratio notarijs cōmunis, vel notarijs caneparij, vel notarijs iudicis exactoris aliquo ingenio. Et ipsi notarij in eorum officijs nihilominus teneātur scribere omnes reformationes cōsiliorū priuatorū & maiorū, & alias scripturas omnes pertinentes cōmuni Nouarię, in officijs prędictorū, sine aliqua datione pecunię Saluis salarijs cōstitutis per cōmune Nouarię notarijs cameræ, & iudicis exactoris: quo salario sint cōtēti sub pœna de soldis viginti pro quolibet & qualibet vice. Salua volūtate pręlibati Dñi vtsu.

*De notario deputando ad bulletas faciendas.*

ITEM quòd vnus solus ex notarijs communis deputetur ad bulletas faciendas, qui habeat vnum librum, in quo scribat ipsas bulletas, & bulleta facta per alium notarium non valeat nec teneat, nec debeat appobari. Et quòd omnes litteræ, quæ mandabuntur per Dominum Nouariæ domino potestati, & officialibus Nouarię registrentur, & registrari debeant per vnū tantū Notariū parte ad partem: & etiam in fauoré communis Nouariæ registrētur, & registrari debeant per vnum notarium tantùm ex quinque notarijs communis, & domini potestatis, deputandum per ipsum dominum potestatem, & non per alium, sub pœna soldorum viginti imperialium pro qualibet vice soluenda communi Nouariæ. Quod registrū portari debeat ad cameram infra duos menses, post finitum eorum officium, sub bœna librarum decem imperialium, applicandarum cameræ communis Nouarię. Et nihilominus cogatur ad portandum. Salua voluntate prælibati Illustrissimi Domini nostri.

*Ne quis possit esse Notarius cōmunis, & caneparij, nisi exercuerit officiū notariæ.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd aliquis notarius non possit esse notarius potestatis cōmunis Nouariæ, nec notarius caneparij cōmunis Nouarię, nec potestas recipiat, nec patiatur esse aliquem notarium ad ipsa officia, nisi ille notarius, qui ad prædicta officia fuerit electus, vel aliquid prædictorum, fuerit operatus, & exercuerit officium Notariæ per quinque annos ante ipsam electionem de eo factam. Et qui aliter electus fuerit, & receperit ipsum officium, ille qui fuerit electus penitus remoueatur ab ipso officio. Et insuper soluat communi Nouariæ ille qui dictum officium receperit contra dictam formam soldos viginti imperialium pro qualibet vice, & sit præcisum. Et quòd idem obseruetur in notarijs consulum. Salua voluntate Illustrissimi Domini nostri.

*De electione Camerarij Cameræ communis Nouariæ, & eius officio.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd dominus potestas Nouariæ, qui pro tempore fuerit, cum duodecim sapientibus ad minus, teneantur & debeant eligere vnum camerarium, seu custodem: qui præesse debeat ad custodiendum cameram communis Nouariæ, bonum, & legalem, idoneum, & sufficientem, ætatis triginta annorum ad minus: & sciat litteras, & scribere: qui eligatur de dimidio anno in dimidium annum, & eius officium incipiat in Calendis

dis Ianuarij,& finiat in calendis Iulij. Qui camerarius & custos debeat tenere claues ca-
meræ communis,& custodire,saluare,& gubernare omnia priuilegia,instrumenta,scriptu
ras, libros condemnationum,bannorum,fodrorum,talearum, caualaritiarum,& quarum
libet impositionum,quæ sunt,& ponentur ad dictam cameram : & omnia pignora vtensi-
lia spectantia communi Nouariæ,quę portarentur ad dictam cameram.Et generaliter om
nes alias scripturas,& rationes,& res,quæ spectarent & pertinerent quoquo modo,seu in-
genio,ad commune Nouariæ: seu ponerentur , vel deponerentur, vel condemnarentur ad
dictam cameram. Et quòd dictus camerarius habere debeat pro suo salario,& labore , im
periales decemocto pro qualibet die,& non vltra. Et quòd ipse camerarius teneatur & de
beat ostendere,& copiam facere cuilibet petenti,de libris condemnationum , fodrorum ,
& talearum,& cauallaritiarum,& impositionum quarumlibet, & reformationum, & alia-
rum scripturarum,quę pertinerent, & pertinere possent alicui speciali personę:quam co-
piam facere debeat in camera tantùm,& non extra. Et ad exemplandum, & legendum ad
suam voluntatem:& ipsos libros pręsentandum coram domino potestate , & iudicibus : &
hoc sine aliqua datione pecunię. Ita quod pro prędicta copia facienda nihil percipiat ,
vel petat,per se,nec per alium quoquo modo;vel ingenio.Et hoc sub pœna pro qualibet vi
ce soldorum viginti imperialiũ. Quorum medietas sit communis , & alia accusatoris. Et
quòd dictus camerarius,& custos teneatur,& debeat continuo perseuerare, & stare de die
ad dictam custodiam cameræ, hoc est ab hora campanę medię tertiæ, vsque ad sextam, &
ab hora cāpanę octauę vsque post vesperas pulsatas. Saluo quòd in festiuitatibus prin-
cipalibus sanctæ Mariæ virginis,& Dominicis diebus,& festis Apostolorum,& Martyrum,
quæ celebrantur communiter per artifices, non teneatur stare ad custodiam,& obseruatio
nem prædictorum. In principio sui officij iurare debeat,& teneatur suum officium, &
omnia suprascripta legaliter exercere . Et quòd si dictus camerarius in supradictis horis
ordinatis non fuerit repertus ad dictam cameram,puniatur in soldis duobus imperialium
pro qualibet vice,Et quòd ille camerarius , qui exercuerit officium supradictum,per vnũ
medium annum,a dicto officio vacare debeat per annum:& dictus camerarius interesse de
beat & teneatur omnibus arenghis,& cōcionibus,quæ fient pro condemnationibus fiendis
sub pœna libratum vigintiquinque imperialiũ pro qualibet vice,& camerę communis No
uarię applicandarum, quæ pœna non possit remitti.Et quòd statim factis condemnationi
bus,seu condemnatione per dominum potestatem,& ipsis lectis per notarium,ipse came-
rarius librum dictarum condēnationum portare debeat ad camerā communis, & custodi-
re,& copiam facere,vt supra. Et de talibus condemnatis faciet vnum librum: In quo etiam
si fient compositiones cum debitis condemnatis,scribantur compositiones, si fuerint sub-
scriptæ per componentes,& per notarium prouisionum.Et teneatur dictus camerarius da
re fideiussorem idoneum de libris ducentum imperialium,de saluando & custodiendo pri-
uilegia,instrumenta,libros,& omnia suprascripta, & de suo officio legaliter exercendo.
Salua voluntate Illustrissimi Domini nostri.

*De electione notariorum cameræ, & eorum offitio.*

ITEM statutum & ordinatũ est quòd duo notarij elligantur ad sortes in cōsilio generali,vel
priuato,singulis dimidijs annis, qui saltem exercuerint officium notariæ,per duos annos
Et quòd illi qui steterint ad dictum officium, debeant vacare a dicto officio per annum ad
minus.Qui notarij pro eorum salario percipere debeant a communi Nouariæ imperiales
decemocto pro qualibet die. Et qui Notarij debeant scribere omnes cancellationes banno
rum condemnationum,talearum,& fodrorum,& omnium cancellationum,quæ fiunt de li-
bris communis,& omne officium quod incumbit notarijs exercere. Et quòd dictas cancel-
lationes,& officium,debeant exercere , & facere gratis , sine aliqua datione pecunię. Ita
quòd de eis nihil habeant , vel percipiant,vltra dictum salarium constitutum , quoquo in
genio,seu modo,sub pœna soldorum duodecim imperialium pro quolibet & qualibet vice,
& quilibet posit accusare. Medietas sit accusatoris,& alia communis Nouariæ. Et dicti no
tarij diebus & horis, ordinatis Camerario,debeant stare continuo ad eorum officium , sub
pœna soldorum duorum pro qualibet vice. Et quòd dicti notarij debeant facere vnum li-
brum,in quo ponant, & describant omnes cancellationes factas per eos. Et quòd singulis
mensibus ipsi notarij,vnà cum Camerario communis Nouarię, esse debeant cum Iudice de
putato,vel deputando,super rationlbus heris communis Nouariæ,& coram Rasonerijs cō
munis cum dicto eorum libro, ad rationem faciendam de eorum officio. Et si dicti duo no
tarij

tarij exemplauerint de ſcripturis cameræ, nihil inde percipiant. Salua voluntate prælibati Illuſtrisſimi Domini noſtri, vtſupra.

### *De electione Notariorum iudicis exactoris heris communis Nouariæ.*

ITEM ſtatutum eſt quòd ſingulis dimidijs annis eligantur ad ſortes, in conſilio generali, vel priuato ciuitatis Nouariæ duo Notarij, qui interſint officio iudicis exactoris heris cõmunis Nouariæ, qui exercuerit officium Notariæ per duos annos ad minus, qui notarij percipiant pro eorum officio a communi Nouariæ imperiales decem octo pro quolibet eorũ & qualibet die. Et qui exercuerit officium ſupradictum per dimidium annum, ab eo vacare debeat per annum ad minus. Et quòd dicti Notarij debeant ſtare ad dictum eorum officium diebus & horis in proximis ſtatutis ordinatis, vtſupra: & ſub pœna prædicta. Et quòd pro eorum officio exercendo, & pro ſcripturis quibuſcunque, quas facient in dicto officio & pro pignoribus, nihil percipere posſint, vel habere vltra ſupraſcriptũ ſalariũ eis cõſtitutum, ſub pœna ſoldorum viginti imperialium pro quolibet & qualibet vice: & quilibet posſit accuſare, cuius pœnæ pecuniariæ medietas ſit accuſatoris, & alia communis Nouariæ. Et dicti notarij copiam facere debeant de ſcripturis pertinẽtibus ad eorum officium, ſine aliqua datione pecuniæ: & non teneantur exemplare aliquibus perſonis, & ſi exemplauerint nihil inde percipere posſint, ſub pœna prędicta. Saluo, & reſeruato, quòd ſi dicta notaria ponatur ad incantum ſub alijs modis, & alijs capitulis, quòd eo caſu fiat, & ſeruetur prout in capitulis incantus ipſius nòtarię & dati inde facti apparebit, & continebitur, quatenus ſit contraria prædictis. Et in illo caſu teneatur ille qui habuerit ad incantum dictam notariam apponere, & tenere in publico capitula ſui dati & incantus. Salua voluntate prælibati Domini noſtri.

### *De electione ſeruitoris Cameræ communis, & eius officio.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt, quòd eligatur per dominum poteſtatem, & ſapientes, vnus ſeruitor, qui ſtet penes camerarium, ſeu cuſtodem camerę communis Nouarię, bonus & legalis: & eius officium duret ad voluntatem domini poteſtatis communis Nouariæ, & habeat, & percipiat a communi Nouariæ imperiales duodecim omni die: qui ſeruitor portare debeat libros & rationes camerę, prout fuerit opportunum: & qui neceſſe habeat ire ſingulis diebus ad camerarium communis Nouarię ad accipiendum ſcripta canepárij illorũ qui ſoluerunt, fodra, taleas, condemnationes, & alia quæ debentur communi Nouarię, & ipſa ſcripta deferat notarijs camerę ipſa die: qui debeant cancellare prout continebitur in dictis ſcriptis. Quæ cancellatio ponatur in libro, ſeu quaterno dictorum notariorum. Et ſeruitor teneatur, & debeat ire, ad petitionem vniuſcuiuſque hoc petentis, ſine aliqua datione pecuniæ, ad accipiendum dicta ſcripta, & ad deferendum dictis notarijs totiens quotiens ab eo fuerit requiſitus. Et debeat dictus ſeruitor conuocare & requirere rationatores communis Nouariæ, & omne illud ſuum officium quod ei incumbit fideliter exercere, & nihil habere, vel percipere posſit a communi, vel alia ſpeciali perſona, aliquo modo, vltra ſuum ſalarium prędictum, nec pro aliquo incantu, nec pro aliqua pignoratione, nec pro aliquo pignore, nec pro aliquo alio officio quod exerceatur per ipſum ſeruitòrem. Et ſi cõtrafactum fuerit cadat in pœna ſoldorum quinque imperialium pro qualibet vice: & quilibet posſit accuſare, cuius medietas ſit communis Nouariæ, & alia ſit accuſatoris. Et teneatur & debeat horis deputatis camerario cameræ ſtare continuè ad dictum officium, ſub pœna ſui ſalarij pro illa die, qua non fuerit repertus eſſe ad dictum officium. Et teneatur & debeat iurare in principio ſui officij, ſingulis ſex menſibus, omnia prædicta attendere & obſeruare, & ſuum officium legaliter exercere, & ſit præciſum. Salua voluntate Illuſtrisſimi Principis.

### *De electione, & officio Caneparij communis Nouariæ, qui pecuniam communis Nouariæ recipere, & expendere debet.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt, quòd poteſtas Nouariæ cum duodecim ſapientibus, ad minus, debeant eligere, vnum Canepárium communis Nouariæ bonum & fidelem, qui ſit de iuriſdictione communis Nouariæ, & ciuis Nouariæ: cuius officium duret per tres menſes, & non vltra. Et ab eo vacare debeat per ſex menſes; poſt finitum eius officium: qui pro eius ſalario percipere debeat a communi Nouariæ ſoldos duos imperialium pro quolibet die. Et teneatur & debeat ipſe Canepárius recipere pecuniam & hes communis

Nouariæ

Nouariæ, & omnē pecuniam quæ debetur communi Nouariæ: & ipsam pecuniam fideliter expendere, & receptum, & dispendium scribere in duobus libris, quos conficiet, vnum de recepto, & alium de dispendio. Et teneatur, & debeat singulis mensibus, ad mandatum iudicis, facere rationem in præsentia iudicis deputati ad rationes communis Nouariæ, & rationatorum communis Nouariæ, & de recepto & dispendio: & ipsam rationem assumare. Et non possit, nec debeat expendere aliquid de here commmunis Nouarię, nisi habuerit primo bulletam bullatam a potestate communis Nouariæ, & bullaterijs constitutis per commune Nouariæ, factam vigore prouisionis: vsque verò ad decem soldos pro qualibet vice possit expendere cum bulletino domini potestatis, & eius vicarij, continente causam dispendij, & non aliter. Et non possit, nec debeat pro aliquo dispendio suo recipere vel habere aliquid per se, vel per alium a communi, vel aliqua speciali persona, vltra salarium prædictum, nec faciat, vel fieri permittat aliquam diminutionem, vel receptionem debitæ solutionis fiendę per eum: & si contrafecerit cadat in pœnā soldorum viginti imperialium pro qualibet vice: & quilibet possit accusare, cuius accusationis medietas sit communis Nouarię, & alia medietas sit accusatoris. Et quòd ipse Caneparius in principio sui officij teneatur & debeat iurare de suo officio exercendo fideliter. Et teneatur dictus Caneparius satisdare, cum fideiussore idoneo, de libris mille imperialium, de eius officio fideliter exercendo. Et teneatur ipse caneparius, quotiens receperit solutionem ab aliquo debitore, vtsupra, communis Nouariæ, dare scripta recepti seruitori Camerarij camerę communis Nouariæ, in pręsentia debitoris soluentis, si voluerit interesse: quæ scripta portentur notarijs Cameræ commmunis, vt in capitulo de seruitore cameræ dictum est. Salua voluntate prælibati Illustrissimi Domini vtsupra.

*De eodem.*

ITEM statutum est, quòd potestas teneatur, & debeat singulis mensibus, in fine mensis, per se, vel eius vicarium, vel iudicem exactorem communis Nouarię, facere conuocare rationerios communis Nouariæ, & caneparium communis Nouarię, & facere fieri rationem dicti caneparij in præsentia sui vel iudicis rationatorum, totius recepti, & dispendij: qua ratione facta incontinenti publicetur in consilio generali vel priuati summa recepti, & dispendij. Et residuum quod superferit de recepto & dispendio. Et quòd facta ratione ponantur per notarium deputatum ad rationes nomen iudicis, & rationeriorum, summa residui, quod superferit de residuo recepto, & dispendio. Et notarius in fine rationis, & dictæ summæ ponat suam notam. Et deinde statim ratio publicetur, vtsupra in consilio generali, vel priuato. Salua voluntate vtsupra.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd per dominum potestatem, & duodecim sapientes ad minus eligantur octo rationerij boni, fideles, & discreti, qui intersint rationibus communis Nouariæ, & spetialiter rationibus caneparij: quorum officium duret per tres menses. Ex quibus octo rationerijs, tres teneant bullettinos deputatos ad bullandum bullas solutionum fiendarū per commune Nouariæ, vel eius caneparium. Et si duo ex ipsis tribus, cum bulla domini potestatis, approbauerint bullam, seu bullas, sufficiat canepario, & teneatur eas recipere, & possit ponere in dispendio. Et dicti octo rationerij habere debeant a communi Nouariæ, pro eorum salario, pro dictis tribus mensibus, soldos quadraginta imperialium, pro quolibet eorū, & nihil vltra dictum salarium recipere possint, vel habere, a communi Nouarię, vel ab aliqua speciali persona, pro dicto eorum officio, vltra dictum eorum salarium. Et quòd dicti bullaterij iurare debeant in principio sui officij de non approbando, nec bullando aliquas bullas, quæ non sint factæ in executione prouisionis, & nisi crediderint eas esse iustas, & rationabiles: & quòd dicti octo rationerij in principio sui officij iurabūt, quòd nō approbabunt aliquas rationes, nec aliqua dispendia, nisi ea crediderint esse iusta, & quòd eorum officium legaliter & fideliter exercebunt. Et si prædicti rationerij inuenerint aliquas fraudes, vel malitias, quæ essent factę in libris canepariorum, tam in receptis, quàm in dispendijs, vel in bullis inrationabiliter approbatis, seu receptis per caneparium, seu positis in dispendio, illud denuntiabunt domino potestati. Qui potestas, ad eorum denunciationem, sub pœna sacramenti, & librarum quinquaginta imperialium de suo salario, teneatur, & debeat reuocari facere omnes fraudes. Salua voluntate vtsupra.

De

## De superstitibus.

ITEM statutum est quòd eligatur vnus superstes communis Nouariæ, cuius officium sit superesse refectionibus pontiũ,& viarũ, & aliorũ operum cõmunis, ac etiam solicitare quòd contenta in statuto posito sub rubrica de notario deputando ad bulletas faciendas,in secũdo libro:Et contẽta in statuto de electione,& officio caneparij communis Nouariæ,&c. In secundo libro,& sequentibus duobus sub rubrica,de eodem,& adimpleantur, & excutioni mandentur,vt iacent. Et similiter solicitet tempore debito, quòd notarius rationatorum describat in libro communis Nouariæ incantatores banchorum iustitię Nouarię,quantitates eorum incantus,& fideiussores,& describat in dicto libro canepariũ pro debitore de quibuscunque taleis singulis temporibus,prout imponentur. Item quòd solicitet,quòd cõsules,cùm fuerint electi, cogantur acceptare, & iurare eorum officium, & denunciet contrafacientes domino potestati:& quod alij officiales dictę communitatis iurent eorum officium exercere,vt tenẽtur,& quòd consiliarij obseruent decreta ipsis pertinẽtia: Et quòd sollicitet quòd statuta,quę legi debent,tam per dominum potestatem,quàm per consules, legantur temporibus debitis,& quòd de eorum lectione fiat scriptura, & contrafacientes, & negligentes denuntiet,syndicatoribus:& eius officium duret per sex menses,& postea cesset ad minus per annos duos:& percipiat pro eius salario omni mense soldos trigintaduos imperialiũ,& nõ vltra. Et dictus superstes eligi debeat per dominũ potestatẽ,& deputatos cõsilio priuato,& sit ciuis,& habitator ciuitatis Nouariæ,qui in principio sui officij iurare debeat de eius officiũ fideliter exercẽdo. Salua volũtate pręlibati Illustiss. domini Nostri.

## De Massario consulum.

MASSARIVS qui recipit & gubernat omnia pignora,& omnes denarios causarum & exẽptionum consulum iustitię,& communis teneatur facere rationẽ singulis mensibus de his qua receperit & dederit: Ita quòd de pignoribus siue securitatibus receptis teneatur reddere in pecunia numerata omnia,& teneatur facere securitatẽ idoneam de libris quinquaginta imperialium domino potestati,vel eius vicario,nomine communis Nouarię,& prædictus massarius teneatur,& debeat singulis diebus,& horis,quibus consules vadunt ad banchum,ire per singulas stãtias ad recipiẽdũ denarios receptos per consules,pro iudicaturis & pignora,& alia recepta,quæ spectant ad offitium massarij. Et quòd dicti consules, antequàm recedant a bancho,teneantur dare denarios,quos receperint pro iudicaturis, & pignora,& alia recepta, spectantia ad offitium massarij,prædicto massario, sub debito iuramenti,& pœna soldorum quinque imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et consul scribat, vel scribi faciat, super suo libro denarios & pignora datos, & data massario. Et idem massarius quod receperit similiter scribat in suo libro, & singulis mensibus, quociens peteretur per iudicẽ & rationerios deputatos ad rationes communis Nouariæ, debeat facere rationem recepti,& dispendij. Et quòd massarius debeat esse,vt supra. Et quòd dictus massarius habere debeat de suo salario,de denariis receptis per eum, libras tres imperialium, & non vltra. Qui in principio sui officij iurare debeat de suo officio fideliter exercendo: Et quòd massarius de officijs consulum aliquod offitium exercere non possit. Et quòd officium detur ad sortes in consilio generali, quando aliæ sortes dantur.

## De consiliarijs, cuius ætatis esse debent.

ITEM statutum est quòd nullus possit esse de consilio ciuitatis Nouariæ,nisi habuerit annos vigintiquinque.

## De Potestatibus burgorum.

ITEM statutum est quòd omnes potestates burgorum,qui sunt iurisdictionis Nouariæ, dentur ad breuia,ad voluntatẽ cõsilij generalis ciuitatis Nouariæ,& qui fuerit electus,si repudiauerit ipsã potestariam, non cõpellatur. Et quilibet,qui fuerit electus ad sortes potestas alicuius burgi, vel vniuersitatis,possit esse,nõ obstã te quòd aliquo tẽpore fuerit deinde retro potestas ipsius burgi. Idem dicimus de potestate, Ossole & Vallentrasche. Et ille qui fuerit potestas alicuius burgi,vel vniuersitatis,vt supra,debeat,& teneatur in propria persona ad illud burgũ & vniuersitatem,cuius fuerit potestas, per illud tempus quod ordinabitur per illos de consilio, ipsum debere stare ad ipsum burgum, & vniuersitatem. Et qui non steterit ad ipsum burgum, vel vniuersitatem, per illud tempus, quod statuetur

per illos de consilio, siue cum licentia, siue sine licentia potestatis, non habeat soldum, siue salarium pro rata temporis non ordinata per illos de consilio, de quo non steterit ad ipsum burgum, & vniuersitatem. Et prędicta locum habeant, non obstantibus aliquibus concessionibus factis de ipsis potestatibus alicui personæ, & personis hinc retro per commune Nouariæ, vel per aliam personam. Et potestas teneatur per se, & eius assessores, compellere omnes & singulos homines, & communia cuiuslibet burgi, ad solutionem faciendã dictis eorum potestatibus de eorum salario, remedijs iuris, ac si essent pro debito condemnati, & condemnata, & sit pręcisum, aliquo iure eorum qui habent ipsas potestarias a communi Nouariæ, per cartam, vel ab alio ius habente, vel causam per cartam a communi Nouariæ. Salua voluntate, vt supra.

*De seruitoribus, & eorum securitatibus.*

ITEM statutum est quòd quilibet de Nouaria, & iurisdictione Nouariæ, qui soluat fodrum communi Nouariæ, possit esse seruitor, & teneatur facere securitatem de libris quinque imperialium, de parendis pręceptis potestatis, & consulum iustitiæ Nouarię, & de faciendo ambasiatas legitimè & iustè, & securitates seruitorum ponantur in libro nouo communis Nouariæ, qui seruetur penes camerarium communis Nouariæ, & qui seruitor, & seruitores debeant esse homines bonæ famę & opinionis, & approbati per duos iurisperitos, qui eligantur per potestatem, & antianos seruitorum, cum ipsis iurisperitis.

*Vt seruitores referant potestati, vel ei qui miserit ambaßiatã quã fecerit pro cõmuni.*

ITEM statutum est quòd seruitores, ea die qua redierint de ambasiata facta extra ciuitatem & suburbia pro communi, debeant ire ad potestatem, vel ad eum, qui ipsum miserit, & eis dicere quo loco iuerit, & pro quo, & qua de causa: & potestas, vel iudex, qui eum misit, faciat scribi: & si ita non fecerit seruitor, nihil habeat de dicta ambasiata.

*Vt seruitores non faciant ambasiatam eis non impositam.*

ITEM statutum est quòd seruitor non posit in Nouaria, vel extra, facere ambasiatam, nisi potestas, siue iudex, aut consul ipsam ambasiatam spetialiter ei imposuerit, & si aliter fecerit ambasiatam, det pro banno soldos quinque imperialium, & insuper ab officio remoueatur, & ipsa ambasiata non valeat, nec teneatur, & intelligatur ambasiata speciali ter imposita, si seruitor retulerit potestati, iudici, vel consuli se fecisse dictam ambasiatam ex eius parte: & quilibet seruitor teneatur portare in capite caputium rubeum, siue birretã: & si cõtrafecerit puniatur in imperiales duodecim pro quolibet, & qualibet vice.

*Vt seruitores poßint cogi ad faciendum ambaßiatas, captiones, & pignorationes.*

ITEM quòd quilibet seruitor cogatur per quemlibet iusdicentem in ciuitate Nouarię, ad instantiam cuiuslibet singulę personæ, seu vniuersitatis, ire ad faciendum ambasiatam, captionem, seu pignorationem, prout requiretur, pro salario ei taxato, seu limitato, secundum formam statutorum ciuitatis Nouariæ, sub pœna cuilibet seruitori deneganti soldorum viginti imperialium pro qualibet vice, cuius pœnæ medietas sit communis Nouariæ, & alia personæ, seu vniuersitatis, cui denegauerint aliquod prædictorum facere, nisi ipse seruitor, infra vnum diem post querelam, de prædictis, vel aliquo prædictorum expositam, & notitiam per ipsum seruitorem habitam, de ipsa expositione se causam legitimã habuisse probauerit, quare prędicta, vel alterum prędictorum, facere non potuisset. Et de prædictis, & quolibet prędictorum etiam quilibet consul iustitiæ Nouariæ habeat cognitionem, & teneatur facere executionem, & credatur cuilibet cum sacramento, & cum vno teste, de dicta recusatione, quam dicet seruitorem fecisse.

*Quantum habere debeant seruitores de eorum ambasiatis.*

ITEM statuerunt quòd seruitores, qui ibunt per episcopatum Nouariæ cum requestis domini potestatis & communis Nouariæ, ad requirendum communia, scilicet, a strata Blandrena inferius, & per stratam Romantini, & a strata Romantini inferius, habeant, si faciunt solam requestam vnius communis, vsque ad soldos quinque, arbitrio domini iudicis mittentis: & si fecerint requestam duorum communium ex prædictis, habeant pro quolibet commune vsque ad soldos tres imperialium, arbitrio iudicis mittẽtis. Et si fecerint requestam plurium communium quàm duorum, in quauis quantitate, habeant pro quolibet communi vsque ad soldos imperialium & non vltra.

De

*De eodem.*

ITEM quòd hij seruitores, qui ibunt per episcopatum cum requestis ad loca prędicta, causa inquirendi aliquos nobiles, vel alias personas speciales, pro domino potestate, vel commune Nouariæ, habeant, si portauerint & requirant solam vnã specialem personam vsque ad soldos quinque imperialium arbitrio mittentis. Et si requirit duas speciales personas in vna terra, habeant vsque ad soldos sex, scilicet, tres pro quolibet ipsorum arbitrio mittentis. Et si requirant tres in vna terra, habeant pro qualibet persona vsq; ad soldos duos. Et si excedunt requisitiones numerum trium personarum, habeant vsque ad numerum soldorum nouem imperialium inter ipsos, & non vltra. Et si vadunt ad requirendum dictas speciales personas in diuersis locis prędictorum, habeant pro qualibet terra, secundum metam statutam, & non vltra, arbitrio mittentis moderandam.

*De eodem.*

ITEM quòd hij seruitores, qui ibunt per episcopatum cum requestis, vt supra, scilicet, qui ibunt Brionam, & a Briona inferius, Mommum, & a Mommo inferius, Olegium, & ab Olegio inferius, habeant prout supra.

*De eodem.*

ITEM quòd hij sertitores qui ibunt cum requestis a Briona superius vsque Grignascum: & a Mommo superius vsq; ad Sorisium, & ab Olegio superius vsque ad Burgum Agnellum, Inuorium superiorem, habeant, si faciunt solam requestam vnius communis vsque ad soldos octo: & si faciunt requestam duorum communium ex prædictis vsq; ad soldos sex pro quolibet communi: & si faciunt requestam trium communium vsque ad soldos quatuor pro quolibet communi: & si faciunt requestam plurium communium quàm trium, in quauis quantitate sint, habeant pro quolibet commune vsq; ad soldos quatuor arbitrio mittentis.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd illi qui ibunt per episcopatum ad loca proximè dicta ad requirendum nobiles, vel alias speciales personas, habeant, si faciũt requestam plurium communiũ quàm trium, vnius specialis personæ, ab ipsa speciali persona, vsque ad soldos octo: & si faciunt requestam duarum specialium personarum, in vna terra habitantium, habeant a qualibet persona ipsorum vsque ad soldos quatuor: Et si faciunt requestam trium personarum in vna terra, habeant a qualibet personarum ipsorum vsque ad soldos quatuor: & si requestę excedũt numerum trium personarum in vna terra, habeant a qualibet persona ipsarum vsq; ad soldos tres: quę summa ascendat vsque ad soldos quatuordecim, & non vltra. Et si vadunt requirendum aliquas speciales personas in diuersis locis prædictorum, habeant in vnaquaque terra secundum metam prædictam, arbitrio mittentis.

*De eodem.*

ITEM quòd si fiant per commune Nouarię requestę generales omnium squadrarum, quauis ex causa quòd illi seruitores qui ibunt in dictis squadris habeant pro quolibet communi vsque ad soldos, tres, duos, & non vltra: nec a specialibus personis cuiuscunque conditionis existant, tũc tẽporis cùm requestæ fuerint generales, nõ possint eis aliquid accipere, quemuis requirunt, arbitrio mittentis.

*De eodem.*

ITEM quòd hij ad quorum petitiones requiruntur aliqua cõmunia, siue speciales personę coram domino potestate, vel eius iudicibus, quauis ex causa, debeant soluere seruitoribus ad prædictam metam, & non communia, vel requisiti.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes seruitores, qui vadunt per ciuitatem, & suburbia ad pignorandum pro taleis, fodris, vel alijs causis, habeant soldum vnum pro quolibet pignorato: & idem intelligatur de licentijs.

*De eodem.*

ITEM quòd a Grignasco superius, a burgo Agnello superius, meta seruitorum sit in arbitrio potestatis, & a Sorisio superius.

*De eodem.*

ITEM quòd seruitores contrafacientes cadant in pœna soldorum decem pro qualibet vice, & vltra hæc reddant illud quod illicitè extorserunt.

*Quod seruitores non portent per Episcopatum vltra quinquaginta requestas.*

ITEM statutũ & ordinatũ est quòd aliquis seruitor cõmunis Nouariæ non audeat, nec præsumat, portare vna vice, quãdocũq; iuerit ad requirendũ homines, vel personas, vel cõmunia locorũ per episcopatũ Nouarię, vltra quinquaginta scriptos, & tot bene possit portare, non obstante statuto quod loquitur de decẽ scriptis: & qui contrafecerit condemnetur in libris quinq; imperialiũ pro quolibet & qualibet vice. Et teneatur ire dictus seruitor ad domos habitationũ eorũ qui requiruntur, si eos personaliter nõ inuenerit, & scripta ibi dimittere, & in protestatione, & redditione ambassiatę dicere quòd eos ad domũ, quos personaliter nõ inuenerit, requisiuit, & nomina illorũ quos personaliter non inuenit: & contrafaciens condemnetur in soldis viginti: & idem intelligatur de alio nuntio deputato ad citandũ aliquẽ.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd seruitores communis Nouarię, teneantur & debeant ire per Nouariam, & districtum, ad petitionem requirentis, ad citandum quoslibet pro salarijs contentis in suprascriptis statutis, & quòd vlterius non recipiant per se, vel alium, sub pœna soldorum viginti imperialium pro quolibet & qualibet vice.

*Quod pignorationes non fiant per barruerios nisi in certis casibus, & de pœna pignus prohibentibus imponenda.*

ITEM quòd pignoratio possit fieri pro debito priuato per solum seruitorem communis Nouariæ, nisi seruitori placuerit secum habere vnum barruerium pro prima vice: & casu quo captio pignoris prohiberetur, tunc & eo casu plures possit dari de mandato domini potestatis, vel eius vicarij, vel consulis iustitiæ Nouarię, ad coadiuuandum seruitorem cum insertione causę in licentia, quare dantur plures barruerij: & seruitori cum sacramento credatur de prohibitione pignoris, per respectũ ad habendũ, vnũ vel plures ex barruerijs, vel stipendiarijs, & cum vno teste, quò ad fidem plenam faciendam de ipsa prohibitione. Qui testis sit de Nouaria, & districtu, & persona prohibens puniatur pro qualibet vice in soldis viginti imperialium, & vltra arbitrio domini potestatis, vsque ad soldos triginta. Quam tamen condemnationem pro pignoribus vetitis dominus potestas facere non possit, si creditor, ad cuius instãtiam facta fuerit pignoratio, protestatus fuerit ad officium maleficiorum, quòd non vult dictam condemnationem fieri debere.

*De pœna seruitoribus imponenda, pignoranti sine licentia, vel cum barruerio in casu prohibito.*

ITEM quòd in casu in quẽ contingeret per aliquem seruitorẽ fieri pignorationẽ sine licẽtia in scriptis, vel cum barruerio aliquo, seu stipendiario communis Nouarię, vno vel pluribus casu prohibito, vt supra, quòd dictus seruitor incontinenti per iuris remedia compellatur soluere per quemlibet iusdicentem in ciuitate Nouariæ soldos sexaginta imperialium pro qualibet vice: quæ pœna applicetur communi Nouariæ.

*Quòd seruitor teneatur pro barruerio.*

ITEM quòd in casu, in quo contingerit pignorationem fieri per seruitorem, vel barruerium domini potestatis, vel stipendiarium domini potestatis, communis Nouariæ, vnum, vel plures, præsente seruitore: quòd seruitor teneatur reddere rationem de ipso pignore, & quòd pignoratio non possit fieri per barruerium, vel stipendiarium, nisi pręsente seruitore.

*Quòd seruitores, & barruerij, pignus non capiant pro eorum mercede.*

ITEM quòd seruitores, & barruerij, & stipẽdiarij, pro eorum labore, & mercede, non possint capere aliquod pignus a persona, ad quã vadũt pro pignoratione, vel citatione ad instãtiã ali

alicuius singulę personę districtus vel cōmunitatis Nouariæ, sub pœna soldorū viginti imperialiū pro quolibet seruitore, barruerio, & stipēdiario, & qualibet vice, & vltra hoc teneantur, ad restitutionē pignorum, & quòd ad dictam pœnam, & ad dictam restitutionē faciēdam cōpellantur incōtinenti, per omnia iuris remedia, per quēlibet iusdicētem. Item quòd credatur cuilibet personæ maiori quatuordecim annorum, bonæ opinionis, contra quemcunque seruitorem, cum saramento, super eo quod diceret ipsum seruitorem aliquod pignus accepisse, & de valore ipsius pignoris, & super eo quòd diceret, ipsum seruitorem cum barruerio, vel stipendiario, vel barruerijs, aut stipendiarijs, vel sine, iuisse ad pignorandum: & etiam super eo quòd diceret ipsum barruerium, seu barruerios, stipendiarium, seu stipendiarios, qui iuissent cum ipso seruitore aliquod pignus accipiēdum, & de valore ipsius pignoris. Quo sacramento prestito, statim fiat executio ad restitutionem ipsius pignoris, seu valorem ipsius, nisi ipsum pignus pręsentetur per ipsū seruitorem, barruerium, seu stipendiarium, in quantum cōtra prędicta, vel aliquod prædictorum, vel aliorum, fecissent ipsam pignorationem, aut sine forma alterius statuti, si ipsa pignora non pręsentarentur.

## *De notarijs, qualiter peruenire debeant ad artem notariæ.*

ITEM statutum est, quòd si aliquis de Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ, voluerit ad officium notariæ peruenire, veniat per potestatem, & eius assessores, vel aliquem eius assessorem cum litteris sigillatis per aliquem de comitibus de Lomello, vel alium habentem auctoritatem faciendi seu creandi notarios: de qua potestate, seu auctoritate faciendi notarios, stetur & credatur: & stari debeat communi oppinioni, seu voci, seu famæ, quæ habeatur de aliquo qui possit creare notarios, & hæc absque eo quòd debeat ostendi, vel doceri de priuilegio faciendi notarios: in quibus contineatur: qualiter ille Comes, vel alter habens auctoritatem, vt supra, concesserit illi qui voluerit esse tabellio, quòd possit esse, & sit tabellio: & potestas seu aliquis ex suis assessoribus, consilio duorum iurisperitorum, & duorum antianorum notariorum Nouariæ examinet illum, qualiter scit officium exercere, & si eis videbitur, quòd sufficienter possit exercere, approbent illum in tabellionem: & deinde ipse talis approbatus, in fidem suæ approbationis, teneatur, & debeat se facere matriculari, & per nomen, & cognomen eius describi in libro matriculę collegij notariorum Nouarię, cum anno, mense, & die, in quibus fuit examinatus, & approbatus, & nomine notarij qui fuerit rogatus de instrumento suæ examinationis, & approbationis, & quòd talis examinatus sic & laudatus, ac matriculatus, possit & valeat recipere, & traddere quælibet instrumēta, acta, & vltimas voluntates cuiuscunque maneriei: & talis habeatur, teneatur, & reputetur publicus, & autenticus notarius. Ita tamen quòd talis teneatur ad obseruātiam statutorū collegij prędicti. Et si aliquis de cętero creandus in notarium non examinatum, nec approbatum, nec matriculatum, de cętero ausus fuerit recipere & traddere instrumenta aliqua cuiusuis maneriei essent, etiam vltimas voluntates, quòd ipso facto, & iure cadat, & cecidisse intelligatur in pœnam librarum quinquaginta imperialiū, applican. pro tertia parte cameræ ducali, & pro alia tertia parte camerę cōmunis Nouariæ, & pro alia tertia parte accusatori: & si cōtrafaciēs repertus fuerit per officialē salariatū, sine accusatore, quòd dicta pœna applican. accusatori, applicetur cōmuni Nouariæ, & quòd quilibet possit accusare.

## *De eodem.*

ITEM, quia per suprascriptum statutum prouisum est tātùm de eis notarijs qui idonei reperiētur, statutū etiam, & ordinatū est, quòd si quis de cætero fuerit creatus in tabellionē per comitem, & noluerit se supponere examini, vt supra, sed differre, vsquequo se expertum, quòd ille talis sic creatus, non audeat, nec præsumat, sub pœna prædicta recipere nec traddere aliqua instrumenta, sed teneatur se facere describi, & matriculari in dicto libro dicti collegij, in numero aliorum notariorum, separatim ab alijs laudatis descriptorum: & quòd talis, licet non sit approbatus, nec examinatus, vt in præsenti statuto continetur, interesse possit pro secundo notario quibuscunque instrumentis, in quibus debent interesse duo tabelliones, & per sequētia statuta declarerur, & etiam possit redigere in publicas formas instrumenta rogata per alios notarios approbatos, de iussu ipsorum, & etiam acopiare: vt per exercitium instruatur, & possit deuenire ad examen, & admitti cùm fuerit expertus, & laudatus ad recipiendum, & roganda instrumenta; & quòd teneatur ad obseruantiam capitulorum dicti collegij.

*De eodem.*

ITEM, quia officium tabellionatus est magnę auctoritatis, & vbi maius periculum est, ibi cautius est agendum: considerato numero magno tabellionum hactenus creatorum, qui licet sint minus idonei,& multum ignorantes ad officium prædictum exercendum,ex quo, & pro periculis, damnis, & scandalis euitandis, congrua videtur prouisio necessaria. Statuerunt & ordinauerunt, quòd omnes singuli notarij diœcesis Nouarien. & de quouis loco ipsius diœcesis, debeant infra duos menses, postquàm fuerint per publicam proclamationem moniti, citati, & requisiti, vel aliam citationem, sese præsentialiter constituere, & præsentare coram abbatibus notariorum dicti collegij, necnon duobus iurisperitis de collegio dictæ ciuitatis, per ipsum collegium ad hoc deputandis, & sese supponere examini, in omnibus, & per omnia pro vt supra dictum est in præcedentibus duobus statutis: & obseruare in omnibus & per omnia prout disponitur in prædictis statutis, sub pœna cuilibet contrafacienti librarum quinquaginta imperialium, soluen.& applican.vt in proximis statutis dictum est: quòd dictus potestas Nouariæ, tamquam potestas ratione subditorum eius, & respectu eorum commorantium in aliquibus terris sibi non suppositis, sed tamen in dicta diœcesi commmorantibus, tanquam delegatus ducalis,ad omnem requisitionem dictorum abbatum, teneatur fieri facere proclamationem in locis publicis ciuitatis Nouariæ, de prędictis, vt expediuerit, ad ipsos notarios monendum,citandum,& requirendum vt supra. Et possit tamquàm ordinarius,& tamquàm delegatus, vt supra: & singula singulis congruè referendo: ac magistratus maior dictę ciuitatis, condemnare,& condemnationes exigere, de prędictis, & contra inobedientes & renitentes, ac negligentes, vtsupra.

*De eodem.*

ITEM quòd si contingeret, siue ex creatis notarijs, siue ex creandis in futurum aliquem,vel aliquos notarios, dictę diœcesis ausu temerario non formidare dictam pœnam,& procedere contra formam statutorum, ad recipiendum, & recipere, & traddare instrumenta, vel vltimas voluntates,quòd potestas Nouarię,tamquam delegatus ducalis,& magistratus maior, ad instantiam abbatis, vel abbatum, qui tunc pręerunt; habita notitia, teneatur procedere ad alias pœnas pœnales, & etiam ad ipsos puniendum, & priuatos declarandum a dicto officio tabellionatus, sub pœna ipsi potestati, si negligens fuerit, librarum viginti-quinque imperialium, applican. cameræ ducali.

*De obseruantia adhibenda per Notarios in instrumentis conficiendis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd omnes tabelliones Nouariæ & eius iurisdictionis hâc formam seruare debeant in instrumentis conficiendis: scilicet, quòd debeant ipsa instrumenta conficere coram bonis testibus, ab ipsis tabellionibus cognitis,quorum testium nomina & cognomina similiter, & patrum eorum debeant apponere in instrumentis: qui testes debeant esse de Nouaria, vel suburbijs, quando instrumentum conficitur in ciuitate: quando verò extra ciuitatem, debeant esse testes ipsius burgi,vel villæ,vel de domo, vel de Nouaria,in quo vel in qua instrumentum conficeretur, & nomen loci vel ciuitatis,vel domus vbi conficitur, similiter tabellio apponat nomen suum, & cognomen,& nomen patris sui: & scribant instrumenta propria manu in suo imbreuiario. Explere autem possint facere per alium notarium, idest in carta, seu forma publica scribi facere: tabellionibus tamé bonę opinionis & cognitis,& qui habitauerint in ciuitate, vel suburbijs, & qui manu propria teneantur,suas notas apponentes,se subscribere:quòd illa instrumenta ab eis tradata, & illius pręcepto scripserunt. Et alter qui traddauit instrumentum, & illud scribi fecerit, propriam notam simili apponere teneatur:similiter nomen potestatis,& locum,& annum, & diem, & indictionem. Et qui contrafecerit prędictis, teneatur & debeat dare & soluere communi Nouariæ pro banno & pœna soldos sexaginta imperialium pro qualibet vice. Et instrumentũ quod non habueritur annũ,& dié,& indictioné,& testes,non valeat nec teneat.

*De eodem.*

ITEM quòd nullus notarius alienę iurisdictionis possit, nec valeat, de aliqua re existenti in iurisdictione potestatis Nouarię, traddare aliquod instrumentum alienationis sub quouis titulo, neque aliquod instrumentum locationis, nec alterius maneriei, in dicta diœcesi Nouariensi: neque in ipsa diœcesi traddare aliqua alia instrumenta inter aliquas perso-

nas

nas subditas dicto domino potestati, vel inter aliquam ex subditis cum aliqua persona nō subdita. Et hæc omnia, nisi prius appareat descriptus, & matriculatus, ac approbatus, vt in primo dicto statuto notariorum continetur. Et instrumenta, & vltimæ voluntates aliter recepta, & rogata, & rogatę, ipso iure sint nullius valoris & momenti.

*Vt duo tabelliones intersint in omnibus contractibus decem librarum, vel vltra.*

ITEM statutum est quòd in omnibus contractibus fiendis de libris decem imperialium supra, amodo in antea, intersint semper duo tabelliones, qui in ipso debeant se subscribere quotienscunque fuerint requisiti ab illo cui spectauerit instrumentum. Excepto illo notario qui illud instrumentum confecerit: & tabellio qui fecerit instrumentum, non seruata prædicta forma, teneatur dare & soluere pro banno communi Nouariæ, soldos sexaginta pro qualibet vice: & quòd nihilominus valeat instrumentum, si ipsi duo tabelliones non se subscripserint, & hoc statutum non habeat locum in testamentis, & vltimis voluntatibus.

*Qualiter Notarij debeant perficere & scribere cōtractus & vltimas volūtates.*

NOTARII Nouarię & iurisdictionis teneantur scribere voluntatem contrahentium, contractus, & vltimas voluntates conficientium per ordinem, & illam voluntatem legere. Et tunc si partes consenserint, conuocatis testibus idoneis iterum legere, & postmodum contractum perficere: Et dare breue siue instrumentum factum infra quindecim dies postquàm traddauerit illud, facta requisitione per partem: facta solutione tamen ipsius eis, facta: & ita notarij teneantur: nisi distulerint parabola illius cuius fuerit instrumentum. Et qui contrafecerit det pro banno cummuni Nouariæ soldos viginti pro quolibet.

*De eodem.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd omnes tabelliones Nouariæ, & eius iurisdictionis hāc formam seruare debeant in instrumentis conficiendis, scilicet, quòd debeant ipsa instrumenta conficere coram bonis testibus, ipsis tabellionibus cognitis: quorum testium nomina & cognomina similiter, & patrum eorum debeant apponere in instrumentis. Qui testes debeant esse de Nouaria, vel suburbijs, quando instrumentum conficitur in ciuitate: quando verò extra ciuitatem debeant esse testes ipsius burgi, vel villæ, vel de domo, vel de Nouaria, in quo, vel in qua, instrumentum conficeretur, & nomine loci vel ciuitatis, vel domus vbi conficetur: similiter tabellio apponat nomen suum & cognomen, nomen patris sui: & scribant instrumenta propria manu in suo imbreuiario. Exemplare autem possint facere per alium notarium, idest, in carta, seu forma publica scribi facere: & tunc teneantur scribi facere tabellionibus tamen bonæ opinionis.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd teneantur & debeant notarij Nouariæ, & iurisdictionis Nouarię apponere omnia nomina & cognomina contrahentium, & nomina patrum eorum in instrumentis, sub pœna soldorum viginti pro quolibet & qualibet vice.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd omnes notarij teneantur distinctè scribere in protocollis, & imbreuiamentis, & in cartis quas traddiderint vel fecerint, quantitates pecuniarum per totam litteram, seu aliarum rerum, specificè, de quibus sunt ipsæ cartę, & annum, & diem, & horam diei, indictionem, & mensem ipsarum cartarum: nec possint aliquam cartam traddare, nisi cognouerint testes, quos apponant in dictis cartis: & nisi saltem vnus ex dictis testibus asserat se cognoscere contrahentes. Et qui contrafecerit componat pro banno soldos centum imperialium pro quolibet & qualibet vice.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd Notarij teneantur precisè in suis cartis & instrumentis distinctè ponere diem, & nomen diei, scilicet diem lunæ, & diem martis, & sic de singulis: in quo instrumento, seu carta, traddato, vel traddata erit. Et idem faciat in omnibus alijs publicis instrumentis. Et teneantur in ipsis scripturis, & cartis domum, seu locum in quibus fient ponere. Notarius contrafaciens condemnetur in libris decem imperialium.

### De eodem.

ITEM statutum quòd quilibet Notarius teneatur, & debeat, infra vnum mensem postquàm fecerit seu traddauerit aliquod instrumētum dationis insolutum factę alicui creditori de aliquibus terris & possessionibus, & bonis, per suum debitorem, in solutione alicuius instrumenti, vel instrumentorum: quę instrumenta ad defensionem retineantur, & ad agendum in quantum euinceretur, siue totius debiti facta fuerit solutio, siue non, ire ad cameram communis Nouariæ, & ibi scribere in libro dicti communis: Qui liber ematur, construatur, & conseruetur expensis communis Nouariæ, annum, & diem dicti instrumenti, & debiti quantitatem de qua, & pro qua solutio facta fuerit, & suam notam apponere. Et si in datione insolutum, siue dato, non fuerit facta mentio de instrumento debiti: sed instrumentum retineatur ad defensionem, & se retinere confiteatur in scriptis, & de dicta protestatione, confessione, & scriptura similiter facere descriptionem in eodem libro communis infra dictum terminum. Idem notarius qui cartam dati rogauerit, seu traddauerit, facere teneatur. Et quilibet, qui ad officium notarię amodo in antea promouebitur in Notarium. Et consules notariorum, obseruando sacramentum, facere teneātur tempore quo approbatur in notarium & consules notariorum infra mensem a tempore publicationis istius statuti collegium notariorum debeant conuocare, & a prædictis notarijs de prędictis obseruandis, exigere iuramentum, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio domini potestatis, & in sequentibus annis, alij consules notariorum, infra mēsem post electionem sui consulatus, simile sacramentum ab illis qui non iurassent exigere teneātur.

### De eodem.

ITEM statutum & ordinatum est quòd idem sit in executionibus, siue liurationibus, & datio nibus insolutum, quæ fierenr per consules iusticiæ Nouariæ, vel officialem communis. Et quòd ille cui fit talis solutio, seu datio insolutum per consules, vel alios officiales, vel debitorem, teneatur, & debeat debitori pręsenti: & etiam creditori ipsius debitoris: si debitor non petierit facere protestationem, quæ erit quasi loco confessionis, qualiter per consules vel officiales communis Nouarię, vel debitorem, facta est sibi solutio, vel datio insolutum: & de qua re, & quantitate, prout in instrumento dationis insolutum continetur. Et si qua essent iura ad defensionē retenta, de quibus in carta dati mentio non haberetur, similis protestatio fiet per creditorem accipientem insolutum. Alius verò creditor iura cedens alicui, defensionem rei acquisitę similiter protestationem facere teneatur: & notarius qui faciet instrumentum cessionis dictorum iurium ad dictam cameram communis, de dicta iurium cessione, in dicto libro communis mentionem & descriptionem facere teneatur, continentem quantitatem debiti, & diem instrumenti, de quibus ad defensionem, iurium cessio facta fuerit. Et tam creditor, quàm notarius contrafaciens pœna simili teneatur. Et hoc locum habeat, si liuratio, vel insolutio datio fiat de bonis principalis debitoris: si autē fiat de bonis fideiussoris: tūc instrumentū debiti per ordinē, & in toto, in carta dationis insolutum transcribatur, & easdem obtineat vires tam in petendo, quàm in defen dendo, sicut instrumentum debiti principalis, & de ipso instrumento debiti, si, & in totum creditor solutionem recepit, ipse creditor iura cedere teneatur, & debeat ipsi fideiussori versus, & contra debitorem principalem, & alia eius bona, & versus alios obligatos, & eorū bona, & eodem modo, de parte cessionem faciat, si in totum solutionem non recepisset, & & valeat & teneat talis iuriscessio, liuratione, vel insolutum datione in aliquo non obstan te, perinde ac si facta esset ante solutionem factam: nec propterea instrumentum debiti in cidatur. Sed protestationes & descriptiones fiant vtsupra.

### De eodem.

ITEM statutum & ordinatum est, quòd quilibet, qui exercuerit officium notariæ, & instrumenta tradiderit, per triennium habeatur pro notario, & contra ipsum & ea instrumenta opponi non possit, quòd non fuit, & sit notarius.

### De eodem.

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd si contingat aliquem ex notarijs Nouariæ, & districtus decedere relictis imbreuiaturis non extensis, & etiam extensis. Quòd dominus potestas Nouariæ, & eius vicarius, ad petitionem cuiuslibet requirētis, cuia intersit, posit inter

ponere

ponere decretũ, & dare licẽtiã, visis ipsis prius imbreuiaturis sic relictis, & habito cõsilio duorum iurisperitorum, ac duorũ notariorum expertorũ in arte Notariæ, cuilibet notario, quem duxerit eligendum, prædictas imbreuiaturas non extensas extendere, secundum cõsuetudinem notariorum ciuitatis Nouariæ, & extensas in publicam formam redigere, & tradere cui spectabunt. Et similiter facere possint de extensis. Et quæ instrumenta sic extẽsa & traddita valeant & teneant, quemadmodum si facta, extensa, & traddita essent & fuissent per illum notarium, qui ea traddauerit: & eis adhibeatur fides in iudicijs & extra.

*Quòd de instrumentis & abbreuiaturis fieri debeat copia his quorum interest.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd notarij ciuitatis Nouariæ & districtus, & quæcunque persona habens, vel quæ habeat copiam alicuius protocolli, seu imbreuiarij, vocato aduersario, teneatur, & iuris remedijs cogi possit & debeat, facere copiam in forma publica omnibus personis iurisdictionis potestatis & communis Nouariæ, iurantibus credere sua interesse de instrumentis emptionum, venditionum, & qualibet aliarum alienationum, inuestiturarum, & etiam quorumlibet contractuum, vel quasi, hinc retro factis, vel etiam de cætero faciendis, de quibus secundum consuetudinem ciuitatis Nouariæ, fieri solent plura instrumenta, habita pro factura ipsorum instrumentorum de ipsorum mercede solutione condigna.

*Quòd instrumenta iurisce∫sorum possint pluries fieri.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd instrumenta iurisce∫sorum, tam facta quàm fienda in ciuitate & districtu Nouarię, siue ipsæ iuriscesiones sint ex titulo lucratiuo, siue ex titulo oneroso, possint & debeant semel & pluries in forma publica fieri, absque aliqua solemnitate, & traddi his quorum interest, vel interer it. Et quòd in fine ipsorum instrumẽtorum iurisce∫sorum, quæ fient in futurum, teneantur & debeant ponere hæc verba. Et inde plures cartæ fieri iussæ sunt.

*De Notarijs qui testes recipere debent.*

SI causa fuerit sub potestate, vel eius assessore, siue sub consulibus iusticiæ Nouariæ, vel alio officiali, & vna pars voluerit testes producere, conueniant partes, si voluerint, in quem notarium voluerit, qui testes illos recipiat. Et si in vnum non voluerint conuenire, habeat vna pars vnum notarium, & altera alterum, & recipiant illi duo notarij testes illos, quibus non fient vltra duodecim questiones super quolibet capitulo; exeptis illis quæ fiunt ex officio notarij. Et notarij recipientes testes possint facere infrascriptas questiones testibus super voce & fama. Si de voce & fama testificetur: & vltra has duas questiones super voce & fama, non possint facere nisi tres alias, secundum quòd sibi melius videbitur: & quilibet notarius, qui voluerit recipere testes, debeat iurare semel in qualibet causa in manibus iudicis dictæ causę de eorum officio fideliter exercendo, & de tenendo secreta dicta testium, vsque ad eorum publicationem & prout latius continetur in capitulo decreti ordinis causarum ciuilium, quod incipit notarij &c Et quòd aliquis notarius electus per aliquam partium, quando in vnum examinatorem non potuerunt cõuenire, recusari suspectus per alteram partem non possit, nisi ex consanguinitate qua esset coniunctus eligenti ipsum in notarium, intra tertium gradum, de iure canonico computan. vel in alia causa de negocio ad talem notarium electum quoquo modo pertinenti & pertinere possenti tractaretur, aut iurare recusaret, vt supra. In quibus casibus talis recusatus in examinatione testiũ in illa causa non admittatur. Et quòd Notarij sic electi debeãt facere interrogatoria super vno quoquę capitulo, antequàm testes deponant dicta sua super alio capitulo, vel capitulis, sub pœna soldorum decem imperialium pro quolibet notario, & quolibet teste. Saluo quòd de voce & fama possit interrogare super vnoquoque capitulo separatim, & coniunctim, prout eis placuerit.

*De acceptatione, vel repudiatione fienda per Notarios, qui eligentur ad recipiendum dicta testium.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd notarius seu notarij, qui eligentur ad examinandum seu recipiendum, dicta alicuius testis, seu testium, vel cui, seu quibus examinatio testis, seu testium, comittetur, teneatur ipsam comisionem vel electionem acceptare, vel repudiare

re a die, vel sequenti: qua eisdem facta fuerit fides de dictis electione, vel comissione. Et quòd non facta dicta repudiatione infra dictum terminum, dominius potestas, & eius vicarius ad instantiam cuiuslibet partis, & quilibet iusdicens in ciuitate Nouarię teneatur & debeat dictos notarios, seu notariũ, omnibus iuris remedijs, cogere & cõpellere ad exequendum dictam examinationem, seu receptionem, & ad insistendum continuè horis congruis examinationi & receptioni prædictis,

*De eodem.*

STATVTVM est quòd notarij qui recipiũt testes, debeãt, & teneãtur in vtroq; latere folij scribere viginti gricias, & nõ recipere, nec habere pro suo labore nisi imperiales duodecim in moneta vsuali pro quolibet folio, dimittendo spacium in vtraque parte dicti folij duorũ digitorum per transuersum. Et hoc sub pœna soldorum decẽ imperialiũ pro quolibet folio.

*Ut masculi & fœminæ habentes personam testandi possint testari cum quinque testibus.*

ITEM statutum est, quòd quilibet masculus & fœmina habens personam testandi, possit testari cum quinque testibus, ad hoc vocatis, & rogatis: qui cognoscant & attestentur se cognoscere dictum testatorem, inter quos tabellio, qui rogatus fuerit de dicto testamento, cõnumeretur pro teste, vel valeat. Et quòd testator debeat ore proprio, si fari possit, nominare heredem, seu heredes, quem & quos voluerit instituire. Et quòd nulla persona aliquo casu, vel aliquo contractu, vel quasi, vel aliquo alio titulo, vel ingenio possit relinquere vel legare vxori suæ, vel alij submissę personæ vltra vsumfructum medietatis bonorũ suorum tempore vitæ suæ, & vltra duas vestes ad ipsius vxoris portare, & vltra duas sochetas, seu vnam sochetam, & vnum fust anium, quę voluerit ipse maritus, sine aliquibus perlis centuris, frexaturis, vel aliquo argento, & vltra vnum lectum fornitum, & vltra quinquaginta libras imperialium, quò ad proprietatem prædictarum rerum supra specialiter expressarũ. Que res bene acquireantur ipsi vxori, & suis heredibus, si dicto viro suo placuerit. Et si aliter factum fuerit, non valeat nec teneat ipso iure, vltra quod relictum est. Infra verò sic. Quem vsumfructum habeat custodiendo lectum suum, & vitam vidualem seruãdo, & regulam non intrando.

*De contractu & obligatione non faciendo cum filio familias.*

ITEM statutum est quòd aliquis contractus, vel quasi, nec aliqua obligatio non possit fieri
nec celebrari cum filio familias, sine consensu patris, vel eius in cuius potestate fuerit,
vel cum minori masculo quatuordecim annorum, nec fœmina minore duodecim annorũ,
sine auctoritate tutoris, si habet, & si non habuerit sibi detur: aut cum maiore qutuorde-
cim annis, si sit masculus, vel maiore duodecim annis, si sit fœmina. Minoribus tamen de
cemocto annis, sine auctoritate curatoris, si curatorem habuerint, & si curatorem non ha-
buerint, cum auctoritate trium consulum. Et si cõtrafactum fuerit, ille contractus, vel quasi,
& illa obligatio non valeat nec teneat ipso iure, nec possit aliquo tempore confirmari,
nec tacitè, nec expressè, nisi de consẽsu, & voluntate patris sui, seu eius in cuius potestate
esset. Et hoc nisi ipse filius familias videatur legitimè administrare: & obligari possint
pro fictis tam domorum, quàm terrarũ, & pro datijs communi spectantibus: si pro ipsis fi
ctis & datijs se obligauerint. Et quòd fideiussor, qui aliter quàm in casibus prędictis acces-
serit ipsi contractui, vel quasi, & obligationi similiter, ipso iure non teneatur. Et potestas in
fra octo dies, postquàm ab eo petitum fuerit, teneatur & debeat suo officio, sine datione li-
belli cogere contrahentes cum filio familias, vel minore, vt supra, ad restituenda instru-
menta, & pignora, si qua intercesserint, sine aliqua datione pecunię. Statuto quod loquitur
quòd potestas non possit se intromittere de causis ciuilibus, & criminalibus pecuniarijs,
in aliquo non obstante. Et hoc capitulum teneatur potestas legi facere in arengo quolibet
mense, & sit præcisum. Et hoc statutum vendicet sibi locum in omnibus casibus suprascrip-
tis, Et si contraxerit, vel fecerit fieri sibi confessionem cum minore decemocto annis, ma-
sculo maiore quatuordecim, & fœmina maiore duodecim, sine cõsẽsu curatoris, siue sine cõ
sensu trium cõsolum, cadat ipso facto in pœnã soldorũ vigintiquinque imperialiũ vsque ad
libras vigintiquinque. Et nõ vltra quantæcũque esset quãtitatis cõtractus, vel cõfesio, arbi-
trio domini potestatis. Ita quòd dicta pœna non possit excedere quantitatem compræhen
sam in contractu, seu quantitates valoris contractus, seu confessionis, si cõtractus summam

librarum vigintiquinq; imperialium non excedat. Quæ pœna deueniat in commune Nouariç,& etiam potestas exigere teneatur. Et si minor decemocto annis contraxerit, vel quasi, non seruata forma huius statuti;& ratum habuerit expressè, ipsum contractum, vel quasi, vel confessionem post ætatem decemocto annorum, quòd ipse contractus, vel quasi, & confessio valeat,& teneat pleno iure, perinde ac si esset factus cum maiore. Idem sit in filio familias facto maiore decemocto annis,& patre familias ratum habente expressè. Idem fiat & obseruetur quò ad pœnam & nullitatem contractus per omnia vtsupra. In & pro quibuscunque personis contrahentibus cum aliquo, vel aliquibus, cui vel quibus bonis fuerit interdictum per consiliũ priuatum ciuitatis Nouariç. Et quòd interdictio bonorum illius,& illorum; qui rebus suis malè vterentur; possit fieri per consiliũ priuatũ, ad requisitioné duorum agnatorum, si adfuerint,& si non adfuerint duorum cognatorũ iuratorũ tamen; prout ipsi consiliarij viderint expedire: cum aliqua tamen causæ cognitione, & eo citato, ad cuius interdictionem tractatur. Ita tamen quòd si ex ipsis consiliarijs fuerint aliqui contradicentes, interueniat consensus duarum partium. Et quòd talis interdictio per dictum consilium priuatum facta, debeat præconizari per loca vbi prçconizantur repudiationes hæreditatum:& facta seruata forma prædicta valeant & teneant ipso iure.

### *De confessionibus faciendis debitoribus per creditores.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd quilibet creditor, quando receperit solutionem alicuius debiti a suo debitore, teneatur & debeat facere suam confessionem debitam per publicum instrumentum, si fuerit requisitus, de ipso debito recepto ipsi debitori: & si indebitè recusaret facere confessionem, quòd ipso facto & iure cadat ipse recusans in pœnam quarti eius de quo debuisset fecisse confessionem, applican. pro medietate communi Nouariæ,& pro alia medietate ipsi debitori sic requirenti. Et quòd nihilominus, per omnia iuris remedia, debeat compelli summariè,& de plano, & sine strepitu,& figura iudicij,& absq; libello, vel petitione in scriptis redigenda, ad ipsam confessionem redigendam.

### *Vt mulier non possit fraudare filios.*

ITEM statutum est quòd aliqua mulier Nouariç, vel iurisdictionis, non possit, nec debeat fraudare filios, nec filias, ablaticos, nec ablaticas, suas ab hereditate & successione bonorum, & rerum suarum, & dote sua, iure testamenti, vel causa donationis mortis vel aliquo contractu siue iure. Sed teneatur liberè & absolutè dimittere & relaxare totam suam hæreditatem, & omnia sua bona dictis suis filijs, & filiabus, vel ablaticis equaliter vel inequaliter. Et si contrafactum fuerit, non valeat nec teneat ipso iure. Saluo iure cuiuslibet prædictorum in legitima debita iure naturç. Saluo quòd possit relinquere ad pias causas vsq; ad septimam partem bonorum suorum tantùm. Salua causa ingratitudinis, dummodo probetur secundum ius commune.

### *De prohibita alienatione in personam non subditam communi Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd quicunque masculus vel fœmina de ciuitate Nouariç, vel episcopatu, siue iurisdictione Nouariç, vendiderit siue alienauerit, in dotem dando, vel cambium, vel hçredem instituendo, vel legando, vel aliquam vltimam voluntatem, vel aliquo alio modo contrahendo, poderium suum, vel possesionem, immobiles existentes in Nouaria, vel districtu, vel iurisdictione Nouariæ, alicui personæ non subditæ communi Nouariæ, vel non substinenti fodra & alia onera cum communi Nouariç, vel collegio, vel vniuersitate non subditis communi Nouariæ, vtsupra, componat pro banno libras centum imperialium, quam pœnam alienans euadere possit manifestando,& deferendo dictam alienationem, infra mensem a tempore publicationis huius statuti domino potestati, vel eius vicario: & poderium illud siue possesio ex tempore contractus vel alienationis ante tradditionem factam deueniat in commune Nouariæ: & sit publicatum, & ex nunc pro ex tunc publicatum esse intelligatur: nisi talis persona, commune, collegium, vel vniuersitas, in quam vel quod tale poderium, vel possesio, translata sit, sit de alijs ciuitatibus suppositis Illustrissimo Domino nostro. Et coniuncta consanguinitate agnationis, vel cognationis, vel affinitate vsque ad secundum gradum inclusiuè, secundum ius canonicum, saluo iure creditorum. Et prædicta alienatio aliter facta non valeat, nec teneat ipso iure. Hoc idem statutũ est si homines iurisdictionis Nouariæ trãstulerint se in aliam iurisdictionem, videlicet, quòd res eius immobiles publicentur,& in dominio & potestate communis Nouariæ deueniant

niant: nisi redierint infra duos menses, postquàm fuerint requisiti per potestatem, vel eius nuntium ad domum vbi habitare solebant. Quæ citatio fiat, & fieri debeat, tam ad domum quàm in vicinantia, alta voce, & nihilominus ad lapidē broreti cōmunis Nouariæ, sono tubę & voce præconia: & saluo iure creditorum, & det pro banno communi Nouariæ libras centum imperialium. Et hoc nisi ipsi vel alij pro eo soluerint fodra, & scuffias communis Nouariæ, sicut alij ciues, & cum ciuibus, si sunt ciues, & si fuerint rustici vel burgenses, cum rusticis & burgensibus.

### *De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, Quòd si aliquis de iurisdictione Nouarię, fuerit debitor alicuius personæ collegij, vel vniuersitatis, non subditorum communi Nouarię non possit dare insolutum rem, vel res suas immobiles dictę personæ, collegio, vel vniuersitati non subditis, nisi talis non subditus sit coniunctus, vt in proximo præcedenti statuto continetur. Et si soluere nequiuerint sine distractione rerū suarū immobilium, prędictę res vendantur, & distrahantur per commune, iusto præcio bonorum omnium: quod præcium soluatur creditoribus suprascriptis. Eodem modo teneatur facere potestas, si iure successionis ab intestato, ad aliquem, qui non sit de iurisdictione Nouariæ, peruenerint aliquæ res immobiles sitæ in districtu Nouarię. Et teneatur potestas inquirere, seu inquiri facere terras, & possessiones, & res immobiles, quę sunt alienatę contra formam statutorum prędictorum & recuperare, & in publicum & in communi redigere. Et omnia capitula prædicta, quæ loquuntur de alienationibus, sint pręcisa. Et teneatur dictus dominus potestas prædicta statuta de alienatione loquentia facere legi in arengo semel singulis tribus mensibus.

### *De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd consules burgorum, & villarum, & locorum iurisdictionis Nouarię, & communia locorum ciuitatis & districtus Nouarię, teneantur & debeāt infra mensem vnum, postquàm fuerint requisiti, dare in scriptis domino potestati, vel eius vicario, seu eius iudicibus, terras, & possessiones, & res immobiles sitas in eorum territorijs, alienatas in non subditis communis Nouariæ, & tenentes & possidentes dictas terras & possessiones, & res alienatas contra formam statutorum prędictorū loquentium de prohibita alienatione in personam non subditam; nisi talis persona non subdita sit coniuncta vt in alia rubrica fit mentio, & omnes personas alienæ iurisdictionis, & communi Nouarię non suppositas, tenentes & laborantes ibidem notificare, & fraudes, & contractus fictios factos in fraudem prędictorum statutorum, si sciuerint dictas fraudes. Et hoc sub pœna & banno librarum vigintiquinque imperialium pro qualibet villa, & librarum trium pro quolibet consule. Et nihilominus quilibet potestas & eius iudices possint de prædictis alienationibus, factis contra formam statutorum prædictorum, & de prædictis fraudibus, & simulatis contractibus, factis contra formam eorum, inquirere, & punire quos culpabiles inuenerint secundum formam dictorum statutorum possint: & quilibet possit accusare facientes contra prędicta statuta. Cuius condemnationis medietas si communis Nouariæ, alia medietas sit accusatoris. Ita tamen quòd hoc statutum locum non habeat in clericis, vel religiosis personis ciuitatis, vel episcopatus Nouarię.

### *De eodem.*

ITEM statutum est quòd nullus notarius ciuitatis Nouarię, vel aliunde, vndecunq; sit, scienter, debeat facere aliquam cartam, vel instrumentum de aliqua alienatione, quę quoquomodo fieret de rebus subditi in non subditum iurisdictionis Nouariæ, nisi vt in alijs statutis pręcedentibus fit mentio; nec debeat scienter facere instrumentum de aliquo contractu simulato facto in fraudem prędictorum statutorum loquentium de prohibita alienatione &c. Et si contrafecerit puniatur in soldis sexaginta imperialium pro quolibet, & qualibet vice. Et nihilominus instrumentum non valeat. Et quilibet possit accusare. Medietas condemnationis sit communis Nouariæ. Et alia medietas sit accusatoris.

### *De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd quęlibet persona ciuitatis Nouariæ & districtus Nouariæ, quæ in aliquem non subditum iurisdictioni domini potestatis & communis Nouariæ aliquam rem immobilem quoquomodo alienare voluerit: soluat de vera extimatione rei,

rei, quam alienat, vel transfert in alium non suppositum iurisdictioni domini poaestatis & communis Nouarię, de qualibet libra soldos decẽ imperialium, & omnes res immobiles, quæ possidentur, & possidebuntur imposterum per suppositos iurisdictioni communis Nouarię, quas in futurum in non suppositos contingeret alienari, sine solutione prædictorum soldorum decem imperialium pro qualibet libra: ex nunc, prout ex tunc, ipso iure cadant & cecidisse intelligatur in ius & dominium communis Nouariæ. Et si qua persona huic statuto aliquo modo vel ingenio fraudem fecerit, maxime de persona ad personã condemnetur in veram extimationem rei. Et nihilominus soluat vtsupra, notarij qui scienter instrumentum tradiderint vel scribent aliquos contractus, per quos contra prædicta, vel in fraudem prædictorum aliquo modo aliquid fieret, puniatur in libris quinquaginta imperialium, & contractus sit ipso iure nullus. Et si contingeret personam quæ non sit supposita, vtsupra, possidere amodo rem quę fuerit alicuius suppositi iurisdictionis cõmunis Nouariæ, pro plena probatione habeatur, quòd contra hoc statutum, seu in eius fraudẽ alienatio facta sit. Et quòd potestas Nouarię qui est, & pro temporibus fuerit, teneatur & debeat de prædictis, & quolibet prædictorũ, cum ad eorum notitiam peruenerit, inquirere, & condemnare in aliquibus, vel aliquo eorũ & si negligens fuerit, pœnã ducentarũ quinquaginta librarum imperialiũ incurrat. Et de prædictis & quolibet prędictorum quilibet possit accusare, & habeat accusator medietatem prædictarũ pœnarũ. Et hoc statutũ sit derogatorium omniũ statutorũ, prouisionum, & reformationum, etiam si in eis essent verba derogatoria, de quibus opporteret specialem facere mentionem: Quibus omnibus & singulis in quantum præmissis obuiarent, vel aliter disponerent sit penitus derogatum.

### *Quæ alienationes præsumantur fraudulosæ.*

ITEM statatum est quòd si aliquis de Nouaria, vel iurisdictione Nouarię, vel aliunde, masculus, vel fœmina, reperiatur fecisse datum, vel aliquem contractum, vel dationem insolutum vel aliquam aliam alienationem inter viuos, vel de iure, vel de facto, matri vel auiæ, fratri, vel fratribus, marito, vxori, vel vxoribus, filio, vel filijs, filię, vel filiabus, patri, vel patribus, sorori, vel sororibus, nepoti, vel nepotibus, neuo, vel neuotis, suis, vel alicui auo, vel auię, vel alicui de eorum familia, quòd illud datum, vel contractus, vel alia datio insolutum, vel illa, vel aliqua alienatio de iure, vel de facto, qualitercunque sit factum, vel factus, vel facta suprascriptis personis, vel alicui prædictorum: præsumantur & sint fraudulosa ex nunc, & fraudulosum & fraudulosa ipso iure intelligantur, & sint præsumptione iuris, & de iure fraudulosa & nulla habita, & sint cassi, & cassa, & irrita, & iritę, ipso iure & nullius momenti & valoris sint: & habeantur, quò ad possessionem & dominium, & quo ad omnia, quæ dici & excogitari possent, absque alio actu interueniente. Ita quòd quicquid secutum sit ex suprascriptis datis, contractibus, & dationibus insolutum, vel alienationibus, vel aliquo prædictorum, vel occasione ipsorum sit cassum, & inutile, & ipso iure nullum per quascunque manus res ambulauerit. Et hoc totum suprascriptum, & omnia & singula suprascripta, intelligantur, & sint, quantum ad creditores, vel & fideiussores eorum, qui prædicta, vel aliqua prædictorum fecissent vel recepissent, vel cui res, de qua foret facta alienatio, foret obligata: & non obstantibus prædictis, vel aliquo prædictorum, consules iustitiæ Nouarię, vnus vel plures teneantur, & debeant, ad petitionem cuiuslibet creditoris, vel fideiussoris, vel cui res ipsa esset obligata, eam vel eas res extimare, vel extimari facere, & liurare, & insolutum dare, sine vendere, secundum quod fieri debent aliæ venditiones, & liurationes per consules iusticiæ Nouariæ: & sicut in statuto consulum iustitię Nouariæ continetur, de extimationibus, & liurationibus, & venditionibus, vel insolutum dationibus. Et eodem modo & forma, & in illis casibus in quibus possent si res ipse alienatę essent penes alienantem Saluis omnibus iuribus illarum personarum in quas facta fuerint prædicta data contractus & dationes insolutum: & alienationes tantummodo, quò ad agendum, percipiendum, & habendum solutionem & dationem insolutum, vel liurationem, vel pagamentum de suprascriptis bonis, vel alijs, sicut alij creditores ipsorum bonorum. Saluo eo quòd mulieres nullum ius, nullam actionem habeant, nec habere credantur ipse mulieres: scilicet ipso iure extinctæ sint, nisi in dotibus, vel augumentis dotium, & donationibus propter nuptias, & alijs obligationibus, contractibus, & factis, & hereditatibus, & successionibus, vel legatis, vel fideicomissis tantummodo sanctis mulieribus pertinentibus, & occasione prędictorum. Et hoc si apparuerit vel probatum fuerit ipsis mulieribus

F pertinere,

pertinere,vel ipsas ius habere.Et hoc statutum,& quælibet eius pars locum habeat tã ad præterita,quàm ad futura.Saluo eo quòd huic statuto,vel alicui parti huius statuti non sit nec videatur aliquid detractum, vel deminutũ, vel derogatum,vel immutatum,vel etiam additum vel abiũctum venditionibus vel alienationibus,vel insolutum dationibus factis, vel celebratis pro commune Nouariæ, vel per officiales, vel per nuntios communis Nouariæ,vel per consules & extimatores iustitię Nouarię.

*De alienationibus factis in fraudem creditorum.*

ITEM statutum est quòd omenes alienationes factę,& quę de cætero fierent in quamcũque personã, collegium,vel vniuersitates in fraudem creditorum, vel fideiussorum, ipso iure sint nullæ:& quatenus de facto processum est in eis,reuocẽtur & cassẽtur, & irritẽtur,& annullentur per consules vel consulem iusticię Nouarię ad petitionem cuiuslibet creditoris siue fideiussoris:& hoc,facta fide ipsi consuli,& hoc summatim, absque datione libelli, vel alia litis contestatione,& alijs solemnitatibus, quæ de iure exiguntur.Excepto quòd fiat fides consuli de fraude,quibus reuocatis per consulem,vt supra,teneantur consul vel cõsules, ad petitionem creditoris,seu creditorum,facere ipsas res alienatas,& reuocatas, extimari,vel exponi venales,& dare insolutum creditoribus ipsorum bonorum secundũ formã statutorũ communis Nouarię,perinde ac si non fuissent alienatæ, & in illis casibus in quibus cõsules iustitiæ Nouariæ possẽt res debitorũ creditoribus insolutũ dare, seu alienare.Saluo eo quòd per istud statutum nihil videatur detractum, vel immutatum superiori statuto,vel alicui parti ipsius statuti.Sed prędictum statutum in eius firmitate permaneat in omnibus & per omnia.

*De alienationibus sediminum existentium in burgis episcopatus Nouariæ factis, & fiendis in ciues,habendis pro validis.*

ITEM statutum & ordinatum est,quòd quilibet ciuis Nouarię possit acquirere in quolibet burgo episcopatus Nouarię vnum & plura sedimina, & tot quot voluerit dictus ciuis: & quòd alienationes hinc retro factę de sediminibus existentibus in dictis burgis in ciues Nouariæ,licet non habitent, vel non habitauerint in dictis burgis, valeant, & teneant, & habeant roboris firmitatem,non obstantibus statutis in contrarium loquentibus,hinc retro factis,seu priuilegijs aliquibus ipsis burgis vel aliqui eorum hinc retro factis,vel concessis per commune Nouariæ, & omni iure communis Nouarię reseruato.

*Vt ille qui cessit iura alicui, non petat nec exigat illud de quo cessit iura.*

ITEM quòd ille qui cedet iura alicui contra commune Nouarię non petat nec exigat a commune Nouariæ illud de quo cesserit iura. Et si contrafecerit det pro banno communi Nouariæ soldos centum imperialium in pecunia numerata. Item & si alteri cesserit iura versus commune Nouariæ,vel finem fecerit post cessionem. Hoc idẽ statutũ, si aliquis cesserit iura alicui, & postea exigerit ab illo versus quẽ cesserit iura id de quo cesserit,& de quo tẽpore cessionis teneatur cedẽs iura,iurare in manu notarij, per quẽ instrumentũ iuriscessionis tradabitur, se esse verum creditorem totius, vel quantitatis de quo,vel qua, cedet iura.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si aliquis cesserit iura alicui, & postquàm cesserit iura alicui, exiget vel exigerit illam quantitaem ab illo contra quem cesserit iura, componat pro banno libras vigintiquinque imperialium.

*De eodem.*

ITEM quòd si aliquis cesserit iura alicui, & post dictam iuriscessionem, eadem iura cesserit alteri, non valeat, nec teneat secunda iuriscessio ipso iure. Et insuper ille qui cesserit iura duobus condemnetur in libris vigintiquinque imperialium, dandis & soluendis communi Nouarię,in pecunia numerata.Et ille qui cesserit iura duobus teneatur tradere & reddere illi cui secundò cesserit iura omne præcium & totũ id quod inde recepit & vltra hoc,teneatur primo & secundo quibus cesserit iura restituere omnia damna,& expensas,quæ & quas sustinuerint prędicta de causa,similiter si aliquis vẽdiderit,permutauerit,vel dederit insolutũ vel alio titulo habili ad dominium transferendum,alienauerit rẽ duobus,secunda venditio,permutatio,vel datio insolutũ,vel alienatio prædicta,nõ valeat nec teneat ipso iure. Sed primus emptor, iusti tituli acquisitor, pręferatur & obtineat: & ille qui vendiderit,

vel

vel permutauerit, vel insolutum dederit, vel alio titulo alienauerit rem duobus, puniatur
vel condemnetur in libris vigintiquinque imperialium, & vltra puniatur & condemnetur
ad restitutionem pretii faciendam secundo emptori, & ad omnes expensas, & damna re-
stituen. primo & secundo emptoribus, vel acquisitoribus, vt supra. Et idem seruetur contra
locantem eandem rem, vel res aliquas pluribus in solidum.

*Quòd nullus posit acquirere aliqua iura contra commune Nouariæ ab aliquo creditore communis Nouariæ non subdito.*

ITEM quòd nulla persona posit acquirere aliqua iura contra commune Nouarię ab aliquo
creditore cõmunis Nouarię non subdito communi Nouarię, etiã cum licẽtia potestatis &
consilij maioris ciuitatis Nouariæ: & si contrafiat, cedens ipso iure cadat de iure suo, &
sint inutilia, & inania illis quibus facta fuerit dicta cesio.

*De iuribus cessis a non subditis, & qualiter debeant obseruari.*

STATVM est quòd si aliquis subditus communis Nouariæ habuerit, vel habebit aliquam iu
riscesionem ab aliquo non subdito, quòd ille qui acceperit iura, vel accipiet a non sub-
dito non posit facere detineri aliquem debitorem contra quem habuerit iura. Et pote-
stas, & rectores non posint aliquo modo detinere, seu retinere, & capere aliquos debi-
tores non subditorum, contra quos essent iura cessa alicui subito. Et hoc locum habeat in
pendentibus, presentibus, & futuris negotijs, & trahatur nominatim ad præterita. Et si
aliter factum esset, vel fieret, non valeat nec teneat. Sed sit cassum & irritum ipso iure cap-
tio, siue detentio, & processus factus contra dictum subditum occasione detentionis.

*De communitatibus locorum non alienandis.*

ITEM statutum est quòd nulla communitas alicuius loci districtus communis Nouariæ,
posit vendi, nec alienari, nec etiam aggregari modo aliquo, sine voluntate omnium ciuiũ
dictę ciuitatis, habentium facere in ipso loco, vel eius territorio, & similiter sine volunta-
te omnium dominorum nobilium, & villanorum habitantium, facere vt supra, & etiam ha
bitantium in ipso loco. Et consul illius loci, burgi, vel villæ, & vbi non sit consul, nobiles, &
vicini ibi habitantes. Qui contrafecerit, vel passus fuerit aliquid fieri contra formam & te
norem huius statuti, puniatur, & puniantur per potestatem Nouariæ in soldis sexaginta im
perialium pro quolibet consule. Et vbi non sit consul, pro quolibet nobili & vicino habitã
ti in loco. Et etiam commune, si fuerit burgus & villa, in libris vigintiquinq; imperialium.
Et si non fuerit burgus, sed villa in libris decẽ imperialiũ, & hoc pro qualibet vice, & vltra
hoc, ipsa vẽditio, alienatio, locatio, vel aggregatio, nõ valeat nec teneat ipso iure. Et quòd
huiusmodi communitates ad commoditatem & vsum, ita sint, & esse intelligantur, ipsorũ
ciuium, & suorum massariorum, sicuti dictorum dominorum nobilium, & rusticorum.

*De eodem.*

ITEM quòd alienationes factæ hinc retro, vel quæ fierent in futurum quolibet contra for-
mam dicti statuti, non valeant, nec teneant ipso iure Et quòd dictus dominus potestas te
neatur, sub vinculo sacramenti, facere reuocare de facto ipsas alienationes ad petitionem
cuiuslibet conquerentis, cuius intersit, præscriptione aliqua non obstante. Et illi a qui-
bus fieret reuocatio posint habere regressum contra suos datores. Et quòd dictus domi-
nus potestas teneatur facere iustitiam summariam simpliciter & de plano, sine aliquo stre
pitu, & figura iuditij, non obstantibus aliquibus statutis, reformationibus, vel prouisioni-
bus, a quibus dictus dominus potestas sit totaliter absolutus.

*De communitatibus aperiendis.*

ITEM quòd potestas Nouariæ teneatur apperire vel apperiri facere cõmunia locorũ, vnius
vel plurium, si ei denuntiatũ fuerit, vel requisitũ per aliquẽ ciuem, vel nobilem, habentẽ ibi
agere, vel per aliquem dominorũ vel rusticorũ de dicto loco: vel per cõmunitatẽ, aut cõsu-
les locorũ de volũtate vicinorũ per quatuor bonos homines & legales, habẽtes facere in
dicto loco. Quorũ medietas sit dominorum ciuiũ, & alia nobiliũ, & vicinorũ ibi habitãtiũ si
tot ciues & domini habuerint terras & possesiones in ipso loco & territorio: & si tot ciues
& domini nõ fuerint habẽtes ibi terras & possesiones, tũc illi qui habuerint terras & posses

ſiones debeant intereſſe illi apperture. Ita tamen quòd per illam appertură non fiat alicui præiudiciū in dominijs, vel proprietate, ſeu poſſeſsione; ſi infra duos mēſes a tēpore apperturę prędictę probauerit illā appertură factā eſſe ſuper terras eorū, & ſit præciſū. Et dominus poteſtas qui per ipſū fuerit, teneatur iſtud ſtatutū ſeruare, remotis exceptionibus cuiuſlibet perſonę impedire volētis appertură. Et ſi vicini nollent eligere, domini ſeu nobiles, & ciues habentes facere in dictis locis eligere poſſint, ſimiliter econuerſo. Et poteſtas teneatur compellere, iuris remedijs, illos qui fuerint electi ad apperiendum, & determinandum dictas communitates. Et poteſtas teneatur relaxari facere communitates probatione non facta, & contrafacientes punire eius arbitrio, vſque ad libras decem imperialium. Et nihilhominus teneatur facere relaxari dictas communitates, aliqua prȩſcriptione non obſtāte.

*De alienatione non fienda, niſi certo modo.*

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliqua perſona non poſsit vendere, donare, permutare, vel dare inſolutum aliquam rem imobilem, quam non tenuerit & poſſederit per ſe vel alium ante ipſā venditionem, dationem, permutationem, vel inſolutum donationem, per ſex menſes, vel de qua non habeat legitimum titulum, vel de qua non ſit vox & fama quòd ſit ſua, vel fuerit alicuius cui ſucceſſerit, ſub pœna librarum vigintiquinque imperialium. Et Nihilominnus prędicta venditio, donatio permutatio, vel inſolutum datio, non valeat, nec teneat ipſo iure in præiudicium tertię perſonę, nec quò ad dominium, nec quò ad poſſeſsionem.

*De terris terminandis; & oſtendendis.*

TENEATVR poteſtas cogere conſules villarum, ſeu locorum, iuriſdictionis Nouariæ, vt determinent per terminos, vel foſſata terras cuiuſcunque hominis, quę ſunt in eorum loco, ſeu territorio, ſi determinatæ non ſunt, ſi requiſitum fuerit ab aliquo, vel aliquibus ibi terram habentibus, vocatiſque dominis, vel fictuarijs, ſi eis placuerit adeſſe, & teneatur poteſtas cogere conſules & homines villarum & burgorum epiſcopatus Nouariæ, vt oſtendāt hominibus qui habent terras in eorum territorijs, qui ignorant dictas terras. Et hoc infra vnum menſem, poſt requiſitionem appellantis, hominibus ibi terram habentibus. Et cōſules & communia qui ſic non obſeruauerint, componant pro banno communi Nouariæ, ſcilicet commune loci libras decem imperialium, & quilibet conſul ſoldos ſexaginta imperialium. Et ſi non eſſent ibi conſules, nobiles, & vicini, ſeu ciues, habitatores in locis compelli debeant ad oſtendendum, & obſeruandum prędicta, ſub pœna prędicta.

*De eodem.*

ITEM eo modo teneantur oſtendere terras & poſſeſsiones ad petitionem cuiuſlibet creditoris, qui peteret ſibi oſtendi terras & poſſeſsiones alicuius ſui debitoris, ſub eadeam pœna.

*De tertio & medietate dandis in campis.*

ITEM ſtatutum eſt quòd ruſtici & maſſarij teneantur & debeant dare tertium & quartum in campis, vel medietatem omnium fructuū, & groſſi & menuduli, ſecundum conſuetudinem locorum dominis, ſi fuerit de voluntate dominorum. Et quòd ruſtici, & maſſarij teneantur conducere dictum tertium, quartum, vel medietatem dictorum fructuum vbi placuerit domino in eo loco, in cuius territorio fuerint terræ & poſſeſsiones, vel ſaltē vbi habitet maſſarius, ſi domino placuerit, ſaluis ſemper pactis inter eos celebrandis.

*De eodem.*

ITEM ſtatutum eſt quòd aratura aliqua non deducatur per maſſarios, & quòd palcę remaneant domino finito maſſaritio, & ſimiliter letamen factum de paleis quæ exiuerunt de terris dominorum.

*Vt fictabiles teneantur conſignare bona de quibus reddiderint fictum.*

ITEM ſtatuerunt quòd fictabiles, ſeu ille vel illi, qui ſoluunt fictum alicui, teneantur per ſacramenuum conſignare bona, domos, & ſedimina, terras, & poſſeſsiones, pro quibus ſoluunt, & reddunt ipſa ficta: & hoc ſummarię, & ſine datione libelli, ſine ſtrepitu, & figura iuditij, & iurare hoc facere bona fide, ſub pena ſoldorum ſexaginta imperialium pro qualibet pecia terræ, quā nō cōſignauerint. Et poteſtas NOVARIÆ poſſit, & debeat ipſos fictabiles

les

les, alios quos voluerit ipse potestas, compellere ad consignationem faciendã omnibus iuris remedijs, statuto aliquo nõ obstante, & quòd fictabilis teneatur dicere & cõfiteri ad petitionem domini terras, possessiones, sedimina, & domos, seu res, pro quibus soluerit fictum, & confiteri se fictualem de dictis rebus, pro quibus soluit, & soluere debet.

## *De eodem.*

ITEM statutum est, & ordinatum quòd omnes inquilini, & fictabiles, tenentarij, & vassalli terrarum & possessionũ rei hominũ Nouariæ & districtus: & omnes, & singulæ personæ reddentes, seu quæ reddere tenentur, & consueuerunt decimã alicui personæ Nouariæ vel districtus, præcisè teneantur, & debeant consignare, & designare, & concedere dominis dictarum terrarum & decimarum omnes illas terras & possessiones, quas tenuerunt, & quas tenent ab eis: & pro quibus, & de quibus tenentur, & debent, & consueuerunt reddere dictas decimas, & ficta infra quindecim dies proximos, postquàm ab eis per ipsos fuerit requisitũ. Et potestas, qui nunc est, & per tempora fuerit, sacramento teneatur, & debeat compellere iuramento, & sub pœna ad eius voluntatem, omnes prędictos inquilinos, fictuales, tenẽtarios, & vassallos, ad assignandum, designandum, & ostendendum dictis dominis omnia supradicta, statuto aliquo in contrarium non obstante.

## *De eodem.*

ITEM statutum est quòd homines locorum iurisdictionis Nouarię, qui reddere consueuerunt ficta, seu condicia, vel decimam dare alicui personę iurisdictionis Nouariæ, seu habẽti causam ab aliquo de iurisdictione Nouarię, teneãtur per se, & heredes eorũ cõsignare, & determinare terras, seu bona, pro quibus solui, seu dari consueuerunt ipsa ficta, condicia, decimas, seu iura. Et hoc nullo dato libello, sine litis contestatione, & nulla defensione, seu allegatione obstante: dato tamen termino octo dierum illi vocato ad iudicium, causa deliberandi, & cosignandi ipsas terras, possessiones, & iura, seu bona, pro quibus solui, seu dari consueuerunt. Et teneantur ipsa ficta, seu condicia, seu decimam, vel iura. Et prædicta teneatur potestas qui tunc est, & per tempora fuerit, executioni mãdare præcisè per se vel suos assessores, ad voluntatem eius cui ipsa ficta seu condicia & decimæ debẽtur, seu solui consueuerunt: aliquibus tamen iudicijs, seu iudicio facto ipso domino potestati, seu assessori, vel assessoribus eius per instrumenta, vel testes, per illum vel illos, qui petant determinari ipsas terras, seu bona, quòd decimas, cõdicia, seu ficta habent, seu habere consueuerũt per se, vel eorum datores in illo loco vnde est talis vocatus ad iudicium, per quem & a quo petitur dicta determinatio, seu consignatio fieri.

## *De eodem.*

ITEM statutum est quòd fictabilis qui iurabit se nescire domum, sedimen, vel terram, de quo, vel qua soluere consueuit, teneatur consignare domino cui soluit de melioribus possessionibus suis, aliis ad fictum non obligatis, ad rationem duodecim denariorum ficti seu valoris, tantam possessionem, quæ communi extimatione valeat soldos quadraginta imperialium si domino placebit: & de dicta possessione sic assignata inuestituram perpetuam a domino recipere teneatur si domino placuerit: & dominus potestas qui erit per tẽpora, iuris remedijs, ipsum fictabilẽ ad prædicta cogere teneatur. Statuto quòd loquitur de causis pecuniariis, & quolibet alio statuto contrario in aliquo nõ obstante, Et fictualis, seu massarius, colonus, vel partiarius, spacio quadraginta annorum, vel maiori, quæ tenuerit, & ficta soluerit, seu partem domino, resistere non possit, terram & domum relaxare teneatur. Saluo sibi melioramento, si quod fecit, & saluo si de inuestitura docebit.

## *De ficto domorum diruptarum, soluendo, vel non.*

ITEM statutum est quòd si aliqua persona ciuitatis, vel districtus Nouariæ, in emphiteosim, vel ad fictum perpetuum tenuerit domum aliquam, & domus illa dirupta fuerit, sic quòd habitari non possit, eo quod dominus ficti seu directi dominij fuerit expulsus partialiter, vel exiuerit, pro parte, vel comiserit aliud maleficium, vel aliud fecerit, cuius occasione dicta domus fuerit dirupta, & guasta pro tempore præterito ab hodie retro, non teneatur ad præstationem ficti, seu fictum fuerit in denarijs, vel in blaua, vel in alia re, dum tamen fundum seu solũ liberè & expeditè tali domino, vel eius successori dimittere & relaxare effectualiter sit paratus. Et hoc si ille fictualis sit obediẽs, cõmuni Nouariæ, & fuerit

pro pręterito tempore,pro quo fictum non fuerit ſolutum. Pro tempore verò futuro idem ſit. Et ſi ſolum dimittere nollet, tunc fictum ſimplex ſoluere teneatur, & non vltra: & propterea ſoluendo ſimplex fictum ad duplicitatẽ,vel ad aliud teneatur. Si verò dictus fictualis fuerit expulſus, vel exiuerit partialiter, vel maleficium commiſerit, vel propter aliam eius occaſionem domus dirupta,& guaſta fuerit,teneatur ad ſolutionem,ſeu præſtationem ficti ſimplicis tantùm,vel ad relaxandum liberè fundum , ſeu ſolum dictæ domus guaſtę in electione domini,cui debetur fictum, qualitercũque fuerit dominus, obediens vel non.

*Quòd ſoluens fictum per annum non poſſit opponere bona non fuiſſe conſignata.*

ITEM ſtatutum, & ordinatum eſt quòd quilibet perſona,quę fuerit inueſtita,ſiue ad fictum ſiue ad partem,ab aliqua alia perſona, communi, collegio, vel vniuerſitate , de aliquibus bonis immobilibus expresſis, & ſpecificatis in inſtrumento inueſtituræ, ſiue ad fictum ſoluendum in pecunia numerata,ſiue in alia re,ſiue ad partem reddendam.Et pro ipſis bonis,pro quibus fuerit inueſtitus, ſoluerit fictum per vnum annum, teneatur omnino ad ſolutionem dicti ficti durante dicta inueſtitura,nec posſit opponere talis perſona inueſtita, quòd bona comprehenſa in inueſtitura non fuerint ipſi cõſignata in totum,vel in partem, & ipſa bona in fine locationis teneatur liberè dimittere, & relaxare locatori.

*De fictis ſoluendis pro terra reducta ad circhas , in toto, vel in parte.*

ITEM ſtatutum eſt & ordinatum quòd fictuales perpetui,vel temporales, quibus terra occupata eſt pro circha,vel in quorum terra,de qua reddebant fictum,circa facta eſt iuxta foſſatum,ſeu foſſata burgorum cohabitantium ciuitati Nouariæ,fictũ ſimplex ſoluere teneantur, aut terram tam occupatam, quàm aliam dominis derelinquere. Et ſi terram derelinquerint dominis, reſtitutio damni fiat per commune Nouariæ dictis dominis, & non in aliquo fictuali . Et ſi fictuales fictum ſoluere voluerint , & non terram dimittere , reſtitutio damni fiat fictualibus,ſeu fictuali,& non domino,ſeu dominis proprietatis, ſtatutis non obſtantibus quibuſcunq;,

*De ficto per triennium non ſoluto.*

ITEM ſtatutum eſt quòd ſi aliqua perſona debens fictum perpetuum ex inueſtitura , vel alio modo,ſic quòd emphiteota debeat iudicari in ficti ſolutione,ceſſauerit per triennium , nõ propterea cadat a iure ſuo,ſed ipſum fictum triẽnij tantùm non ſolutum , ſoluere teneatur duplicatum,etiam ſi ipſe emphiteota ceſſauerit per inſolutionem ficti vltra triennium illi ad quem fictum pertinet, quam duplicationem ficti facere teneatur infra tẽpora quæ dantur iudicatis,ſcilicet infra dies triginta,poſtquàm ſententia tranſiuerit in rem iudicatam.Quod ſi non duplicauerit infra tempus prædictum,cadat ab omni iure quod habebit in dicta re emphiteotica,& ipſam rem cum omni melioramento,ſi quod erit,reſtituere teneatur:& reſtituendo rem,dicta ficta ſimplicia tamen ſoluere teneatur domino ſuprascripto,vltra reſtitutionem rei.Et vlterius ad ficta futuri temporis non teneatur. Et nihilominus ad reſtitutionem teneatur damni , cum intereſſe facien. domino dictę rei. Si verò dominus petitione ficti ſimplicis,ſine duplicatione ficti contentus fuerit,& dimittendo rẽ emphiteotę,non posſit emphiteota ſe a præſtatione ficti futuri liberare.

*De eodem.*

ITEM ſtatuerunt,& ordinauerunt,quòd ſi aliqua bona emphiteotica,quę teneantur a perſona layci transferãtur in eccleſiam,vel perſonam eccleſiaſticam,quouis modo,ſiue inter viuos, ſiue in vltima voluntate,non posſit aliquo modo transferri, niſi ſeruata forma ſtatuti ſuprascripti,ſcilicet,vt ceſſans in ſolutione ficti per triennium, vel vltra, non posſit expelli,nec cadat a iure ficti. Sed ſeruetur ipſum ſtatutum,& ſi contrafactum fuerit, non valeat,nec teneat ipſo iure.

*De maſſarijs debitoribus non recipiendis.*

ITEM ſtatutum eſt quòd aliqua perſona non audeat,nec præſumat, poſt menſem , a tempore denuntiationis ſibi factæ numerandum,retinere in ſuo maſſaritio aliquem maſſarium, qui receſſerit a maſſaritio alicuius ciuis, vel nobilis ciuitatis, vel diſtrictus Nouariæ , debentem in aliquid occaſione maſſaritij, ſeu occaſione debiti contracti cum domino ipſo , exiſtẽte ſuo maſſario nobili vel domino,de cuius maſſaritio receſſerit : niſi ille maſſarius ſatisfecerit domino vel nobili,cuius maſſaritium derelinquit : & ſecus faciens pro dicto

maſſario

massario domino vel nobili, cuius massaritiũ est derelictum teneatur. Et post dictũ mẽsem valeat cóueniri ad debitum suprascriptum. Declarãdo tamen quòd dicta denuntiatio fieri debeat infra annũ vnũ continuũ, postquã ille massarius recesserit a massaritio creditoris, & fuerit pro massario alterius: qua denuntiatione nõ facta infra terminum supradictum, ille qui accepit illum in massarium, ad solutionem debiti prioris domini non teneatur.

*Quòd liceat dominis pro eorum credito capi facere & pignorare eorum massarios, non obstante statuto de rebus pignorari prohibitis.*

LICEAT cuilibet personæ quę dederit aliquam possessionem, vel aliquod prædium rusticũ ad massaritium per viam medietatis, vel tertij, vel alterius cotæ partis, & cuiuslibet eius nuntio, procuratori, vel hæredi, cum auctoritate iusdicentis, facta fide de eorum credito tempore massaritij, & durante massaritio contracto; capere, & pignorare, & capi, & pignorari facere bona mobilia, & se mouentia, quæ teneat vel possideat ipse talis massarius, siue partiarius, non obstante statuto loquente de rebus prohibitis saxiri vel pignorari. Et quòd in quibuscunque fructibus natis, perceptis ex terris & prædijs, sic datis ad massaritium, præferatur ipse talis creditor alijs creditoribus, etiam tempore prioribus vel quęcunquæ priuilegio priuilegiatis: & similiter præferatur in fructibus & fœtibus natis ex bestijs per eum datis dicto tali massario, siue parciario in soccidum, siue ad rescodendum. Et de ipsis fructibus terrarum, & possessionum, & fœtibus bestiarum, qui sint nati & percepti ex terris & possessionibus & bestijs ipsi massario siue partiario, vt pręmittitur, datis, & ex bestijs in soccidum, vel ad respondendum, credatur proprio iuramento ipsius domini, & hęredum eius, & cuiuslibet eorũ procuratorũ habẽtis ad hoc speciale mãdatũ, & alterius personæ cuiuscunque, tale iuramentum pręstare volentis. Quod iuramentum plenam & idoneam faciat probationem, & pro plena & integra probatione habeatur. Et ad prædictam captionẽ & pignorationem faciendam quilibet iusdicens, si requisitus fuerit, operam cum effectu sub vinculo iuramenti præstare teneatur. Et idem intelligatur per omnia in quolibet massario, siue partiario, qui habuerit aliquas bestias a domino massaritij siue prædij rustici, quæ bestię sint alienatæ vel peremptæ. Et qui massarius siue partiarius alias bestias habuerit, siue acquisiuerit, quòd possint ipsæ bestiæ capi & pignorari vtsupra: & in ipsis bestijs præferatur ille dominus massaritij, seu prædij rustici alijs creditoribus tempore prioribus, & quocunque priuilegio priuilegiatis.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd aliquis massarius, siue colonus, partiarius alicuius prędij rustici, vel inquilinus prędij vrbani, seu domus, vel sediminis, non possit referre questionẽ dominij domino massaritij, vel prędij, nisi legitimè doceat de mero & iusto titulo, cuius vigore de iure possit ipsam quæstionem referre. Et ille præsumatur esse massarius, siue colonus partiarius, de quo saltem per vocem & famam probatum fuerit eum esse massarium, vel colonum, vel partiarium.

*De eodem.*

SI verò contingat massarium, colonum, partiarium, fictabilem, vel molinarium, deuenire massarium, colonum, fictabilem, vel molinarium alicuius nõ subditi iurisdictionis Nouarię, vel per aliquem non subditum, super suo receptari, eodem modo idem colonus, partiarius fictabilis, vel molinarius, olim domino, seu locatori, & heredi, & successoribus suis satisfacere teneatur, alioquin colonus, partiarius, fictabilis, vel molinarius contrafaciens, & quilibet de eius familia, masculus maior annis decemocto, ad petitionem olim domini seu locatoris, personaliter capi, & in carceribus communis Nouarię detineri possit, donec satisfecerit ipsi olim domino, seu locatori de eo quod habere debebit, vtsupra, nec possit idem colonus, partiarius, fictabilis, vel molinarius, vel alius de sua familia, taliter captus & detẽtus, petere ipsi olim domino, seu locatori soldũ vnũ in die, qui peti possint per alios detentos seu carceratos. Et etiam liceat ipsi olim domino, seu locatori capere & robari facere tali colono, partiario, fictabili, vel molinario boues, & plaustra, & omnia alia bona, quæ reperirentur in custodia, vel habitatione talis coloni, partiarij, fictabilis, vel molinarij communi Nouariæ non suppositi. Quę bona, quò ab hoc esse pręsumantur ipsius debitoris, nec possit fieri probatio in contrarium per ipsum non suppositum, & quilibet non suppositus iurisdictioni communis Nouarię, qui comiserit contra prædicta, vel aliquod prędictorum,

ipso iure intelligatur esse, & sit exceptus, & alienus a protectione & defensione communis Nouarię si non soluerit, vel in termino non excommiauerit. Quod statutum habeat locum tam in debitis præteritis quàm pręsentibus, & futuris. Quod etiam statutum habeat locũ in quibuscunque habentibus causam ab ipsis dominis, seu locatoribus.

*Quòd coloni teneantur ingrassare terras dominorum vt suas.*

COLONVS, qui plurium dominorũ terrã laborat, debeat eas terras vt suas equaliter ingrassare & laborare, alioquin ad damnum teneatur. Idem si suas terras, & vnius domini, vel plurium laborat.

*Quòd massarij non moueant fructus sine præsentia domini vel nuncij sui.*

MASSARII, qui partem dare debent de fructibus, non audeant blauas, vuas, vel alios fructus, segare, nec colligere, nec trahere de terris, sine præsentia sui domini, castaldi, vel nuntij, si adesse voluerit expensis ipsius domini.

*De eodem.*

TENEANTVR coloni, partiarij, seu massari, vel fictabiles relinquere cesas, seu sepes, & arbores, ceduas, seu cedi consuetas, & quę non sint cum cima in, & de tot foleis, vt erant tempore fictaliciæ, seu inchoati massaritij. Illas verò quæ fuerint cum cima, nullo modo sine licentia domini incidere vel amouere posfint, nec posfint extirpare aliquas arbores cum cima, nec sine cima absque licentia, & parabola domini: & aliàs extirpantes absque speciali licentia & parabola domini incurrat pœnam furti non manifesti.

*Quòd dominus non teneatur recipere fictum vel redditum per plures manus.*

VERVM si dominus fundum suum, siue domum vni ad certam pensionem, fictum vel reditũ præstandum seu soluendum locauerit, & eius heredes inter se massaritium, vel rem locatam diuiserint, aut pluribus forte eundem fundum, siue domum, relocauerint, fieri non possit inuito domino, ne per plures manus cogatur dominus fictum vel redditum percipere, seu recipere: ne cum domini detrimento rei suę fiat diuisio, seu locatio, quod esset absurdũ.

*De re locata quæ alienetur.*

CVM res locata infra tempus locationis vendatur, vel aliter alienetur, emptor, vel acceptor locationi stare necesse non habeat, conductore regressum habente contra locatorem suum ad interesse: hoc tamen adito, quòd si contingat rem locatam titulo assignationis in partẽ vel diuisionis alienari, tunc necesse sit stare locationi: nec intelligatur pars fructuum conductoris alienata per alienationem, quam faciat dominus, nisi hoc expressè in alienatione contineatur: quo casu fieri posfit alienatio in præiudicium alienantis ipsius, & non in præiudicium massarij, siue conductoris.

*De eodem.*

PER alienationem fundi rustici non intelligantur fructus pendentes pro parte conductoris esse alienati, quin eos percipere posfit & satisfacere secundo domino, vt priori pro illo anno.

*De melioramento facto super fundo locato, in quem peruenire debeat.*

SI quod hedificium colonus, partiarius, vel fictabilis, de lignis vel materia massaritij fecerit super fundo domini, totum domino vtilitati cedat, verum si aliunde materiam sumpserit, domino conceditur facultas superficiem tantùm emere, quantum ea detracta, & soluta posset extimari. Alioquin colonus, partiarius, vel fictabilis, illam, sine lesione prioris statuti, poterit impunè auferri.

*Qualiter dominus posfit auferre massaritium colono.*

SI extra locum vel territorium colonus iuerit ad habitandum, sine licentia domini, dominus ei impunè massaritium auferre posfit.

*Quod domini non posfint petere contra colonum, inquilinum, empheteotam, decimarium, partiarium, nisi deposuerit quærimoniam infra decem annos.*

SI colonus, inquilinus, emphiteota, decimarius, vel partiarius, steterint extra coloniam, vel fictalitiam, aut massaritium per decennium, & steterit in eadem iurisdictione, cum domi-

domino, & dominus interim quęrimoniam iuridicè non deposuerit, vlterius pro ficto petendo non audiatur dominus.

*De pœna coloni, qui non bene curauerit vineas dominorum.*

COLONI vineas dominorum bene custodiant, stercorent, & colant, & si contrafecerint damnum resarciant domino.

*De pœna recipientis inuestituram, absque voluntate primo inuestientis.*

SI aliquis inuestitus, inuestitus fuerit ab aliquo de aliqua re vrbana, vel rustica, seu de aliquo iure, & patiatur se inuestiri, ab aliquo, absque voluntate primo inuestientis, vel eius heredis, quòd talis secundo inuestitus puniatur in libris vigintiquinque imperialiũ, & secundo scienter inuestitus in totidem: & talis inuestitura nullius sit valoris & momenti, nec prosit in aliquo secundo inuestienti. Et prædicta non habeant locum, quando volens secundo inuestire, missus esset in possessionem præcepto iudicis. Quo casu primus inuestitus possit recipere prædictam inuestituram impunè a volente secundo inuestire, & qui esset missus in possessionem auctoritate iudicis, vt supra.

*De præscriptione quadraginta annorum.*

ITEM statutum est quod si aliquis tenuerit continuè nomine suo aliquam rem immobilem spacio quadraginta annorum, sine interpellatione legitima, sit tutus contra omnes personas collegium, vel vniuersitates: & nullus pateat aduersus detentorem regressus, & teneantur potestas, consules, tam communis, quam iustitiæ secundum istud capitulum iudicare, & sit præcisum, & per præsens statutum non derogetur, nec derogatum sit, nec esse intelligatur alijs statutis disponentibus super aliquo, præscriptione aliqua non obstante, sed ipsa statuta in suo robore firma maneant.

*De fossatis, & circhis burgorum, & villarum, & territoriorum districtus Nouariæ factis in terris alienis.*

ITEM statutum est quòd si aliqua fossata, vel circhę, sunt vel fierent in terris proprijs aliquarum personarum, & eas splanari contingat de licentia & voluntate domini potestatis, & cõmunis Nouariæ, liceat singulibus personis, in quarum terris prædicta facta fuerint, prius splanationem inde facere velle suum, si inde non est eis satisfactum, præscriptione temporis etiam quadraginta annorum, vel plurium, ipsis in aliquo non obstante.

*De terris coherentibus alicui a pluribus partibus, cambiandis.*

ITEM teneantur & debeant potestas & consules iusticię Nouarię, cogere omnes homines de Nouaria, & iurisdictione Nouarię qui terram habent a starijs duodecim infra, extra ciuitatem, vel suburbia, vel villas, prope aliquam terram, quæ sit in duplo quantitatis terrę prædictæ stariorum duodecim, vel infra, ipsam terram vendere, vel commutare, arbitrio domini potestatis vel duorum consulum iustitię Nouariæ. Et dominus potestas, & consules Nouarię teneantur prædicta exequi, sine libello, vel petitione, & sine iudiciorum strepitu, & figure, secundum extimationem fiendam illi personæ quæ terras habent a tribus partibus. Et item a modio infra, vel vsque ad modium a duabus partibus habuerit, dummodo habeat in duplo quantitatis terræ prædictæ, si emere, & commutare voluerit, si terra illa fuerit vnius, vel plurium pro indiuiso.

*De plantumine non habendo iuxta consortem.*

STATVTVM est quòd nullus in Nouaria, vel iurisdictione Nouarię, debeat habere plantumẽ in vinea, vel orto, vel sedimine, vel alijs terris a quatuor brachijs iuxta cõsorté suũ, dico plãtumen de arboribus cuius, exceptis vitibus, & altinis oppiorum, & arboribus fructiferis, quæ non debeant nec possint habere a duobus brachijs iuxta consortem suum. Et si quis habet, teneatur, & debeat eas auferre in voluntate consortium, infra octo dies, postquàm fuerit denuntiatum sibi. Quod si non fecerit, potestas teneatur ei auferre, videlicet, bannũ denarium duodecim imperialium pro vna quaque arbore. Et vlterius ad prædictas arbores ammouendum, & auferendũ suis expensis, nulla pręscriptione tẽporis obstante, etiã quadraginta annorũ vel vlterius tẽporis. Saluo quòd hoc statutũ nõ habeat locũ in prædijs diuisis, quò ad diuidentes, & eos qui habuerint causã ab eis, siue sint prędia rustica, siue sint vrbana.

De

### *De oliuis, & amigdolis alleuandis, & plantandis.*

ITEM quòd quælibet persona habens vineas planas in monte regio, a loco petiolij, vsque ad locum de supramontem, & in monte rubeo, a capite montis in plumbiam inclusiue, teneantur pro singulis quatuor stadijs vineæ planæ plantare plantam vnam oliuarum, & plantam vna amigdolarum, ad minus, & plantatas alleuare, tenere, bona fide, quam plantationem facere teneatur infra annum vnum, post publicationem præsentis statuti: & contrafaciens puniatur pro qualibet planta in soldis viginti imperialium pro anno. Et consules burgorũ, & villarum locorum prædictorum contrafacientes, seu facere negligentes, denuntiare teneantur domino potestati, vel eius assessoribus, in pœna, & banno soldorum sexaginta pro quolibet consule, & quolibet anno: & librarum decem imperialium pro communi villæ, & librarum vigintiquinque imperialium pro communi burgi. Et quęlibet persona possit accusare, & habeat medietatem condemnationis, & alia medietas sit communis Nouarię. Et potestas bis in quolibet regimine dictũ statutũ in contione publica legi & publicari faciat. Et cõsules locorũ prędictorũ in suis credẽtijs singulis mẽsibus cuiuslibet anni legi & publicari faciãt. Taliantes verò dictas plantas, causa vastãdi, ruscãtes, vel extirpãtes in soldis sexaginta imperialium condemnentur, pro qualibet planta, & qualibet vice: & quilibet possit accusare: medietas sit accusatoris, & alia medietas sit communis Nouariæ. Massarij verò aliorum non subditorum communi Nouarię idem facere teneãtur in vineis planis, quas tenent a non subditis, sub pœna simili, aut vineas derelinquere: tamen hoc statutum non liget potestatem ad iuramentum.

### *De saximentis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd dominus potestas Nouariæ, & eius vicarius, & consules iustitię Nouariæ, teneantur & debeant, ad petitionem cuiuslibet creditoris, docentis de debito, & petentis facere fieri sibi saximenta de bonis debitorum, & heredum suorum, etiam si illa bona, quę saxirentur non essent obligata penes consules locorum, quàm penes ciues, & nobiles ciuitatis & districtus Nouariæ. Et idem facere teneantur de bonis forasteriorum repertis in Nouaria & districtu, licet non constet de debito. Et si ille ad cuius petitionem saximenta forasteriorum facta fuerint, non probauerit de credito suo, habitis dilationibus competentibus ad probandum de credito suo, quòd dicto forasterio teneatur restituere omnia damna, interesse, & expensas passas, & passa occasione dicti saximenti. Nihilominus dominus potestas, & dominus vicarius, & consules possint & debeant saximenta relargare illis, de quorum bonis facta fuerint, præstita satisdatione per eos, quæ satisdatio sit de Nouaria, vel districtu.

### *Vt consules locorum recipiant saximenta.*

ITEM quòd consules burgorum & villarum iurisdictionis Nouarię, & Episcopatus Nouarię, teneantur, & debeant recipere penes se in saximento omnia saximenta, quæ fient, & fieri voluerint in futurum, de bonis hominum subditorum ipsis consulibus, penes eos, vel alterum ipsorum per seruitores communis Nouariæ, ad petitionem cuiuslibet personæ, & ipsa saximenta, & res omnes, quæ peterentur saxiri, saluare, & gubernare, bona fide, sine fraude, & ea consignare, & præsentare coram consule iusticiæ Nouarię ad voluntatem, & mandatum dicti consulis, apparente condemnatione, & terminus octo dierum & trium. Et qui contrafecerit componat pro banno communi Nouariæ, pro qualibet vice, & quolibet consule villæ soldos sexaginta imperialium. Et quilibet seruitor, & quælibet alia persona posit accusare, medietas banni, & condemnationis sit accusatoris, & alia communis Nouariæ. Et de hoc possint potestas & consules iustitiæ Nouariæ cognoscere, statuto aliquo nõ obstante. Et ad prędicta omnia facienda teneantur vicini burgi, vel villę efficaciter dare operam cũ effectu, & obedire consulibus suis, eodem modo, & forma, & pœnis, teneatur quilibet nobilis, & ciuis recipere in saximento bona alterius nobilis, & ciuis, & ad consignationem, & exhibitionem rerum saxitarum nihilominus teneãtur. Et idem sit de rebus extimatis pro executione facienda.

### *Vt saximentum non teneat vltra annum continuum.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd saximentum factum non teneat nisi per vnum annum continuum tantùm, & ab vno anno continuo inantea, a tempore saximenti facti, non pos-

sit

ſit ille qui ſaximentum fecerit, vel fieri fecerit, petere aliquid ab eo cui ſaximẽtum factum eſſet vigore dicti ſaximenti, & tranſacto dicto anno continuo, non poſsit reſaxiri illud quod alias ſaxitum fuerat.

*De ſacramento præſtando ab eo penes quem factum fuerit ſaximentum.*

ITEM ſtatuerunt & ordinauerunt: quòd ſi aliquis ſubditus communis Nouariȩ fieri fecerit aliquod ſaximentum penes aliquam perſonam, quam perſonam aſſerat eſſe debitricem debitoris ſui in ſpecie, vel in quantitate, aut aliquid habere penes ſe de bonis debitoris ipſius qui fecerit ipſum ſaximentum fieri: vel alio modo factum fuerit: quòd ille, penes quem factum fuerit dictum ſaximentum, teneatur, ad petitionem eius, ad cuius inſtantiam factum fuerit ipſum ſaximentum iurare ad ſancta euangelia, corporaliter tactis ſcripturis, quid & quantum dare teneatur vel non tenetur illi perſonæ, pro cuius debito vel facto illud ſaximentum factum fuerit vel habet penes ſe de bonis dicti debitoris. Et etiam ſi habebat tẽpore ipſius ſaximenti penes ſe aliquid de bonis illius pro cuius facto vel debito factum fuerit illud ſaximentum. Et ſi perſona quæ illud ſaximentum ipſum fieri fecit, dicat ipſam perſonam penes quam eſſet factum ſaximẽtum aliquid certum debuiſſe illi perſonȩ pro cuius debito eſſe factum ſaximentum dicetur, vel habuiſſe penes ſe aliquam rem, ſeu quantitatẽ certam de bonis ipſius perſonæ pro cuius debito eſſet factum ſaximentum, tempore quo fuit factum ſaximentum ipſum, & paratus ſic ſtare ſacramento illius perſonȩ penes quam eſſet factum ipſum ſaximentum, ſuper eo quod diceret ipſum debuiſſe ipſi perſonȩ pro cuius debito factum fuerit, vel habuiſſe penes ſe de bonis ipſius perſonæ. Et ipſa perſona infra tres dies ipſum ſacramentum non præſtiterit in totum, quod habeatur pro confeſſo, & ſi pro parte, habeatur pro confeſſo pro ipſa parte.

*Vt contra molinarios adhibeatur fides.*

ITEM adhibeatur fides dominis ſeu famulis ſuis, & cuilibet eorum contra molinarios, in caſibus grani retenti, vel malè macinati, & licitum ſit eis impunè robbare & retinere beſtias quouſque Molinarij reſtituerint eis damna. Et quòd ſi ipſi domini conqueri voluerint de aliquo molinario, conqueri poſsint infra menſem. Et ſi infra menſem dominus non conqueſtus fuerit molinarius ipſo facto ſit abſolutus.

*Vt molinarij reddant debitum.*

OMNES molinarij ciuitatis Nouariæ, & diſtrictus, teneantur, & debeant dare domino blauȩ de quolibet ſtario blauæ vnum ſextarium cumulum in farina, cum fuerit aburatata. Et qui contrafecerit condemnetur domino in duplum defectus, & in ſoldis quinq; omni vice.

*Vt molinarij poſſint ire captum bladum ad macinandum per quatuor miliaria.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt quod molinarij Nouariæ & diſtrictus poſsint tutè & impunè, per quatuor miliaria circum circa a locis in quibus ſtant, ire pro recipiendo bladum ad macinandum in ſuis molandinis, & ipſa blada macinata reducere, & illis quorum ſunt in farina reſtituere. Et idem intelligatur quòd liceat quibuſcunque perſonis portantibus bladum ad macinandum, vt ſupra. Et credatur prȩdictis perſonis portãtibus, & etiam illis quorũ fuerint dicta blada: & quòd eundo ad macinandũ, ſuper ſtratis impediri non poſſint.

*Vt cuilibet liceat ire ad macinandum quo voluerit.*

ITEM ſtatutum & ordinatum eſt, quòd nullus cogatur, vel cogi poſsit, ire, ſiue ad macinandum eundum, ad aliquod molandinum ſuas blauas, & quòd quilibet poſsit ire licitè ad macinandum ad quodlibet molandinum, & ad illud molandinum ad quod voluerit, & ſibi placebit. Et quòd molandina nõ poſsint diſiuſinari, vel abominari. Et ſi fuerint diſiuſinata, vel abhominata per pactiones, vel ligas aliquarum perſonarum, vel communitatum, quȩ pepigerint vel conuenerint de non eundo ad macinandum ad aliquod molandinum, niſi ad vnum molandinum, quod illa abhominatio, ſiue diſiuſinatio, ſiue pactio, vel conuentio non valeat, nec teneat ipſo iure. Et non obſtantibus ipſis, quilibet poſsit ire ad macinandum ad quodlibet molandinum voluerit. Saluo iure cuiuſlibet domini, vel alterius habentis molandinum, vbi ex pacto debent macinari, communia contrafacientia in libris decem pro quolibet communi, & ſpecialis perſona contrafaciens in ſoldis ſexaginta imperialium condemnetur pro qualibet vice. Et quilibet poſsit accuſare, medietas ſit accuſatoris, & alia medietas ſit communis.

*Ut quilibet nobilis de districtu Nouariæ, possit macinare, & quoqui facere ubi voluerit.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd quicunque nobilis per totum districtũ, vel episcopatum Nouariæ possit & sibi liceat macinare, vel macinari facere vbicunque voluerit. Et idem intelligatur de vicinis eiusdem loci, non obstantibus aliquibus ordinationibus alicu ius communis, vel vniuersitatis: quibus per hoc statutum abrogatum intelligatur in hac parte. Saluo quòd per hoc statutum nullum fiat nec inferatur præiudicium aliquibus pactis, vel conuentionibus, vel cartis aliquorũ, vel iuribus, sed sint in suo iure. Et salno quòd quilibet etiam de vicinis possit macinare, vel macinari facere ad mollandinum vel mollandina vbicunque sint, vel facta, vel facienda, in totum, vel in aliqua parte spectans, ac ad spectantiã ad aliquem ciuem, vel ciues, nobilem, seu nobiles episcopatus Nouariæ, in quorum præiudicium nihil per aliquod commune vel vniuersitatem alicuius loci episcopatus Nouariæ, statui, vel ordinari possit, directo, vel per obliquum, quocunque exquisito colore Et idem sit de furnis.

*Quòd nobilis vel ciuis non teneatur ad aliquam custodiam extra locum & territorium ubi habitat.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd aliquis nobilis iurisdictionis Nouariæ, vel ciuis, nõ teneatur ad aliquam custodiã, vel ad expensas alicuius custidiæ, quæ fieret extra locum, & territorium vbi habitaret ipse nobilis, vel ciuis.

*Quòd cuilibet liceat facere artem, & laboreria cuiuscunque personæ.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd Pelliparij & quælibet alia persona possit & sibi liceat affaitare, seu conficere pelles, & coria cuiuscunque animalis, & magistri pannos facere & laboreria, tam in murando quàm in ferrando, & in quolibet alio officio suo exercendo, cuilibet ciui, vel subdito communi Nouarię.

*De modo ordiendi telas, & texendi.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd omne filum lini, & canepæ, & descendentium ab eis de quo velit fieri aliqua ordiatura telæ vel telarum, quę debeant texi de lino, vel de canepa, siue descendentium ab eis, ordiat ei, & ordire debeat ad orditorem, qui sit amplus, siue longus ab vna cauicula directè ad aliam cauiculam, per lõgum orditoris diu consueti Nouariæ brachia quatuor, & quęlibet persona textrix vel ordiatrix, cuiuscunque conditionis & status existat, inuenta habere orditorem minoris longitudinis suprascriptę, in eius habitatione, vel alibi, componat pro banno qualibet vice, qua inuenta fuerit ipsum orditorem habere minorem, soldos quadraginta imperialium, & comburatur artifitium orditoris.

*De eodem.*

ITEM quòd quęlibet persona, quæ ordiuerit aliquod filum de prædictis pro fiendo dedictis telis, antequam ipsum filũ orditum moueat ab ipso orditore, teneatur & debeat ipsum filum signare ab vno latere orditoris, super qualibet cauiculam vbi esset dictum filum, & ab illo latere a parte orditoris de foris, & quęlibet pesrona, quę ordiret aliquam telam, & eã nõ signauerit, si amouebitur ab orditore non signata, vt supra, & similiter ammouens ipsũ non signatum, vt supra, componat pro banno qualibet vice soldos quinque imperialium. Possint etiam dictum filum signare ab vtroque latere orditoris super cauiculos.

*De eodem.*

ITEM quòd si aliqua persona signaret aliquod filum orditum, pro ordiendo telas, aliter quàm supra cauigias de foris, comittendo fraudem in dicta signatura quæ fraus intelligatur commissa, si dicta tela ordita non reperiretur in puncto parietis, siue dimidię parietis quæ peries esse debet brachia octo in orditore, componat pro banno pro qualibet tela ordita contra formam prædictam signatam soldos decem.

*De eodem.*

ITEM quòd quælibet persona ordiens, seu quæ ordiret aliquod filum, pro fiendo de dictis telis teneatur dare auantagium orditurę, ab illo capite vnde finitur tela de texendo, vltra signum parietis, siue medię parietis quartas duas, vsque in tres orditurę. Ita quòd commodè texi

texi possit tela, vsque ad vltimum signum fiendum super cauigiam, & quælibet persona aliter ordiens, vel ordiri faciens in eius domo, vel habitatione sua, componat pro banno pro qualibet vice, soldos quinque.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd nemo possit facere telas de lino puro, quę sint orditę in minus centum duodecim, & de plus centum duodecim, quilibet facere possit ad voluntatem suam. Et contrafaciens puniatur in soldis viginti imperialiũ pro qualibet pecia telę.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si aliqua persona voluerit facere telas de minus centum duodecim pro suo vsu, quod licitum sit sibi facere, dum tamen dicta tela sit ordita de lino & texuta de stupa, vel econuerso, vel tota de stupa, vel tres partes dictę peciæ telæ ad minus de stupa sint texutæ vel orditæ. Eo saluo quòd nullum filum de lino possit ordiri in minus centum duodecim, nisi fuerit tam grossum quòd orditum in centum duodecim commodè texi non posset. Et contrafaciens puniatur in soldis decem imperialium pro qualibet vice.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd telę centum duodecim debeant habere in licio menatorias triginta, & si tela esset ordita in plus de centum duodecim, vel minus, debeat habere in licio plures & minores menatorias, pro rata, & hoc sub pœna soldorum viginti imperialium pro qualibet pecia telarum.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd licitum sit cuicunque personę facere telas largas plusquam sit mensura, de brachio vno, quarta vna, & tertio quartæ intra dentes, dummodo sit per quartam plus, vel quartas duas, vel tres, dummodo & illud pecten habeat tot dentes pro parte sibi contingente, sicut illud pecten latitudinis consuetæ infrascriptæ, & tot menatorias in licio pro rata superius declarata. Et dictæ telæ debeant ordiri, & signari secundum mẽsuram superius declaratam. Et hoc sub pœna soldorum viginti imperialium pro qualibet pecia.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si inueniretur aliqua tela in telario cum pectine non completo a quatuor dentibus supra, quòd sit pœna pro quolibet dente vacuo denariorũ sex, a quatuor dentibus infra, sit pœna denariorum duorum pro quolibet dẽte vacuo.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd nulla persona textrix audeat agroppare aliquam telam, seu filum, orditam, vel orditum contra capitula suprascripta, & modos concessos ad ordiendum, seu aliquam, vel aliquod ex ipsis: & contrafacientes componãt pro banno qualibet vice soldos quinque.

*De eodem.*

ITEM quòd nulla persona audeat agroppare, vel texere aliquod cauitiũ pauesium fili de lino, orditum ad modum Papiæ, videlicet, in minori quantitate centum duodecim, ad aliquod telarium, nisi ipsum cauitium prius reductum fuerit in centum duodecim, & signatum super cauigias orditoris, vtsupra: & contrafaciens agroppando, vel texendo in totum, vel in parte, componat pro banno pro qualibet vice soldos quinque.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd pro faciendo telas ad pectina latitudinis minoris, habeantur pectina in latitudine consueta esse Nouariæ, quæ latitudo est quartæ quinquæ, & tertium alterius quartæ plus: & quælibet persona inuenta texere in pectine minoris latitudinis componat pro banno pro qualibet vice soldos quadraginta.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatũ est quòd quilibet,& quælibet persona faciens pectines ad texẽdum telas in Nouaria,vel districtu,faciat eos ad minus quartas quinque,& tertiam partẽ alterius quartæ:& contrafaciens puniatur pro qualibet vice in soldis quadraginta imperialium,& pectines contrafacti comburantur.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd quælibet persona teneatur bona fide texere omnes telas quas texet,& omnem earum partem, ita quòd sint bene & decenter textę. Et si aliqua tela reperiretur texta cõtra ordinem prędictum,& reputaretur deficere bonitate sufficiẽti,videlicet parum texta,vel male posita orditura defectu textoris,in laude vel reprensione alicuius,vel aliquorum,cui vel quibus esset commissa cognitio de prædictis per dominũ potestatem,vel alium ius habentem:quòd persona quæ dictam telam texisset, quæ prædicta reprensione reputaretur deficere bonitate quam heberet si esset sufficienter texta a soldis duobus imperialium supra,componat pro bãno pro qualibet pecia soldos quinque: & quęlibet persona cui reperiretur aliqua pecia telę greciæ malè texta,teneatur docere & demonstrare quis fuerit textor dictæ telę,& sacramento ipsius, cui sic reperiretur dicta tela credatur & ipse textor puniatur vtsupra.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd quælibet persona texens telas de lino debeat testas diuidere vnam ab alia per medium signum cauigiæ ad parietes tres,& plus, & minus,dummodo eas diuidat in signo parietis,vel mediæ parietis,si ordita foret ad medias parietes. Ita tamen quòd de dicto signo facto super cauigia orditoris filo ordito appareat cuilibet capiti telæ incisæ:& qui contrafecerit componat pro banno pro qualibet vice soldos duos imperialium.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est: quòd si aliquis de Nouaria vel districtu voluerit facere telas,vel texi facere in eius domo, vel in qua habitat,debeat facere se scribi, a die pronũtiationis huius statuti infra mensem vnum,in actis domini potestatis nomen & pronomẽ eius in vno libro:qui fieri debeat ad hoc tantùm. Et si aliquis post dictum terminum voluerit incipere ad texendum,vel facere texi,debeat antequam incipiat texere, vel texi facere, se scribi facere in dicto libro nomina & pronomina eorundem:contrafaciens puniatur in soldis quinque imperialium, de qua scriptura notarius non possit accipere vltra imperiales duos pro quolibet.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est,quòd dominus potestas præsens, & futuri,& sui iudices teneantur & debeant primo mense introitus sui regiminis,semel ad minus eligere tres textores,merchatores duos,bonos & legales,& vnũ ex notarijs cõmunis Nouariæ,& vnum seruitorem, qui ire debeãt per ciuitatẽ & suburbia coherẽtia ciuitati,cũ passo, mẽsura ferri, pectinis, &perticha orditoris, ad domos habitationũ texẽtiũ telas,& inquirere si aliqua fraus cõmittitur in telis aliquo colore quesito,vel fuerit contra formã superius declaratã, quibus exhibeatur fides cum sacramẽto,cũ de his quæ ipsi,vel duo ex ipsis,retulerint,& habeãt isti duo electi pro quolibet telario in sex mẽsibus tãtùm inter ipsos denarios quatuor, & vltra medietatẽ omniũ cõdẽmnationũ, quę fierẽt de ipsis pro eo quòd telas contra prędicta statuta facerẽt,& dictus dominus potestas,& eius iudices teneãtur mittere prout supra per episcopatũ Nouarię textores tres,& seruitorẽ vnũ,ad inquirẽdũ fraudes,quæ committerentur per dictos textores in talibus vel cõtra statuta superius declarata, quibus credatur vtsupra. Et habeant dicti textores & seruitor pro vnoquoq; telario imperiales sex,in sex mensibus tãtùm,& medietatẽ cõdẽnationũ quæ fierẽt de dictis textoribus repertis per ipsos facere cõtra prædicta. Et prędicti electi, & inquirẽtes dictos textores, tã per ciuitatẽ Nouariæ,quã per episcopatũ,teneãtur & debeãt dare sacramẽtũ omnibus & singulis textoribus, quòd bona fide telas faciẽt,& quòd reddẽt vnicuique telas siue filũ a quo acceperint. Et prædicti merchatores, textores,vt supra,& seruitores sic electi, vt supra, vachare debeãt a dicto officio per sex menses. Et potestas possit cogere prędictos ire ad prædictũ offici-

officium exercendum totiens quotiens ei videbitur. Et vltra primam vicem, non possint habere nisi ad medietatem condemnationum, tam de ciuitate quàm extra. Et potestas nō ligetur per sacramentum, nisi fuerit sibi intimatum.

*De eodem.*

ITEM statutum, & ordinatum est quòd nulla persona, quę texerit telam centum duodecim, vel abinde supra, non debeat ponere in dicta tela nisi linum purum. Et hoc sub pœna soldorum quinque imperialium pro qualibet pecia, & vltra dicta tela incidatur in calossis tribus,

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd vnusquisque texens, & texi faciens telas, teneatur & debeat facere telas ad formam superius declaratam, sub pœnis superius limitatis; & quilibet contrafaciens possit denunciari: & medietas sit denuntiantis, & alia communis.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd textores, & textrices Nouariæ, & districtus, pro qualibet pariete telæ brachiorum septem, non accipiant per se, vel alium, nec accipere possint nisi soldos quinque imperialium, pro qualibet pecia telæ de canepa, & pro qualibet pecia lini texta de stupa, vel de canepa, soldos sex imperialium, pro qualibet pecia lini puri in centum quatuordecim soldos septem imperialium, & ab inde supra pro quolibet centonario filorum vltra quatuordecim, soldum vnum cum dimidio imperialium. Et si plus acceperint, sit pro medietate accusatoris & alia communis Nouariæ.

*De his qui habent libertatem ducendi aquam per fossata & riuos burgorum*

ITEM prouiderunt & ordinauerunt, quòd illi qui sunt soliti aquam ducere per fossata, vel per riuos burgorum veteres, possint, & eis liceat ad eundem modum aquā ducere per noua fossata, & riuos factos, vel archas, non obstante contradictione cuiuscunque. Saluo iure omnium personarum & communis Nouariæ.

*De vicinis compellendis ad solutionem refectionis, vel purgationis putei.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd si aliquis puteus communis indigeat refectione, & purgatione, teneantur vicini vtentes communiter dicto puteo, hoc ponere inter vicinos, & si maior pars cōcordauerit de refectione & purgatione dicti putei, teneatur potestas, iuris remedijs, cogere singulos vtentes dicto puteo communiter soluere partem eis cōtingentē.

*Quòd illi de Barbauarijs de Castello non possint cedere iura, nisi certo modo.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd Ioncelmus, & domina Iacopina filia q. domini Guidonis de Castello de Ornauasio, seu alii ipsorum nomine, non possint cedere iura sine licentia pręlibati illustriss. domini Principis &c. Propterea nec domini Georgius, & Iacobus fratres filiiq domini Guidonis Baruariæ de Castello, nec Albertinus filius dicti domini Georgij, nec domina Petrina vxor dicti Albertini, seu alij ipsorum nomine, de his quę inuicem contingunt omnes prędictos, seu alterum ipsorum, ex arbitramentis & contentis in eis, quoquo modo factis, & secutis inter ipsos, de quibus constaret per publicum instrumentum, testatum, scriptum, & abbreuiatum per Guiglielmum Grittam notarium millesimo tricentesimo vigesimo sexto indictione nona, die Iouis, terciodecimo mensis Nouembris, nisi cederent sibi inuicem.

*De his episcopatus Nouariæ qui antequàm soluant eorum debita, deserunt eorum habitaculum & vadunt stare ad alias villas.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt super illis de episcopatu Nouariæ, qui deserunt eorum habitaculū, & vadūt stare ad alias villas & castra episcopatus Nouarię, loca, & casinalia, quòd non possint amodo ire ad habitādū alibi, nisi soluerint & satisfecerint de tota parte totius debiti dicti cōmunis sui eis cōtingēti, sub pœna & bāno librarū vigintiquinq; imperialiū. Et illa villa, vel castrū, vel casinale, ad quod se transtulerint, nō possint, nec debeāt eū recipere, sub pœna librarū vigintiquinq; imperialiū, nisi prius venerit corā dn̄o potestate, vel vicario eius, & præsētibus cōsulibus loci illius, de quo recedit, & præsentibus cōsulibus illius loci, villæ castri, vel casinalis, ad quod vadit ad habitādū. Et si cōtrafecerit illa villa, locus,

domus vel casſinale, vel dominus qui reciperet aliqué recedenté de habitaculo, & trãsferẽtem ſe ad aliud habitaculum, ſi fuerit ſibi denuntiatum per creditoré vel per conſulem illius burgi, vel villę, a qua, vel a quo ſe remouerit de habitando, & ipſe qui recedet niſi prius ſoluerit ſuam partem debiti communis, puniatur, & condemnetur in libris vigintiquinque imperialium.

### De eodem.

ITEM ſtatutum eſt quòd creditores illius communis, & creditores illius qui recedit, posſint ſua auctoritate cum familia domini poteſtatis ipſos & eorum bona capere, & detinere die feriata & non feriata, & dominus poteſtas, & eius familia, teneantur, & debeant die feriata & non feriata eos capere & detinere, ad petitionem creditoris, qui tempore ſtatuti erat, vel poſtea creditor fuerit.

### De eodem.

ITEM ſtatutum & odinatũ eſt quòd ſi aliquis de iuriſdictione Nouariæ, vel aliunde debitor alicuius ſingularis perſonæ, vel communitatis ciuitatis Nouarię, vel diſtrictus receſſerit, & iuerit ad alienam iuriſdictionem cauſa habitandi antequã ſatisfecerit ſuo creditori. Et ſi poſtea creditor inuenerit eum in Nouaria, vel diſtrictu, liceat ipſum debitorem capere qualibet die feriata, & non feriata, & eum ducere in fortiam domini poteſtatis, & communis Nouarię. & ad talem debitorem capiendum dictus creditor posſit, & ſibi liceat duos & tres ſecum ducere, ſine metu: & contra tales euntes cum creditore capiẽtes per dominũ poteſtatem non posſit procedi: & etiam si eum inuenerit dictus creditor in diſtrictu eum capere posſit, vt ſupra, & recomendare, & consignare eum conſulibus communis, & hominibus loci, & locorum diſtrictus Nouariæ, in quo vel quibus talis debitor fuerit repertus. Et ſi conſules non reperirentur, quòd tres ex hominibus ipſorum locorum prędicta facere teneantur. Qui conſules, commune & homines teneantur & debeant, ſi fuerint requiſiti per creditorem, ſuper qua requiſitione credatur creditori cum ſacramento, talé debitoré capere & in capiendo eum, præſtare auxilium & fauorem, & ipſum captum cõſignare domino poteſtati Nouariæ. Quod ſi dicti conſules commune & homines non adimpleuerint, cadant in pœnam librarum vigintiquinque imperialium pro quolibet & qualibet vice. Quæ pœna ſit creditoris & creditori applicetur ipſo iure. Et dominus poteſtas teneatur tales cõtrafaciẽtes ad dictam pœnam ſoluendam, poſtquàm ab eo petitum fuerit, compellere. Saluo quòd ſi creditor non deberet habere quantitatem librarum vigintiquinque imperialium, quod pœna non ſoluatur nisi ad illam quam habere deberet creditor, & quòd credatur creditori dicenti talem debitorem ſuum iuiſſe ad alienam iuriſdictionem habitare cũ ſacramento. Et poteſtas & iudices tali creditori petenti, & dicenti, & iuranti, teneantur dare familiam ad capiendũ tales debitores. Et dominus poteſtas & iudices posſint de debito cognoſcere, & pronuntiare, & cogere ipſum debitorem omnibus iuris remedijs ad ſolutionem eidem creditori faciendam, ſi debitor apparuerit, non obſtantibus aliquibus iuribus, ſtatutis, vel reformationibus ipſius cõmunis, & inde ſtatim ipſum relaxare, facta ſolutione prædicta, nec posſint deinde recõmendare per alium creditorem ea die, vel ſequẽti, poſtquàm per primum fuerit relaxatus. Statuentes inſuper quòd ſi contingat aliquem detineri facientem aliũ deficere in probatione ſui aſſerti crediti, dicto caſu talis ſuccumbens in probatione condemnetur verſus aſſertum debitorem, quem detineri feciſſet in omnibus damnis, intereſſe & expenſis, per ipſum detentum pasſis, tempore ſuę detentionis, & vltra in libris decem imperialium applican. cameræ communis Nouariæ.

### *De ruſticis & burgenſibus euntibus habitatum de vno loco ad alium.*

ITEM ſtatuerunt & prouiderunt, quòd ſi aliquis burgenſis vel ruſticus receſſerit de aliquo burgo vel villa iuriſdictionis Nouariæ, & iuerit ad habitandum ad alium burgum vel villã dictæ iuriſdictionis: quòd ipſi ſic recedentes teneantur & debeant ſoluere omnia onera realia ſeu mixta, ac ſoluere fodra, & taleas, & cuiuſcunque alterius generis onera cum communi burgi, vel villæ a quo receſſerit, quouſque poſt eius receſſum fiet per commune Nouariæ extimum nouum. Saluo quòd de cuſtodijs quę fieret in ipſo loco ad quem iuerit habitatum, teneatur ſtatim ex quo ad ipſum locum iuerit habitatum. Poſt verò dictum extimũ nouum factum per cõmune Nouariæ, & nõ ante, teneatur omnia onera ſuſtinere

cum

cum communi burgi vel villæ loci in quo habitabit tempore ipsius extimi noui, & non cum ipso loco vnde recesserit. Si verò ipsum commune burgi vel villæ, a quo recedet aliqua debita faciet ante ipsum extimum nouum, quòd ipsi recedentes teneantur pro modo sui extimi ad ipsa debita quæ sic fient: & non ad debita quę fierent per commune burgi vel villę ad quem iuerit habitatum, postquàm ipsum extimum nouum factum fuerit, non teneantur ad debita quæ fierent per commune burgi vel villæ vnde recesserint: nec cogantur illi qui recesserint redire ad ipsum locum a quo recesserint.

*Quòd singuli cuiuslibet vniuersitatis teneantur ad obligationes factas per syndicos, & cōsules; ac si essēt nominati in carta seu cōdemnatione*

ITEM quòd de debitis, & cartis, & condemnationibus, & obligationibus in quibus commune vel syndicus alicuius villæ vel vniuersitatis teneantur, & sint obligati, & condemnati: teneantur omnes homines, & personæ de dicto loco, siue sint in carta debiti, siue non sint obligati: & teneantur ac si essent in carta & condemnatione, & illi qui non sunt in carta & condemnatione possint & debeant per creditores, & per iudicem domini potestatis & eius familiam capi & detineri: sicut si essent condemnati & obligati in carta. Dum tamen commune vel eius syndicus sit condemnatus ad petitionem creditoris, qui erat creditor tempore huius statuti, vel postea fuerit effectus. Et quòd omnes homines & personę, loci vel locorū obligatorum alicui creditori possint capi & detineri ad petitionem creditoris, siue sint in carta & obligatione vel condemnatione, siue non. Et filij familias, qui non sunt in carta nō possint detineri. Finita verò patria potestate, habitantes in loco teneantur vt ceteri vicini, secundum eorum extimationem de eis fiendam etiam repudiata hereditate paterna. Recedentes autem de loco secundum dictam eorum extimationem soluere etiam teneantur de debitis contractis viuente patre vel ante, ad quę debita pater tenebatur, siue sit heres patris, siue nō, vt supra est expressum. Salua volūtate Illustrissimi Domini Domini nostri.

*Qualiter vniuersitas non possit probare per rusticos contra dominum siue ciuem.*

STATVTVM est quòd si aliqua vniuersitas alicuius burgi vel villę iurisdictionis Nouariæ habuerit causam cum aliquo domino vel ciue, quòd prędicta vniuersitas non possit probare contra ipsum dominum vel ciuem, cum quo habuerit causam per homines ipsius loci vel vniuersitatis.

*De solemnitate adhibenda in hereditate repudianda.*

ITEM quòd si alicui existenti in quarto gradu, vel infra, secūdum ius ciuile cōputandum, delata fuerit aliqua hereditas, immediatè siue primo loco, post mortem personę defunctę, ex testamento, vel ab intestato, teneatur infra triginta dies computan. a tempore quo nouerit dictam hereditatem sibi delatam: quę notitia presumptione iuris, & de iure pręsumatur, vbi tamen hereditas erit delata ab intestato, si illa persona cuius est hereditas delata decesserit in ciuitate Nouariæ, vel in suburbijs, vel in districtu, & ille cui delata fuerit hereditas tempore mortis eius cuius est hereditas delata, vel etiam postea infra dictos triginta dies fuerit in ciuitate Nouarię, vel in suburbijs, vel in districtu dictam hareditatem sibi delatam, vt supra, sono tubę præmisso, per vnum ex pręconibus communis Nouarię, inter mediam tertiam, vel inter octauam, & vesperas ad lapidem broreti communis Nouariæ sub porticu mercatorum communis, per mediam portam broreti communis Nouariæ, & versus meridiem, & apud ecclesiam sancti Ambrosij, & apud puteum fortengum, & apud plateam Goriciorum siue Alzalendinorum, & apud beccarias, repudiare dictam hereditatē, seu protestari & dicere, quòd non vult esse heres: & dictam repudiationem seu protestationem infra dictum tempus ad cameram communis Nouariæ, in libro seu quaterno manu publica scribi facere: & infra iqsum terminum suo sacramento & bona fide omnia bona mobilia & se mouentia, & nomina debitorum, quę in domo defunctæ personę inuenerit, vel ad eum de ipsius hereditate peruenerit manifestare, & ad dictam cameram scribi facere. Quæ bona possit retinere, vel insolutum recipere, si fuerit creditor personæ defunctæ, secundum iuris dispositionem. Et prędicta habeant locum in quacunque persona, cui delata sit hereditas, vt supra, maior quatuordecim annorum, & etiam minore, postquàm etatē dictorū quatuordecim annorū cōpleuerit, siue sint masculi, siue fœmine. Eo saluo quòd dictū tēpus nō currat, nec incipiat currere, nisi post dictā etatē quatuordecim ānorū cōpletā Et quòd fœminæ & quęcūque alię personæ debilitatæ, siue quę cōmodè præsētialiter nō pos

possint renunciationi prædictæ, possint prędicta facere & expedire per vnum & plures pro curatores, ad hoc spetialiter constitutos. Et si prædicta solemnitas obseruata non fuerit, habeatur pro herede personæ defunctæ talis persona, quę non repudiauerit, seu renuntiauerit, seu protestata fuerit, vt supra. Saluis tamen alijs statutis in contrarium disponentibus, & specialiter statuto posito sub Rubrica de dominis massariorũ, cui & quibus per præsens non intelligatur derogatum.

*De descriptione & sequestratione fienda de bonis debitoris defuncti ad petitionem creditoris.*

ITEM quòd ad petitionem cuiuslibet personæ, habere debẽtis ab aliqua persona defuncta, cuius hereditas sit repudiata, docẽte de suo credito, & iurante sua interesse, quilibet habẽs iurisdictionem secularem in ciuitate Nouariæ, teneatur facere describi, & sequestrari bona dictę personæ defunctæ, siue sint in domo habitationis ipsius defuncti, siue alibi.

*De condemnatis debitoribus.*

ITEM statutum est quòd postquàm aliquis de Nouaria, seu iurisdictione, vel aliunde, maior tamen decemocto annorum, fuerit condemnatus, & trãsiuerit condemnationis terminus, Quòd potestas, & assessores eius, & consules iusticię Nouariæ teneantur, ad petitionem creditoris, capere vel capi facere ipsum debitorem: nec possit ille debitor captus poni in terra zimella, nec alio carcere. Sed detineatur, & custodiatur in carceribus communis Nouarię, per custodes ipsorum carcerum ad volũtatem creditoris, donec satisfecerit creditori. Et idem intelligatur in quolibet eius herede, masculo maiore tamen decem octo annorum, & dictum statutum locum non habeat in mulieribus debitricibus, & condemnatis. In domo verò sue habitationis, vel alterius, quis detineri non possit, nec etiam in die iouis, & diebus feriatis contentis in statuto. Saluo statuto quòd est sub rubrica. De illis episcopatus Nouariæ, &c. cum tribus statutis immediatè sequentibus, quibus derogatum non intelligatur per præsens statutum. Et quòd forenses alterius iurisdictionis qualibet die, & vbiq; possint detineri, etiam si dicti forenses non sint condemnati. Dummodo ipsi forenses sint publico instrumento obligati, vel aliter de eorum debitorum suorum creditorum legitimè constet.

*De his qui capti fuerint, & cedere voluerint bonis suis.*

ITEM statutum est quòd si quis capi fecerit, ac captum tenere voluerit aliquem pro aliquo debito, etiam si sit pro maleficio, vel fideiussoria, si ille captus non haberet de suo proprio vnde posset se pascere, & alere in carceribus, quòd ille qui ipsum captum tenere voluerit in carceribus teneatur eum relaxare, aut dare ei pro eius pastura imperiales duodecim pro qualibet die qua ipsum tenere voluerit in carceribus, vel probare quòd habeat id vnde possit se pascere & alere in carceribus, & ipso iure intelligatur esse probatum quòd habeat vnde possit se alere, nisi renuntiauerit bonis in manibus creditorum. Et quòd statim detento debitore, instante creditore, & petente descriptionem fieri bonorum debitoris, quòd dominus potestas, seu iudices sui, vel consules iustitiæ teneantur descriptionem facere fieri bonorum detentorum, ad petitionem creditoris, & ipsa bona descripta creditoribus dare insolutum, si eis placuerit. Saluo quòd si debitor detentus renuntiauerit beneficio suprascripti statuti, quòd bonorum descriptio nõ fiat. Sed si reperiretur aliquam fraudem factã esse in celando bona, vel aufugiendo, vel alio modo, quòd tunc nõ possit euitare descriptionem bonorum, nec habeat beneficium dicti statuti.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliquis creditor fecerit detineri aliquem suum debitorem condemnatum, vel eius heredem, quòd non possit eum detinere detentum vltra sex menses, si dictus debitor talis fuerit conditionis, qui nequeat soluere totum debitum, & qui consignat suo sacramento, & insolutum dat post tres menses omnia sua bona creditori. Saluo quòd si probari poterit quòd dictus debitor non consignauerit omnia sua bona saluis vestibus suę personę, vtensilibus domus valoris soldorum viginti imperialium, seu commiserit vel inuentus fuerit commisisse fraudem per alienationem aliquorum bonorum suorum, quòd dictus debitor non gaudeat beneficio huius statuti, & etiam relaxatus, fraude reperta, vel inuento eum non consignasse omnia bona, vt supra, possit adhuc detineri.

Et

Et quòd creditor etiam post dictos quindecim dies, postquàm dictus debitor fuerit relaxatus possit adhuc detineri facere. Et quòd creditor elapso dicto termino, & debitore consignante, & insolutum dante, vel dare volente, vt supra, infra quindecim dies, posit probare omnia bona consignata non esse, & interim debitor detentus permaneat. Et quòd creditor etiam post dictos quindecim dies, postquàm dictus debitor fuerit relaxatus, posit probare quandocunque de fraude commissa, vel de bonis non consignatis, & facta probatione alterum prædictorum, debitor non gaudeat beneficio dicti statuti.

*Ne quis positus in malpaga possit recommendari ad petitionem alterius.*

ITEM quòd si aliquis fuerit captus, vel detentus, vel in carceribus positus ad petitionem alicuius, vel aliquorum non possit impediri, vel detineri, vel recommendari ad petitioné alterius, nisi prius fuerit relaxatus, & in vtroque casu intelligatur esse relaxatus, si repertus fuerit extra portas palatij, seu broreti, aut extra ipsos carceres qui sunt prope domum communis Nouariæ, in qua tenetur hospitium piscis. Et quòd captus pro debito, vel pro facto communis Nouarię, non posit impediri per specialem personam, nisi prius fuerit relaxatus. Et quòd ipsa die qua fuerit relaxatus non posit impediri vel detineri.

*De mulieribus dotatis qualiter admituntur ad successionem.*

ITEM statutum est quòd si aliqua mulier dotata fuerit a patre, vel auo paterno, vel dos in testamento, vel alia vltima voluntate sibi assignata fuerit, vel in ea instituta, vel in quantitate aliqua pro dote, vel occasione dotis, sibi relicta, vel dotata fuerit a fratre paterno, vel ab ejus tutore vel curatore. Et quę dotatio fieri posit, vt infra, etiam inuita ipsa sorore, de bonis communibus sui, & fratrum, etiam si dos, vel quantitas pro dote relicta esset minus legitima: quod sit in tali dotis institutione, vel assignatione cótenta: etiã si dicta dotatio fieret postquam dicta mulier adiuisset hereditatem maternam, aut paternam, tacitè vel expressè, & etiã si esset maritata. Sic quòd herede masculo descendéte, existente, illi, de cuius successione agitur, non admittatur ad succesionem ab intestato, paternam, maternam, vel auitam. Saluo quòd in dotatione facienda per fratrem, tutorem, vel curatorem, adhibeatur consilium, & consensus duorum agnatorum proximiorum, & vnus ex proximioribus coniunctis ex parte matris Et vbi non adessent parentes paterni, vel materni, loco ipsorum deficientiũ adhibeantur quatuor vicini bonę opinionis, reputationis, & famę, qui suppleant vices ipsorum parentum. Et si essent discordes dicti tres, vel dicti quatuor vicini stetur duobus. Et quòd si aliqua mulier decesserit relictis filijs, vel filiabus, tam ex vno matrimonio, quàm ex pluribus, quòd aliqua filiarum suarum alicuius matrimonij non repellatur a succesione matris per dotationem factam per patrem eius, si non habuerit fratrem ex dicto patre. Et casu quo habuerint fratrem ex eodem patre, ipse frater talis mulieris dotatæ habeat partem, quam haberet ipsa mulier, si non esset dotata. Sic quòd pars dictę mulieris accrescat fratri suo ex vtroque parente coniuncto.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd mulieres dotate a patre, vel a matre, auo, vel auia, tutore, vel curatore, fratre, vel fratribus, vt supra, nó admittantur ad succesionem ab intestato fratrũ communium vel nepotum, hoc est neueorum agnatorum sine liberis mortuorum. Sed fratres & nepotes, qui nepotes loco patris computentur, paterni masculi præferantur ipsis mulieribus dotatis. Et idem intelligatur de succesione neueorum intestatorum sine liberis mortuorum, quòd eorum succesio patruis & non amitis deferatur, patre vel auo paterno non existentibus; quibus existentibus succedant ipsi filio vel ablatico. Ipsę tamen dotatæ, in succesione fratris vel sororis admittantur hoc modo, videlicet. Quòd si fuerit vna tantum habeat quartam partem, & si fuerint duæ, habeant tertiam partem, & si fuerint abinde supra, habeant medietatem succesionis fratris, vel sororis, ab intestato mortui sine liberis, fratre paterno non derelicto. Et idem intelligatur in muliere non dotata, loco dotis vltra prædicta, habeat legitimam succesionis patris, & matris suæ, quando frater prętmortuus est vtriq; cóiunctus dictæ mulieri, seu mulieribus, si autẽ esset cóiunctus ex parte patris tantùm vltra prædicta, habeat hereditatem maternam, reliquæ partes patruis & filijs patruorum debentur, ita quòd filij patruorum, qui consanguinei germani appellantur, pro patre, & loco patris succedant. Si verò fratrem paternum masculum reliquerit: seu fratres, tunc si dicta soror dotabitur per fratrem, vt supra, non admittatur ad succesionem

fratrum, vel fratris præmortui, vltra libras vigintiquinque imperialium pro centonario, vsque ad libras octocentum imperialium, & sic pro rata. Et quòd vltra libras ducentas habere non possit de successione fratris quantacunque fuerit. Si verum aliquis decesserit ab intestato, relicta filia, vel filiabus, & relicto fratre, vel fratribus ex parte patris, & filio vel filijs fratris ex parte patris coniuncti, vel aliquo ipsorum, quòd illa filia, & filiæ habeant primo & inantea, de rebus hereditatis libras ducentas imperialium pro qualibet ipsarum si tantum ibi fuerit. Et abinde supra, si fuerit vna tantum habeat vltra libras ducentas, medietatem. Et si fuerint duæ, habeant duas partes: & si fuerint tres, vel abinde supra, habeant tres partes successionis paternæ vltra dictas libras ducentas imperialium pro qualibet. Residua verò quantitas, sit & esset debeat patrui, vel patruorum, & filiorum masculorum alterius patrui, vel patruorum, ita tamen quòd filij patrui, quotcunque sint, pro vno debeant reputari. Hoc addito, quòd patruus & nepotes inde aliquid percipere non possint, quousque filia vel filiæ fuerint maritatę, vel monasterium ingressæ: & fructus medij temporis lucro debeant cedere filiarum. Et si aliqua esset maritata & dotata non præhabeat libras ducentas imperialium. Et si non essent ibi patruus vel filius patrui, relinquatur iuri communi. Et dictę mulieres nõ dotatæ: & quę possint dotari vt supra, possint se petere dotari, cum fuerint ętatis sexdecim annorum. Et quòd de dote sua possit ipsa mulier dotata, vtsupra, antequam nupta fuerit, disponere prout sibi placuerit: & dictam dotem habeat, siue voluerit maritari, siue non, & siue intrauerit monasterium siue non.

## *Quòd mulier intelligatur dotata si steterit per decem annos quòd quæstionem non mouerit.*

ITEM statutum est quòd si contingeret aliquam mulierem maritari, quę steterit per decem annos maritata, & super dote constituenda non mouerit litem, vel saltem protestationem non fecerit in scriptis coram domino potestate Nouariæ, vel eius vicario, seu coram aliquo ex dominis consulibus iustitiæ Nouarię, ad banchum iuris hora congrua iuris, pręsumatur esse legitimè dotata præsumptione iuris, & de iure.

## *De muliere nupta extra dominium.*

SI mulier iurisdictionis communis Nouarię nupserit extra dominium Illustrissimi Principis & excellentissimi domini nostri Francisci Sfortię vicecomitis Ducis Mediolani &c excludatur a successione cuiuslibet personæ iurisdictionis communis Nouarię, & illa talis successio siue hereditas perueniat in agnatos proximiores, vel alios propinquos, siue talis hereditas deferatur ab intestato, siue ex testamento. Et hoc idem sit, & esse intelligatur in omnibus descendentibus taliũ mulierum, qui nati fuerint ex non supposito dicto domino.

## *De interesse non dando mulieribus pro eorum dotibus vel legatis, ipsis recipientibus alimenta.*

ITEM statutum est quòd si aliqua mulier Nouariæ, vel districtus, habuerit, vel perceperit hinc retro, vel habuerit, vel perceperit in futurum, mortuo viro suo, ab heredibus dicti quondam viri sui vel altero eorum, vel in bonis proprijs dicti quondam viri sui, vel communibus cum quondam viro suo, alimenta, vel vsumfructum, vel annualem, siue temporalem præstationem, quòd per illud tempus, & tempora, per quod & quæ dicta alimenta perceperit, non currat aliquod interesse dotis suæ, vsque ad concurrentem quantitatem dictorum alimẽtorum, seu vsufructum, vel annuæ, siue temporalis pręstationis. Et quòd per ipsam mulierem, vel eius heredes, vel aliam personã, non possit aliquod interesse peti, vel haberi ab ipsis heredibus, vel ab altero eorum, vel in eorum bonis, vel in bonis dicti quondam viri sui, pro ipsa dote sua, vel pro aliquibus legatis sibi factis per ipsum quondam virum suum, sed ipsum interesse prorsus per illud tempus cesset, & omni careat cursu. Ita & eo modo, quòd potestas Nouarię, qui nunc est, & per tempora fuerit, & eius iudices, vel alter eorum, & consules iustitiæ Nouariæ, vel alter iusticiarius, de prędicto interesse non possint se intromittere, nec inde iustitiam exhibere, statuto, & statutis, legibus, & decretis loquentibus in contrarium non obstantibus, a quo, & a quibus, idem dominus potestas, qui nunc est & per tempora fuerit, & consules remaneant absoluti, & infra annum mulieri alimẽta debeantur. Et quòd si mulier habuerit dotem fundalẽ in totum, quòd sibi alimenta nõ debeantur. Et si habuerit dotem fundalem in parte, & in parte dotẽ extimatã, quòd pro parte

te dotis extimatæ alimenta debeantur pro rata. Quæ alimenta taxari debeant per duos cómunales amicos, eligendos vnum pro parte mulieris, & alterum pro parte heredum. Et si electi non concordarent, quod eligatur tertius per dominum potestatem, aut vnum ex consulibus, datis confidentibus per partes, & duorum concordantium taxationi stetur, & illud quod taxabitur debeat executioni mandari.

*De interesse dando.*

QVIA lex diuina, & lex communis, & multe aliæ rationes dant interesse probatum. Et ideo cupientes lites & dispendia inter homines iurisdictionis Nouariæ euitare. Statuerunt & ordinauerunt quòd quilibet debitor det suo creditori pro interesse denariorum suorum omni anno ad rationem librarum sex pro quolibet centonario, ipso tamen creditore iurante de suo interesse, & iurans sit bonæ opinionis, vocis, & famæ: dummodo non excedat in iurando quantitatem suprascriptam. Et hoc teneatur & reputetur interesse probatum. Et hoc statutum habeat locum in contractibus emphiteoticis, & dotibus, & omnibus contractibus bonæ fidei, & stricti iuris, habentibus naturam bonę fidei, vt in legatis, & fide comissis, scilicet, in contractibus, vt supra, futuris, & in contractibus prçteritis. Et quòd potestas, & eius assessores, vel alij iudices, & officiales communis Nouarię super hoc deputati, teneantur prçcisè facere rationem creditori, tam de interesse quàm de capite. Et consules iustitiæ Nouariæ, teneantur secundum formam dicti statuti, tam in liurationibus, quàm in condemnationibus, & alijs casibus, & procesibus, procedere, & executioni mandare. Et si aliquis qui non fuerit de iurisdictione Nouariæ, qui se obligauerit soluere interesse, noluerit, quòd potestas, & alij iudices teneantur facere rationem creditori, sicut de illo qui fuerit de iurisdictione Nouarię.

*De fideiussoribus datis per non subditos communis Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd si aliquis non subditus communis Nouarię, cuiuscunque gradus, & conditionis existat, se obligaret alicui subdito communis Nouariæ, & fideiussorem dederit, quòd fideiussor, & fideiussores teneantur ad interesse dicti debiti, probatum vel probandum, dandum, & soluendum eidem creditori, exceptione aliqua non obstante, & si dicti non subditi succedant in casibus præmissis subdito communis Nouariæ, teneantur, & sint obligatæ res quę fuerunt illius subditi ad soluẽdum debitum & interesse probatum, vel probandum, & res possint per consules iustitię Nouarię liurari & insolutum dari pro dicto debito & interesse, & similiter si subditus cõmunis Nouariæ successerit non subdito, teneatur ad omne interesse & cogatur ad soluẽdũ sorté, & interesse, & insolutũ datio possit fieri vt supra. Et hoc locũ habeat tã in casibus presentibus, quàm in futuris, non obstãte aliqua lege.

*De cambiatoribus eorum libros celantibus.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si contingeret aliquo casu aliquem campsorem seu campsores suum librum publicum cambij celare, vel retinere, quocunque modo, quo minus ille vel illi, qui ab eo, vel eis aliquid habere deberent, non possent suas rationes videre, quòd credatur creditoribus cum suo sacramento, & eisdem detur fides de toto eo quod iurauerint se habere debere, & vltra hoc ipse campsor, qui librũ celauerit, nec heredes eius nullo modo possint esse habitatores ciuitatis Nouariæ, nec ciues, nec imperpetuum pro ciuibus in aliquo casu reputentur. Et vlterius ipsi heredes, vel filij campsoris, librum celantis, & ipsi heredes, vel filij celantes dictum librum, non possint, nec debeant defendere, vel habere aliquid in bonis patris occasione alicuius dotis, vel matris, vel alterius modi, alicui campsori non possit fieri remissio quantitatis debiti, vel dilatio temporis indulgeri, nisi duæ partes creditorum in cumulo crediti, iurantium de quantitate sui crediti, fuerint in concordia, & iurantium se verè & non fictè dictam remissionem seu dictam dilationem velle facere, sine spe habendi vltra illud quòd ordinabitur. Et dominus potestas non possit ponere in consilio de absolutione ipsius statuti, nec aliquis arengare, & cuilibet petẽti, & iurãti se credere sua interesse, fiat exhibitio librorũ, vt supra est expressũ.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd quilibet campsor infra octo dies postquàm ab eo petitum fuerit, teneatur facere solutionem creditoribus de eo quod debet occasione campsorię. Ita & eodem modo illi qui tenentur dare sine carta campsoribus aliquas quantitates pecuniæ, si cõ fitentur

fitentur, vel confitebuntur, quòd potestas teneatur cogere illos debitores sic confitentes ad soluendum illas quantitates infra octo dies proximè, non obstantibus aliquibus statutis.

### De sententijs venditionum, & locationibus factis per officiales communis, obseruandis, vel non.

SENTENTIAS quæ per potestatem Nouarię, seu eius assessores, siue per consules communis, vel iustitiæ, latę sunt, nisi suspensæ fuerint per appellationem, vel aliquo beneficio restitututionis, vel minoris ętatis, vel impetrando, vel venditiones, vel locationes per ipsos consules & potestatem, siue eorum officiales, de rebus communis Nouariæ factas, venditiones & locationes, dico factas consilio maioris partis credentię, ratas habebo, & nisi habuerit exceptionem, etiam lata sententia, vel nisi sint ipso iure nullæ.

### Vt nullus moueat quæstionem de rebus venditis per commune.

STATVTVM est ne aliqua persona Nouarię, vel iurisdictionis Nouarię, moueat questionem vel controuersiam, vel causam communi Nouariæ, vel illis qui habent causam, vel datum a communi Nouariæ, vel emptoribus communis Nouariæ per se, vel alium, qui cessionem de prædictis alicui personæ, vel alicui collegio, vel vniuersitati, faciet de cetero, vel qui vteretur iure sibi cesso nominatim, de terris, & possessionibus iustè & de iure venditis per commune Nouarię, & per nuntios communis Nouariæ, ad hoc constitutos, & alicui personæ Nouarię. Et teneatur potestas, qui per tempora fuerit auferre, vel auferri facere illi, vel illis, qui contrafecerint, pro qualibet vice, libras centum imperialium, scilicet, si ipsa res de qua mota fuerit sibi quęstio, valeat librę centum, aut plus: & si minus valuerit, det ille qui mouerit quæstionem pro banno communi Nouarię, libras vigintiquinque imperialiũ, pœna soluta perhibitione istius statuti in suo statu permanente, quòd si prædicta soluere non possit transgressor huius statuti, banniatur & banna communi Nouariæ, applicentur, & in communi Nouariæ, in carceribus, donec bannum prædictum soluerit. Saluo eo quod declaratum est de debitore per sex menses detinendo. Et hęc statuta, siue leges, & ordinamenta habeant locum, tam in præteritis, quàm in pendentibus, & futuris negotijs, si de cetero vsi fuerint: nisi infra octo dies a die motę questionis, vel cessionis datę, destiterit de prædictis questionibus & occupationibus. Saluo quòd hoc statutum nullum faciat pręiudicium creditoribus habentibus rem illam venditam obligatam. Et hęc statuta & ordinamenta sint præcisa. Ita quòd per consilium & concionem non possint mutari, vel remoueri vllo modo, vel ingenio, quòd dici possit vel excogitari.

### De appellationibus, & questionibus ad iurisdictionem Potestatis, & eius vicarij spectantibus.

EGO Potestas, appellationes causarum committam secundum formam statutorum causarũ ciuilium, quę aliàs erant compręhensę in decreto ordinis causarum ciuilium, & tamquàm delegatus ducalis. Causas verò maleficiorum suscipiam, & per me vel meum assessorem iudicabo secundum statuta & consuetudines approbatas, & eis deficientibus, secundum iura romana, scilicet, causas maleficiorum infra sex menses continuos a die citationis factæ de reo, seu accusato, vel denuntiato computandos. Causas verò ciuiles, ad officium mei potestatis spectãtes, suscipiam, & iudicabo ad tardius infra quadraginta dies vtiles, & breuiori tempore, vt melius fieri poterit, & terminos ordinatè assignabo, primo ad probandum, & deinde ad reprobandum. Itaquòd ipsos terminos longiores non assignabo quàm sint assignandi in causis ordinarijs: & de alijs causis & querimonijs ciuilibus, in quibus & de quibus cognitio spectat dominis consulibus iusticię Nouarię aliquo modo, qui dici vel excogitari possit, non me intromittã: sed sub consulibus iusticię Nouarię eas ventilari & determinari permittã: ad ipsos dominos consules partes transmittẽdo. Et hoc statutũ sit pręcisum.

### De questionibus cognoscendis per dominum Potestatem.

ITEM statutum & ordinatum est quòd dominus potestas, & eius vicarius qui stabit ad banchum ipsius domini potestatis pro iure reddendo, solùm possint cognoscere de quibuscunque questionibus cuilibet vsque ad quantitatem soldorum centum imperialium, vel rerum valentium dictam quantitatem: & vltra dictam quantitatem, seu valimentum cognoscere aliquo modo non possint, etiam si fuerit de expressa, vel tacita partium voluntate: prętérquam in & de infrascriptis casibus. Et prædicta cognoscent & determinent sine strepitu & figu-

figura iuditij, & sine aliquo libello, & petitione, factis capitulis intentionũ, & insuper legitimis probationibus. Et quòd termini dentur per ipsos dominum potestatem, vel eius vicarium in prędictis quæstionibus secundum quòd eis melius videbitur conuenire. Ita tamẽ quòd ipsos terminos distinctè & separatim assignare debeant; videlicet, terminum probatorium, & deinde reprobatorium. Et ita, & taliter quòd ipsi termini non possint longiores pręfigi quàm possint in causis plenarijs: sed breuiores possint assignari. Et si aliqui termini expressè non assignarentur, quòd intelligantur esse, & sint pręfixi termini probandi, & reprobandi, prout sunt in causis plenarijs: possint etiam cognoscere & terminare de omnibus & singulis casibus seu causis infrascriptis, videlicet, de restitutione in integrum minorũ & maiorum, & de diuisionibus rerum communium, & de claudendis terminis, & confinibus, saximentis interdictis, prohibitionibus, vel præceptis, seruitutibus prædiorum vrbanorum vel rusticorum, pensionibus domorum, & ipsis domibus vacuandis, victuris, mercedibus, cibo, potu, & de omnibus & singulis salarijs iudicum, medicorum, procuratorum, notariorum, & omnium officialium Nouariæ, & de quæstionibus, quæ orirentur inter aliquos officiales communis Nouariæ occasione officiorum, & de confectionibus, & refectionibus, & restitutionibus instrumentorum, & de confessionibus faciendis, & de quæstionibus, quæ orirentur inter vicinos & vicinas ciuitatis, territorij, districtus & episcopatus Nouariæ occasione fodrorum, & extimorum, ac omnium aliorum onerum, & factionum, quæ imponentur per commune Nouariæ, seu per vicinos districtuales, vniuersitates, & loca districtus Nouariæ, & super eo quod diceretur aliquis esse vicinus alicuius vicinantiæ, vel ciuis Nouariæ, vel etiam terrerius villæ, loci, & castri districtus prędicti, & super eo quòd aliquis diceret aliquem debere esse suum famulum, & discipulum, & de quæstionibus quę orirentur occasione aliquorum consiliorum communis Nouarię, & de eo quòd diceret aliquis se pati iniuriam vel grauamen, vel ius suum non posse consequi ab aliquo officiale communis Nouarię. Et de quæstionibus inter forenses, & quæstionibus pontium, viarum, puteorum, cloacarum, & de denarijs mutuatis in exercitibus, vel caualcatis, & de quæstionibus quę fierent occasione ipsorum exercituum, andatarum, vel caualcatarum, & de quęstionibus datiorum bancharum communis Nouariæ, ac denariorum solutorum, vel datorum pro redemptione captiuorum, vel præsonerariorum, & de quęstionibus orfanorum, viduarum, pupillorum, & miserabilium personarum, ac de legatis relictis ad pias causas, & de alimentis præstandis, vel non, & de tutoribus, vel curatoribus, dandis, vel & remouendis tanquàm suspectis: quas miserabiles personas, pupillos, viduas, & orfanos teneantur audire, & defendere contra quascunque personas ciuitatis, & districtus Nouariæ, & aliunde omnibus modis quibus crediderint conuenire. Et quòd de quæstionibus prędictis soldorum centum imperialium, vel rerum valentium dictam quantitatem, & abinde infra, & etiam super, & in prædictis omnibus & singulis causis, & casibus superius expressis, possint, & valeant cognoscere, & terminare breuiter & summatim, sine strepitu, & figura iudicij, & absque vlla alia solemnitate, quæ in alijs causis debet obseruari, & absque libelli datione, etiam quibuscunque diebus feriatis ob necessitatem hominum, vt puta messium & vindemiarum, ordine iuris seruato, & non seruato. Et quòd de ipsis quęstionibus soldorum centum imperialium, vel rerum valentium, & abinde infra possint terminare sine consilio sapientis alicuius iudicum collegij ciuitatis Nouariæ: nisi sapiens petitus fuerit de collegio dictę ciuitatis per aliquam partium, ad expensas tamen petentis. Et quòd de his quę sententiabuntur per dominum potestatem, vel eius vicarium, ex aliqua delegatione sibi fienda, per litteras Domini, vltra prædicta, de quibus solueretur iudicatum coram consulibus iusticię Nouariæ, soluatur iudicatum, prout in statuto consulum continetur. Quam iudicaturam dictus dominus potestas, & eius vicarius teneantur exigere a parte perdente, & eã dare massario cõsulum, vel alij deputato per cõmune Nouarię, qui de ipsa iudicatura faciat scripturam in ratione communis Nouarię, vel prout aliter factum fuerit & ordinatũ per commune Nouarię, & quòd consules communis Nouarię nihil percipiant de ipsa iudicatura: quodquè etiam de & in prædictis omnibus & singulis causis, & quęstionibus, & causis: præterquàm de causis appellationum, & criminalium pariter: & eodem modo possint cognoscere, & terminare, omissis solemnitatibus, vt supra, consules iustitię Nouarię, sicut cognoscere & terminare, vt supra, possint potestas & eius vicarius.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd liceat cuilibet appellare a sententia lata in iudicio possessorio, seu in

in causa possessorij, & in quacunque causa, a quacunque sententia diffinitiua, lata in Nouaria, vel in districtu Nouarię. Et saluo eo, quòd statutum hoc non deroget in aliquo praecedentibus statutis: & non liceat tertio appellare, & in interlocutorijs ius commune seruetur. Saluo etiam quòd verus contumax possit appellare.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd a sententijs quę proferentur per vicarios, vel aliquē vicariorum Veemenię, Ossolæ iurisdictionis communis Nouariæ, & Vallentraschę, vel Pallantiæ, vel Intrę vel per potestatem Vallis Sicidę, vel eius vicarium, appelletur, & appellari debeat ad dominum potestatem communis Nouariæ. Ad alium verò, vel alios appellari non possit. Saluo quòd possit appellari ad pręlibatum Dominum nostrum.

*De tutoribus testamentarijs, & in vltimis voluntatibus datis, & de alijs per eos fiendis.*

AD tollendas iuris perplexitates, & ad tollenda dubia, quę in iuditijs frequenter occurrūt, Statutū & ordinatum est quòd quilibet tutor, tam masculus, quàm fœmina in testamento, vel in vltima voluntate datus, siue ordinatus, qui tutelam suscipere velit, vel de iure cogatur, teneatur, & debat, per vnum, vel plures ex consulibus iustitię Nouariæ, vel per vicariū domini potestatis, facere in ipsa tutela se confirmari, seu sibi administrationem tutelę decerni: & inuentarium facere teneatur, nisi ipsius inuentarij confectio sibi remissa fuerit, & alia facere teneatur, quę de iure fuerint facienda, & his factis possit, sine alia solemnitate fienda, nomine personę minoris septem annis, cuius tutor erit, hereditatem & hereditates adire, etiam cum beneficio inuentarij. Et maior septem annis masculus, minor annis quatuordecim: vel fœmina maior annis septem, minor duodecim, cum auctoritate talis tutoris, hereditatem & hereditates quascunque possint adire, etiam cum beneficio inuentarij, vt supra. Et tales aditiones, & quælibet earum sint validę, & pro validis, & legitimis habeantur. Et tales tutores possint, & valeant administrare tutelas, iuribus aliquibus communibus, vel specialibus quibuscunque in contrarium non obstantibus. Et quòd statutum etiam habeat locum in matre & auia, volentibus tutelam recipere, licet in testamento datæ non essent.

*Quòd debitor & creditor pupilli possit esse tutor testamentarius.*

DEBITOR, & etiam creditor pupilli possit esse tutor testamentarius ipsius pupilli debitoris vel creditoris: nec propterea se valeat excusare, teneatur tamē, antequam se immisceat administrationi tutelæ, manifestare creditum suum, vel debitum in præsentia aliquorum ex proximioribus pupilli. Et nihilominus, etiam postea debeat illud inserere in repertorio vel inuentario quod faciet: aliàs cecidisse intelligatur a iure sui crediti.

*Quòd tutor seu curator possit compelli ad rationem; durante tutela & cura.*

QVILIBET tutor, seu curator, possit compelli ad exhibitionem librorum & rationis, seu ad rationem reddendam, durante tutela, & cura de rebus minorum, vbi iudici equum videbitur expedire pro vtilitate minorum, ad instantiam proximiorum dicti minoris volentium suscipere onus, & facere ea ad quæ tenentur de iure.

*De mercedibus laboratorum.*

ITEM statutum est quòd de mercedibus baylarum, famulorum, vel famularum, laboratorum, vel laborantium, seu quarumlibet artistarum mechanicarum, non possit agi, nec peti, nisi infra duos annos post finitum eorum officium, vel exercitium, aut laborerium petierit. Et quòd post ipsos duos annos non audiatur. Idem intelligatur in mercedibus laborantium cum bobus.

*Ad quos debeat appellari a sententijs latis.*

ITEM statutum est quòd aliquis de Nouaria, vel iurisdictione Nouarię, vel aliunde, litigans & appellare volens in ciuitate Nouarię, ab aliqua sententia lata per dominum potestatem vel eius assessores, vel per consules, nō possint appellare nisi ad prælibatum dominū nostrū

*De possessionibus occupatis.*

ITEM statutum est quòd si aliquis rem suam ab aliquo alio possessam, sua propria auctorita

te

te inuaserit, de ipsa possessione occupata reijciatur inuasor: & restituatur possessor spoliatus, vel expulsus Et si fuerit res aliena, teneatur inuasor ad restitutionem possessionis expulso vel spoliato: & ad restitutionẽ medietatis extimationis ipsius rei inuasæ: & in vtroq; ad restitutionem fructuum, & expensarum facien. spoliato & expulso: & in libris vigintiquinque imperialium dandis communi Nouarię alienæ rei condemnetur inuasor. Et potestas & consules possint, & debeant de prædictis cognoscere breuiter, & summariè, & sine strepitu, & figura iudicij: & reintegrare spoliatos per quascunque manus possessio ambulauerit. Statuto quod loquitur, de causis pecuniarijs, vt potestas non se intromittet, & alijs statutis in contrarium non obstantibus.

## *De possessionibus turbatis.*

ITEM statutum est quòd si aliqua persona ingressa fuerit aliquam possessionem, domum, vel rem immobilem, ab alio possessam, & turbauerit possessorem in eius possessione, puniatur in libris quindecim imperialiũ applicandis cõmuni Nouariæ. Et nihilominus turbans condemnetur ad non turbandum possessorem, & in fructibus quos perceperit talis turbans, ac in restitutione damnorum, & expẽsarum; & de prędictis possint potestas, & consules, ac debeant cognoscere & terminare summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, non obstantibus aliquibus statutis in contrarium disponentibus.

## *Ne quis non subditus, sine licentia potestatis, & parte non citata, intret possessionem alicuius subditi.*

ITEM statutum est quòd si aliquis non subditus communis Nouariæ intrabit absque auctoritate domini potestatis, vel eius vicarij, & absque auctoritate consulis iusticię Nouariæ, & parte altera legitimè non citata, in possessione, vel tenuta alicuius subditi communis Nouariæ, vel quam teneat aliquis subditus communis Nouarię, quòd potestas, & sui iudices, & commune Nouarię, etiam populo, si opus fuerit, conuocato, teneantur, & debeant totis viribus illum suum subditum reducere, & restituere & reductum, & restitutum tenere in dictam possessionem, & defendere expensis communis Nouariæ, vsq; ad cognitam & diffinitam rationem inter partes. Et hoc sub pœna & banno librarum quinquaginta imperialiũ, dicto domino potestati de suo salario pro quolibet & qualibet vice ipso iure applican. pro medietate communi Nouariæ, & pro alia medietate subdito inquietato. Et vltra hoc dicto subdito teneatur, nec inde absolutionem possit petere, vel habere potestas; Et syndicatores, qui essent ad syndicandum potestatem, sub pœna simili teneantur ad condemnandum de prædictis potestatem, qui neglexerit, vel effectualiter non fecerit prædicta, & similiter dominus potestas præsens, & futuri, teneantur & debeant procedere contra omnes personas quæ darent vel dedissent consilium, auxilium, vel fauorem non subdito ad committendum prædicta, & eas condemnare versus cõmune Nouarię in libris vigintiquinq; imperialium pro quolibet & qualibet vice.

## *De possessione non danda, nisi citato legitimo possessore.*

STATVTVM est quòd aliqua possessio quæ daretur non citato legitimo possessore, qui possidet, non valeat, nec teneat ipso iure. Et consul teneatur, sub pœna librarum decem imperialium, dictam possessionem sic datam retractare, cassare, & irritare, & pronuntiare, cassam & irritam, & condemnare illum qui sibi fecerit assignari talem possessionem in omnibus expensis possessori restituendis, sub eadem pœna: citatio dicatur legitima quæ fit per tres terminos per interuallum vnius diei pro quolibet termino. Et idem intelligatur in potestate, & in quolibet eius assessore.

## *Quòd quæstiones de possessionibus occupatis non committantur, extra Nouariam, inuitis partibus.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd quęstiones de possessionibus occupatis, quę in curia domini potestatis, seu coram dominis consulibus iustitiæ Nouariæ ciuiliter imposterum ventilabuntur, non possint, quantæcunque extimationis extiterint, vel valoris, committi extra ciuitatem Nouarię, partibus non consentientibus, non obstantibus aliquibus iuribus, & non obstantibus aliquibus statutis loquentibus in contrariũ. Et idẽ sit, & obseruetur de quæstionibus ciuiliter mouẽdis pro possessione turbata.

*Vt liceat appellare in possessorio.*

Item statutum est, vt liceat vnicuique appellare a sententia lata in iudicio possessorio, seu in causa possessionis.

*De auctoritate præstanda a consulibus curatoribus constituendis.*

Item omnibus in meo consulatu petentibus tutorem vel curatorem, auctoritatem, interpositionē, decreti arrogationē, adoptionē & manumissionem, donationum insinuationes, & in integrum restitutiones dabo bona fide.

*De emancipationibus publicè notis fiendis.*

Si quis filium suū emācipauerit, vel filiū filij sui, infra vnum mensem post emancipationem faciat publicè denuntiari in concione, vel per præconem communis præconizare publicè per ciuitatem; publicè intelligamus esse factum, si ad minus in quatuor plateis fuerit per preconem denuntiatum; & si non fecerit, emancipatio non teneat in præiudicium aliorū, sed in præiudicium patris emancipantis, & filij emancipati teneat, vt esset præconizata, & aduersus patrem & filium teneat iure communi.

*De emancipationibus, adoptionibus, manumissionibus firmis tenendis.*

Item emancipationes, arrogationes, & adoptiones, & manumissiones, & donationum insinuationes, apud vtranque consolariam & potestates factas legitimè in toto meo consulatu ratas & firmas habebo.

*Quòd minores decemocto annis non possint emancipari.*

Item statutum est quòd nullus de Nouaria, & iurisdictione Nouariæ possit emancipare filios suos, vel alios descendentes, nisi filius, vel descendens habuerit decemocto annos, & qui aliter emancipauerit, non teneat emancipatio, & nullius momenti sit, nisi in præiudicium emancipantis & emancipati.

*Quòd quis maior habeatur post decem octo annos.*

Item statutum est quòd tam masculus quàm fœmina intelligatur, & sit citatus legitimè, & habere ætatem legitimam, ex quo habuerit ætatem decemocto annorum completam,

*De assignatione facta filio emancipato, qualiter non præiudicet creditoribus.*

Si quis habens creditorem: vel creditores. & filium vel ablaticum suum emancipauerit, &
ei assignationem bonorum suorum in toto vel in parte fecerit, non obstante assignatione
illa, perinde possint creditores, qui contraxerant cum patre ante emancipationem, & as-
signationem, ad bona illa congredi ac si assignatio facta nō esset, nec possit ei obijci quòd
congrediatur primo. Et si filij, vel ablatici postquàm emancipati fuerint, & pater, seu auus
simul habitauerint, vel in eodem sedimine omnia habuerint ipsi filij vel ablatici, præsumā
tur esse patris vel aui. Si aliqui filii vel ablatici de extra ciuitatem Nouariæ, vel suburbia
post emancipationē venerint ad habitādū in ciuitate Nouariæ, vel suburbia, vel ad aliū lo
cū per omnia acquisita per ipsos filios vel ablaticos, vel quæ habēt & hauerint infra annū a
tēpore quo recesserint a patre vel auo, & iuerint habitare in Nouaria, vel suburbijs seu aliū
locū presumantur esse acquisita de bonis patris vel aui, nisi cōtrariū probetur. Et idē si iue
rit de ciuitate ad villā. Et heæ presūptiones intelligātur quātū ad creditores patris vel aui.

*De bonis acquisitis a fratribus, patruo, & nepote, vel consanguineis germanis simul habitantibus.*

Item statutum est; quòd si duo fratres ex eodē patre, vel plures vel patruus, vel nepos ex
eodem patre descendētes, insimul habitauerint ad vnum panē, & ad vnū vinū, & pro maio
re parte temporis bonorū diuisione nō facta, in toto, vel pro maiori parte, & vnus vel plu
res ex eis aliquid acquisiuerit, sit & esse præsumatur cōmune, licet alter ex ipsis ex acquisito
nō fuerit nominatus. Et idē intelligatur in cōsanguineis germanis, ex duobus fratribus ex
parte eiusdem patris cōiunctis insimul habitātibus, hoc modo, quòd in patruo & nepoti-
bus intelligatur quòd plures nepotes scilicet filij fratris loco patris pro vno pede debeāt
computari. Et idem de consanguineis germanis, nisi ex causa dotis, vel ex causa dotationis,
vel legati, vel hereditate per aliquē ex eis probetur acquisitū esse factum. Si vero diuisio

erat

erat facta inter ipsos fratres patruum, & nepotes, vel consanguineos germanos, dicta præsumptio vel statutum locum non habeat.

*De alienationibus non faciendis à decem libris supra, nisi cum certa forma.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd aliquod datum quod ascendat vsque ad decem libras imperialium, & a decem libris supra de re immobili solo cohiti non fiat, nisi fuerit factum in præsentia trium consulum iustitię Nouarię, & cum auctoritate ipsorum dominorum consulum, & pręconizatum clara & alta voce publicè ad lapidem broreti communis, seu ad pilonum Arengherię dicti broreti, sono tubę pręmisso, & intra mediam tertiam, & tertiam, aut inter octauas, & vesperas, & non alijs horis, vt a multis possit audiri. Et dicta præconizatio fiat in pręsentia quatuor testium vocatorum, & rogatorum & si aliter factum fuerit non valeat, nec teneat ipso iure. Eodem modo si datum factum fuerit in ciuitate Nouariæ, vel suburbijs, vel alibi in pluribus instrumentis factis eodem modo, de eadem, sine pręsentia consulum, vt supra dictum est, & præter prædictam formam, pręsumatur factum in fraudem huius statuti, & non valeat nec teneat ipso iure. Licet quodlibet instrumentum sit minoris quantitatis suprascriptæ. Et istud statutum non vendicet sibi locum in liurationibus & dationibus insolutum, quæ fiunt per consules iustitiæ Nouariæ. Qui consules pro eorum auctoritate possint percipere, si fuerit factum instrumentum in palatio denarios sex, si extra palatium denarios duodecim, & non vltra. Et in burgis denarios decemocto.

*De prohibita alienatione in non subditum.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd omne datum, siue alienatio, siue cessio rei alicuius, vel iuris, vel translatio possessionis, vel dominij, vel quasi, per aliquem de Nouaria, vel iurisdictione Nouarię qualitercunque facta hinc retro, vel amodo facienda, titulo diuisionis, vel donationis, vel permutationis, vel aliquo alio titulo, seu causa, vel modo, quę dici vel excogitari possit, in aliquam personam, corpus, vel collegium, quæ, vel quod non sit supposita, vel suppositum, potestati vel consulibus Nouariæ: vel non faciat rationem per potestatem, vel consules Nouariæ, aliqua exceptione non prerogatura, non valeat illud datum siue alienatio, siue datio, vel diuisio, vel permutatio, siue cessio, siue possessionis translatio. Et sit ipso iure nulla, ac si factum vel facta non sit, & nullius valoris sit, & momenti, nisi de prædictis paratus sit iusticiā facere, & iusticiā fecerit creditoribus illius, qui fecerit, vel fecit datū, vel alienationē, siue possessionis translationem, & omnibus alijs qui voluerint petere res illas, vel possessiones, etiam si per plures manus ambulauerint, & omnibus alijs personis, quę dixerint se ius habere in rebus illis. Ita quòd illa persona, corpus, & collegium non possit se tueri, vel obijcere aliquam exceptionem iuris, vel facti; nisi viginti annorum. Quod si facere noluerit iustitiam de supradictis omnibus & singulis supradictorum, in omnibus & per omnia prout supradictum est; Consules seu extimatores teneantur res illas dare insolutum creditoribus, vel translationem possessionis fieri facere illi vel illis, qui datum vel possessionem petierint ipsas res per personalem actionem, vel quocunque alio iure, & ipsos in possessione tueri. Et hoc infra mensem, postquàm denuntiatum fuerit: & possessiones prædictæ, res, & iura sint obnoxiata, & supposita, & obligata omni tempore cōmuni Nouarię pro fodris, & omnibus alijs scuffijs & oneribus. Ac si per suppositum potestati & communi Nouarię, & consulibus iustitiæ Nouarię possiderentur & tenerentur. Et potestas teneatur exigere fodra, & scuffias, & onera de ipsis terris, & rebus, de possessione ipsarum sicut a subiecto communis Nouariæ tenerentur, & possiderentur, vel quasi. Et si illa persona, vel collegium, in quam translatio facta fuerit de prædictis rebus & iuribus, vel aliqua ipsarum noluerit facere iustitiā consulibus iusticiæ cuicunque conquerenti de eo, a beneficijs statuti communis Nouarię, tam circa camparios, & composturas quàm circa alia sint expertes, & eis non vtentur, & eis penitus denegentur, & sit precisum. Et quòd alienatio facta propter hoc non videatur approbata, nisi sit derogatum per formam huius statuti alijs statutis in pœnis impositis contrafacientibus. Quod statutum non vendicet sibi locum in alienationibus factis Illustrissimo Domino nostro, si fuerint agnati, cognati, vel affines vsque ad secundum gradum, de iure canonico computandum.

*De dotibus mulierum vt super ipsis, nisi legitimè probauerint, non credatur.*

MVLIERIBVSQVE hinc inantea nō credatur, nec sacramentum super earum dotibus detur, nisi probauerint per instrumentum publicum, vel per testes.

*Ne mulieres in ypothecis præferantur creditoribus tempore prioribus.*

IN ypothecis,& pignoribus, non preferam mulieres creditoribus tempore prioribus: nec his potiora iura sibi vendicare concedam: sed præferam creditores quibus res primo loco fuerint obligatæ, siue suppositæ omnimodo mulieribus. Excepto in rebus illis, quæ probabuntur portare a muliere, & quæ estant. Et hec lex obtineat tam in præteritis quàm in futuris obligationibus. Et hec consuetudo, & aliæ consuetudines per consules, siue per potestatem olim introductæ, tantùm locum habeant, & obseruentur inter homines ciuitatis Nouariæ,& iurisdictionis eius, & qui soluunt fodrum communi Nouarię.Sed contra nō soluentes fodrum communi Nouariæ, bene obseruetur in eorum prçiudicium, sed non in eorum fauorem.

*De medietate dotis remanente marito lucratiua.*

SI aliqua mulier, postquàm per virum transducta fuerit, siue postquàm iuerit ad maritū,decesserit viuēte marito,sine liberis ex ea & ipso procreatis.Quòd ipse maritus lucretur medietatē dotis ipsius vxoris sine aliquo onere.Et hoc siue ipsa dos sit realiter vel manualiter data,vel sit dos confessata.Et similiter lucretur medietatē dotis promissæ. Et predicta locum habeant in viro & vxore oriundis de ciuitate, vel districtu Nouariæ .Si verò mulier oriunda fuerit aliunde, tunc maritus superuiuens lucretur totam dotem sine aliquo onere.

*Quòd dotes mulierum exigi possint ab obligatis, tam per detentionem personalem quàm per exequutionem realem.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd mulieres,& habentes causam ab eis,per se, vel procuratorem,vnū vel plures.elapso anno a morte mariti,vel ante in casibus,in quibus exactio dotis a iure permittitur, possint exigere dotes suas ab obligatione ad restitutionem dotū, perinde ac si dicti obligati essent condemnati versus ipsas mulieres, vel habentes causam ab eis tam per detentionem personalē,quàm per exequutionem realem. Et hoc locum habeat tam in dotibus præteritis quàm in futuris, & etiam de quibus lis penderet. Et processus factus super petitione dotium habeant effectum,tam pro actore quàm pro reo,perinde ac si dicti processus facti essent coram iudice,corā quo fiet detentio vel exequutio,ad ipsam exequutionem, vel detentionem adiuuandam,vel impugnandam.

*Quòd possit fieri compensatio mulieribus de quibuscunque bonis quæ illicitè habuissent ab eorum maritis.*

ITEM quòd mulieri,vel alteri habenti causam ab ea exigendi dotem, possit obbiici compensatio de quibuscunque bonis, quæ ipsa mulier illicitè habuisset, aut teneret de bonis quōdam eius mariti, seu heredes,vel heredum ipsius mariti, vsque ad valorem ipsorum bonorum, non obstante quòd dos consisteret in pecunia,& bona de quibus obiiceretur,cōpensatio essent in speciebus,nisi ipsa mulier,vel habens causam ab ea, ipsa bona personæ a qua petitur ipsa dos,seu contra quem fieret detentio,seu executio pro ipsa dote,restitueret infra tres dies postquàm constiterit ipsam mulierem habuisse ipsa bona: post quos tres dies stetur sacramento eius a quo,seu quibus,peteretur ipsa dos,seu contra quem,vel quos requireretur detentio, vel executio pro ipsa dote, de valore ipsorum bonorum. Taxatione tamē ante ipsum sacramentum per iudicem, coram quo prędicta ventilabuntur,fienda.

*De satisdatione præstanda per maritum procuratorē vxoris, & executione contra eum fienda, & rebus mulierum per sacramentum consignan.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd quilibet maritus, qui in causa, vel causis præsentibus,vel futuris,fuerit procurator vxoris suę, teneatur & debeat satisdare de iudicato soluendo,siue agat nomine vxoris,siue defendat,& si ipsam satisdationē non prestiterit nō admittatur,& contra ipsum maritum procuratorē possit & debeat fieri executio eius quod iudicatū esset,perinde ac si ipse maritus esset condemnatus & cōdemnationis terminus trāsiuisset, & si alius qui non esset maritus fuerit procurator alicuius mulieris maritatę vel nō maritatę ipsā satisdationē prçstare nō teneatur:tamen maritus ipsius mulieris,& etiā ipsa mulier si sit maritata,siue non,eorū iuramento cogi & cōpelli debeāt per quēlibet iusdicentem ad consignandū bona ipsius mulieris,si aliqua executio in bonis ipsius mulieris fuerit facienda,non obstante statuto loquente quòd procurator satisdare non teneantur.

Ne

*Ne matres vel auiæ, existentibus agnati, succedant ab intestato.*

NON concedam matrem peruenire ad successionem bonorum paternorum, filiorum, seu filiarum, ablaticorum seu ablaticarum intestatorũ vel intestatarum. Si parẽtes paterni masculi fuerint vsque ad quartum gradum, secundum ius canonicum computandũ. Sed ipsi parentes succedant in ipsis bonis paternis, & teneatur dare matri de centonario vsq; ad quingẽtas libras, tantùm decem imperialium pro centonario ipsorum bonorum paternorum: & sic pro parte declarando, quòd intestatus sit, & intelligatur vnusquisque qui decesserit vel decedet etiam in minori ætate ante annum duodecimum in muliere, & ante quartumdecimum in masculo. & quòd etiam vnusquisque qui decessisset in præteritum, vel mori contingeret in futurum in minori qualibet ętate, & cui delata esset, vel fuisset aliqua hęreditas, sit & intelligatur adita, seu apprehẽsa, etiã sine tutoris, vel curatoris auctoritate, Ita quòd transmissa sit, & intelligatur, & transmittatur ad successores dicti minoris sic morientis, vel mortui venientis, ad eius successionẽ ab intestato: dummodo talis hæreditas non fuisset repudiata, & prædicta omnia, & quodlibet prædictorum habeant, & habere debeant locum & effectum in quibuscunque casibus, & causis, litibus, controuersijs, & quęstionibus prædictis pendentibus, præsentibus, & futuris. Et quòd sic debeat inuiolabiliter obseruari.

*Quòd agnati præferantur cognatis in successione.*

ITEM statuimus quod parentes paterni præferantur parentibus cõiunctis ex parte matris, vsque ad quintum gradum, secundum ius canonicum computandum. Saluo eo quòd dictum est de matre.

*Quòd non possit agi re debitoria, vel quanto minoris, nisi in aliquibus casibus.*

SI homo Nouariæ, vel iurisdictionis Nouarię vendiderit alicui equum vel equam: vel econuerso, aliquis forẽsis vendiderit alicui de iurisdictione Nouariæ, equũ vel equam, non possit rediberi, nec agi quanto minoris, nisi probauerit tẽpore venditionis esse orbũ amborum oculorum, vel habere cõmorbiũ, vel esse derenatũ, vel habere carolum. Et idẽ de bobus, vachis, ouibus, castronis, motonibus, & capris. Dũmodo de prędictis omnibus & singulis fiat querela infra duos menses, computandos a tempore alienationis. Et quòd querela non exposita, seu denuntiatione non facta infra duos menses, a tẽpore alienationis, nõ possit fieri redibitio nec agi quãto minoris. Et quòd facta quærela, vt supra, credatur duobus vel a duobus supra expertis: vtrum ille morbus esset ante ipsam venditionem, vel postea fuerit. Et quòd de præmissis causis & questionibus possit summariè & de plano sine strepitu & figura iudicij, cognosci, decidi, & terminari: non obstantibus alijs in contrarium disponentibus.

*Vt actio per alium acquiratur.*

ITEM statutum est, vt in omnibus casibus, & contractibus non inhonestis, actio per procuratorem acquiratur.

*De eodem.*

ITEM dicimus, si quis alterius nomine stipuletur, dum tamen dominus ratum habeat, & in omnibus casibus, contractibus, obligationibus, & quasi, & in confessionibus, & liberationibus, actio, exceptio, & ius acquiratur.

*De modo & ordine eligendi Consules, extimatores, & notarios eorum.*

IN primis statuerunt & ordinauerunt, quòd de cetero officia consulatus, extimatorum, & notariorum extimatorum, nullatenus incantentur: sed eligantur personę sufficientes, & discretę & idonę, hoc modo, videlicet, quòd per pręsidẽtes negocijs cõmunis Nouarię, qui vocãtur de cõsilio priuato, eligãtur octo personæ bonæ cõditionis, vocis, & famę, quæ octo cũ eorũ iuramento, per eas præstando in manu domini potestatis, de eligendo personas sufficientes, & iustas secundũ eorũ cõscientias, habeant arbitriũ, & bayliã eligendi personas ad officia suprascripta, hoc modo, videlicet, quòd eligant quadragintaocto personas, quę sint ciues Nouarię originarij, ætatis ad minus annorũ triginta sex, & nõ exerceãt artẽ prohibitã per statuta cõmunis Nouariæ, & quòd sustineãt onera cũ cõmuni Nouariæ. Qui omnes quadraginta octo debeãt poni in vna bussola, & de ea extrahãtur ad sortes per deputatos cõsilio



ar. p. hoc stat. agnati maiores excludant c. aras fem. ... 15 ... 12 ...

priuato octo ex eis, qui sint consules per sex menses, inchoando in Calendis Ianuarii. Et quorum nomina cùm fuerint extracta a dicta bussola, ponantur in alia bussola, & in fine sex mensiũ, & ante per tres dies extrahantur alij octo, qui durent per alios sex menses, & non vltra. Qui cùm fuerint extracti compellantur, per omnia iuris remedia, acceptare officium. & iurare prout in forma iuramenti consulum continetur. Et qui fuerint semel extracti non possint esse consules, nisi finita fuerint omnia nomina de bussola extrahendorum, & reiteretur, vtsupra. Saluo quòd loco mortuorum, per octo eligendos, vtsupra, per consilium eligantur tot qui supplere habeant numerum mortuorum, & non plures, nisi fuerit de voluntate consilij generalis, vel maioris partis, quòd de nouo eligerentur alij quadraginta octo. Simili modo per suprascriptos octo electos per consilium priuatum, vtsupra, eligãtur sexdecim boni viri, bonæ opinionis & famæ, ętatis annorum vigintiquinque & qui non sint prohibiti per statuta, & reponantur in vna bussola, & de ea extrahantur quatuor extimatores consulum, quorum officium duret per sex menses, inchoandos & finiendos, vtsupra de consulibus dictum est. Et similiter eligantur octo notarij extimatorum in vna bussola, & ex ea extrahãtur duo singulis sex mensibus, quãdo extrahuntur consules: qui sint notarij bonę opinionis & famę, ætatis, ad minus annorũ viginti: & quòd statim cũ dicti extimatores & notarij fuerint extracti debeant iurare de eorũ officiũ fideliter exercendo, & quòd nõ accipiẽt salaria, nisi per cõmune Nouarię, eis deputata. Et quòd quicquid per dictos octo electos per consilium priuatum factum fuerit in electione prædictorum officialium, sit ratum, & firmum auctoritate præsentium statutorum. Et vlterius quòd per illos de consilio priuato eligantur sex personæ sufficientes, & idoneę, quæ ponantur in vna bussola, & extrahatur vnus singulis sex mensibus, qui sit massarius dominorum consulum, qui debeant iurare de eius officium fideliter exercendo, & quòd reddet rationem de datis & receptis occasione eius officij. Hoc addito, quòd singulis sex mensibus non possint esse consules extimatores, & notarij extimatorum, nisi vnus de qualibet parentela. Et si contingeret plures extrahi de vna parentela, primus qui extrahetur sit consul, vel extimator, & alius reponatur pro alia vice, si venerit extra bussolam. Et idem seruetur in notarijs, si plures fuerint imbussolati de vna parentela.

### *De iuramento Consulum.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd consules cùm fuerint electi, vtsupra in pręcedenti statuto continetur, statim, antequam exerceant officium, teneantur, & astringi possint per omnia iuris remedia per dominum potestatem, ad iurandum quòd debitis horis iuridicis, & diebus quibus ius reddi solet, se præsentabunt in palatio communis Nouariæ, nisi fuerint iusto impedimento impediti, si fuerint in ciuitate vel suburbijs Nouariæ, & quòd se non absentabunt a Nouaria, vel suburbijs, nisi de licentia quatuor consulum causa pernoctandi extra ciuitatem, vel burgos. Et quòd ascendent bancha deputata consulibus, pro iure reddendo horis debitis de mane, & in octauis: & quòd iusticiam vnicuique ministrabunt, sine personarum acceptatione, & quòd non tractabunt aliquid contra commune Nouariæ: quodquè in auctoritatibus, per eos interponendis, oculo discretionis, & circumspectionis adhibito, illas interponent bona fide, & sine fraude. Et quòd erunt contenti salario ipsis statuto & ordinato per statuta Nouariæ, vel prouisiones, & quòd consilia dabunt petentibus, & reliqua facient ad eorum officia spectantia, bona fide, & sine fraude.

### *De naturalibus, & artistis ad officium, consulatus non admittendis.*

ITEM statutum est quòd aliquis naturalis, seu bastardus, communi opinione, vel artista, cõsul iustitiæ Nouarię esse non possit. Artista dicatur fornarius, caligarius, ferrarius, carpentarius, tabernarius, lanarius, textor, faber, marzauolus, formagarius, oliarius, fenestrarius, vel alius reuenditor. Exceptis reuenditoribus pannorum de coloribus, & specierum. Salua voluntate prælibati Illustrissimi Domini Domini nostri Francisci Sforciæ Ducis Mediolani &c.

### *Ne consules sint aduocati, vel procuratores, pro extraneis.*

IN questionibus, vel causis, vertentibus coram aliquo iusdicente, aliquis consul iustitiæ Nouariæ aduocatus, vel procurator esse non possit, durante officio sui consulatus, nisi in eius causa propria, vel eorum ascendentium, vel descendentium, vel fratris, vel soceri, vel generi eius: vel patrui, aut in causa illius, & illorum, quorum sunt tutores, vel curatores, vel in causa

causa communis Nouariæ pro dicto communi.

*Quòd aliquis notarius consulum, vel seruitores communis, non possint esse procuratores coram consulibus.*

ITEM quòd aliquis notarius consulis iusticiæ Nouariæ non possit esse procurator, nec procurare in causa alicuius coram consulibus iusticiæ Nouariæ, excepta causa sua propria, vel fratris eius, quo casu non possint causam suam, vel fratris agitare ad bãchum vbi fuerit notarius, nec aliquod aliud officium exercere coram consulibus, & de his quę ad officium consulum pertinent, vel sint coram eis, siue sit officium exactionis, siue extimationis, vel massarij, vel aliquod officium, quocunque nomine censeatur. Et idem intelligatur de notarijs domini potestatis, tam ad tribunal ciuilium, quàm damnorum datorũ. Et qui contrafecerit condemnetur, & puniatur pro quolibet, & qualibet vice in soldis centum imperialium. Et nihilominus quicquid egerint in contrarium sit irritum ipso iure, & quilibet possit accusare: Et medietas pœnæ sit accusatoris & alia communis Nouarię. Et prædictis potestas ex suo officio inquirere & procedere teneatur. Et quòd seruitores coram potestate vel cõsulibus iustitię Nouarię nõ possint etiã esse procuratores sub pœna prędicta.

*Quòd notarij Consulum in causa patris acta non scribant.*

ITEM statutum est quòd aliquis notarius consulum, in causa patris propria, vel quasi propria, in qua sit pater aduocatus, vel procurator, tutor, curator, actor, vel syndicus, illę causę aliqua acta vel sententias scribere non possit, nec debeat. Et idem sit in notarijs domini potestatis, & etiam cuiuscunque delegati: & secus faiens condemnetur & puniatur in soldis decem imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et si oppositum fuerit per partem ante sententiam, vel in causa apellationis post sententiam, non valeant nec teneant illa acta, & pro nihilo habeantur. Et consul, coram quo hoc fuerit oppositũ, & dominus potestas eiusq; vicarius, si causa sit coram eo, dictam sententiam, & acta declarare debeant nullius esse valoris & momenti, & pro nullis debeant haberi.

*Quòd consules iustitiæ possint agere, & conueniri coram alijs consulibus.*

ITEM statuerunt; & ordinauerunt quòd consules iustitiæ Nouariæ, non obstantibus officijs consulatus, possint agere, & conueniri coram consulibus, & alijs socijs suis.

*De modo tenendo per seruitores in ambassiatis.*

ITEM statutum est quòd quilibet seruitor quamlibet ambasiatam sibi impositam per seipsum, & non per alium, faciat. Et si quis seruitor contra prædicta fecerit, det pro banno pro qualibet vice soldos decem imperialium, & quando ambasiata imponatur de requirẽdo aliquo, scribatur sub quo consule debeat venire, & pro quo, & quo die certa, & scriptura illa portetur, & detur requisito seu familiæ, & ponatur in libro ambasiatarum, quòd scriptura data est seruitori, & in redditione ambasiatę, aliter prædicta ambasiata non valeat, nec teneat.

*De auctoritate præstanda consulibus, tutoribus, curatoribus, & arrogationibus constituenda.*

ITEM omnibus, in meo consulatu, a me petentibus tutorem, vel curatorem, auctoritatem, interpositionem decreti, arrogationem, adoptionem, & manumissionem, donationem, insinuationem, & restitutiones in integrum, dabo bona fide.

*De salario auctoritatum consulum.*

ITEM statutum est quòd consules iusticię Nouarię, de & pro auctoritatibus, quas pręstabunt in broreto communis Nouariæ, siue ad banchum iuris, siue alibi in dicto broreto, possint habere, & accipere pro quolibet & qualibet auctoritate imperiales sex. Et extra broretum, per ciuitatem tamen Nouarię, imperiales duodecim, & extra ciuitatem, in burgis, & suburbijs, seu curia Nouariæ imperiales duodecim, & extra curiam habeant in districtu Nouariæ soldos octo imperialium, vltra esculenta, & poculenta, & vltra percipere & accipere non possint sub pœna periurij: non obstantibus alijs statutis in contrarium loquentibus. Saluo quòd de emancipationibus possint etiam in palatio capere soldos duos imperialium.

*De consignatione denariorum & pignorum massario facienda.*

NON recipiam pignora, nec denarios extimationum condemnationum, sed faciam omnia dari & consignari massario.

*Vt Consules non venientes ad officium non habeant partem lucri.*

SI quis ex consulibus iustitię Nouariæ steterit quòd non venerit ad officium suum, pro illo tempore quo non steterit ad dictum officium, non habeat partem de eo quod lucratum fuerit occasione dicti officij, & in ipso officio per alios eius socios consules, nisi fuerit de voluntate, consensu, & parabola aliorum omnium sociorum.

*De acchato non faciendo a Consulibus.*

POST electionem mei consulatus, acchatum nō faciam scienter, occasione mei cōsulatus.

*De honore consulatus manutenendo.*

BONA fide operam dabo, & studebo manutenere statum, & honorem consulatus iusticiæ Nouariæ, de hijs omnibus, de quibus consules communis vel potestates Nouarię erunt consentanei cum consulibus iusticiæ Nouariæ.

*De iniuria Consulibus dicta.*

SI quis verba iniuriosa dixerit alicui consuli, sedenti ad banchum pro iure reddendo, componat pro banno, & pœna libras decem imperialium: si verò dixerit in palatio, non sedenti ad banchum, libras quinque imperialium: si verò dixerit extra palatium, exercendo officium consulatus, soldos sexaginta imperialium: quę pœna exigatur sine alio processu, applican. pro medietate iniuriam passo, & pro alia medietate communi Nouariæ. Saluo quòd liceat vnicuique dicere, Tu facis mihi tortum, vel iniustitiam.

*De furto non faciendo de re communis.*

DE re communis non faciam furtum, nec facienti consentiam, & si sciuero esse factum manifestabo palam in consilio, vel a rēgo, nisi fuerit redditum infra octo dies, postquā sciuero.

*De officio non omittendo per consules, nisi vocatos vel iustè impeditos.*

OFFICIVM causarum non dimittam, causa eundi ad potestatem communis, nisi cùm fuero vocatus a consulibus, vel a consule, vel a potestate, vel suo vicario, vel nisi ibo pro aliqua vtilitate communis Nouarię facienda, dicenda, siue fienda: vel nisi forte cùm pro meo negocio, vel amici mei tractabo, ad potestatem Nouariæ ibo.

*De statutis iusticiæ singulis tribus mensibus legendis per consules.*

ITEM quilibet consulum teneatur legere, vel legi facere statutum iusticiæ, Ita quòd audiatur, singulis tribus mensibus.

*De obseruandis capitulis statutorum communis Nouariæ.*

TENEANTVR consules iustitiæ attendere, & obseruare omnia capitula contenta in statuto communis Nouariæ, super quo iurant consules communis, siue potestas, quę pertinent ad iustitiam, & si contrarietas fuerit in capitulo, siue capitulis, siue his statutis, a prædictis statutis communis Nouarię, teneantur obseruare capitulum, & capitula statuti prædicti communis.

*De equali iusticia non subdito reddenda, & satisdatione ab eo eo præstanda, ac pœna contrafacientium imponenda.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & in sententijs interlocutorijs, vel diffinitiuis, & in processibus, & executionibus, & appellationibus, & generaliter in quocunque processu ordinario, vel extraordinario, vel etiam ex officio, tale ius reddatur, & reddi debeat vnicuique non subdito communi Nouariæ, vel qui non soluat fodrum communis Nouariæ, vel qui non teneatur subire omnia onera cum communi Nouarię, quale redditur supposito iurisdictioni domini potestatis Nouarię, & qui est de foro ipsius domini potestatis, & qui per potestatem Nouarię potest compelli subire omnia onera cum communi Nouariæ, a iudice ipsius agentis vel offensi, si ibi esset causa, vel lis, seu quæstio, dum tamen faciat seu præstet securitatem competentem de iudicio sisti, & de

de restituendos expensas, si contingat ipsum non subditum subcumbere per interlocutoriam vel difinitiuam sententiam, & de se defendendo in causa conuentionis, & iudicatum solui, cum suis clausulis in ciuitate vel districtu Nouariæ. Si contrafecerit, vel prædicta non obseruauerit, & eidem denuntiatum, & ostēsum præsens statutum, iusdicens condemnetur in libris centum imperialium, dandis & soluendis communi Nouarię, & ad restituen. dam nū, & interesse damnum passo. Et saluo, quòd si statuta, vel consuetudines, vel iura communis Nouariæ essent meliora pro subdito, quòd illa debeant obseruari. Et quòd processus, & sententię aliter factę, & latæ ipso iure non valeant, nec teneant in præiuditium subditi cōmunis Nouarię: sed in fauorem subditi bene valeant.

### *Ne quis iudicum præstet patrocinium alicui, suo consilio condemnato.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd aliquis iudex de collegio iudicum ciuitatis Nouarię non posit nec debeat præstare patrocinium in aliqua causa alicui condemnato suo consilio, per potestatem vel eius assessores, vel alium iusdicentem in causa illa de qua & in qua consilium dedit, & hoc sub pœna soldorum viginti imperialium.

### *De eo qui conuentus in iudicio, dicit se tenere, & possidere nomine alicuius clerici, vel potentis.*

ET quia sępe cōtingit quòd homines petunt suas successiones, suasq; terras, & possessiones, vel sibi obligatas, & possessor in iudicio interrogatus si tenet & posidet, respondet se tenere nomine alicuius potentis, vel clerici. Et aliquando nominat aliquem clericum, tamquā dominum rei in iudicio, vt per hoc effugiat potestatis Nouariæ, & consulum iustitiæ Nouariæ examē, & alienas possessiones & iura per hoc rapiat, & detineat, & aduersarium fatiget in expensis ad litigandum cum clerico, ex quo multa odia procedunt. Statuimus vt si aliquis laicus a laico petierit, & ille qui conuenitur prædicta, vel aliquod prędictorum opposuerit, quòd teneatur stare in iudicio coram potestate & consulibus, & procedi debeat contra ipsum laicum, non obstantibus responsionibus suis, tamquàm contra possessorē per omnia: nisi idem laicus qui conuenitur responderit terram, domum, vel possesionem, quæ petitur ab eo, esse illius clerici quem nominauit: & eam acquisiuisse ante nominationem factam de ipso laico, vel libelli dationem. Et quòd si aliquis nominauerit in iudicio, & docuerit vel ostenderit instrumentum alienationis factę ante libelli dationē de re petita, quòd tunc dominus potestas, & quilibet eius iudex, & consul, coram quo quęstito ventilabitur, debeat dare sacramentum alienatori, & illi & illis in quē & quos alienatio facta erit, quòd iurent ad sancta dei Euangelia, corporaliter tactis scripturis, quòd talis alienatio fuit, & est vera, & non simulata, nec fictitia, nec facta animo fatigandi aduersarium, vel effugiendi iudicium. Quod sacramentū si nō fecerint infra tres dies post dilationē, habeatur talis alienatio pro fictitia, & simulata: & teneantur respondere vtsupra. Et si iuraretur nihilominus posit de fictione & simulatione probari: de qua si probaretur, talis alienans respondere teneatur, Et nihilominus puniantur qui malum sacramentum fecissent in libris viginti quinque imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et in casu quo dictum sacramentū præstetur, libellus postea detur personæ nominatę. Et prędicta nominatio fieri debeat termino respondendi libello, alioquin habeatur pro possessore: & contra eum, tamquàm possessorē, procedatur via ordinaria.

### *Vt nullus subditus communis Nouariæ trahat alium subditum ad alium iudicem vel examen.*

STATVTVM & ordinatum est quòd nullus subditus communis Nouariæ, cuiuscunque conditionis & status existat, audeat, vel pręsumat alium subditum eiusdem cōmunis citare, vel citari facere, vel alio quocunque modo directè vel per obliquum, trahere per se, vel alium, in aliqua causa, lite, vel quæstione & cōtrouersia iam motis, vel mouendis, de quibus sit & esse debet cognitio vel iurisdictio, ordinariè vel extraordinariè, vel quocunque alio modo, domini potestatis Nouariæ, vel assessorū suorum, vel consulum iustitiæ Nouariæ. Et quicunque contrafecerit puniatur pro qualibet vice inquietationis & citationis in libris viginti quinque imperialium dandis & soluendis communi Nouariæ in pecunia numerata, subla ta omni compensatione. Potestas verò & curia sua, sub debito iuramenti, & librarum quinquaginta imperialium, applicandarum communi ipso facto, de salario ipsius domini potesta

testatis pro medietate, & pro alia medietate parti inquietatæ & molestatæ, infra mensem postquàm sibi quoquo modo prædicta innotuerint, vel aliquod prædictorum, teneatur & debeat per sententiam interlocutoriam prædicta declarare: & statim exequi ipso facto, sine aliqua cognitione, & pœnam auferre: idem consules, sub pœna amissionis salarij, & lucri sui consulatus, & insuper soldorum sexaginta imperialium, applican. communi Nouariæ, pro medietate, & alia parti denuntianti, teneantur & debeant infra tres dies, postquàm sibi hæc nota fuerint, denũtiare potestati communis Nouariæ, vel eius vicario ad executionem omnium prædictorum. Si verò non fuerit subditus communis Nouarię, qui sic citauerit, vel citari fecerit, vel alio modo inquietari, vel molestari, vel qualitercunque, vel quomodocũque procedi, subditũ ei de cõmuni, vel contra ipsum: tunc dictus subditus possit, & liceat, & teneatur, & debeat adire potestatem Nouariæ, & eius curiam, & implorare auxilium, & defensionem contra & aduersus omnem molestiam & inquietationem illicitam in prædictis casibus, in parte alia statuti, potestas verò, ad ipsius requisitionem, & denuntiationem, teneatur ipsum defendere, & ab omnibus prædictis molestijs, & inquietationibus eripere, & liberare proprijs expensis communis Nouarię, & hęc facere teneatur ex solo officio sub pœna prędicta, & quodammodo soluenda, vt supra. Et si sibi magis videretur, possit, & debeat, ac teneatur conuocare consilium generale, vel priuatum, & cum eius auctoritate, & licentia procedere ad tutelam & defensionem eiusdem inquietati, vel molestati. Ita quòd omnino ita, & taliter fiat, & procuretur omnibus modis, quibus melius fieri potest quòd liberetur, & eripiatur de viribus alienæ iurisdictionis: quilibet possit accusare cõtrafacientes, & medietas condemnationis sit communis Nouariæ, & alia accusatoris. Saluis citationibus, quæ fierent coram vicarijs & officialibus a Romagnano, Gaudiano, & Arona superius constitutis, de personis in dictis partibus habitantibus, vel quæ ratione contractus conueniri possint ibidem. Itaquòd nullus notarius, vel notarij, nullus seruitor, vel seruitores possint in prædictis aliquam scribere ambasiatam nec facere: nec inde referre, sub pœna prędicta, si contrafactum fuerit contra eos, dictus dominus potestas teneatur procedere quocunque modo, vt supra.

### *Quòd acta non scribantur, vel fiant coram iudice alieno, postquàm oppositum fuerit de incompetentia, & pœnis a contrafacientibus exigendis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd si aliqua persona coram alio iudice, quàm coram do
mino potestate, qui est, vel erit per tempora, seu eius vicario, vel alio eius assessore, vel con-
sule, seu consulibus iusticię Nouariæ, qui sunt, vel erunt per tempora aliqua, scripserit acta
in aliqua causa, lite, questione, seu controuersia, cuius cognitio de iure communi, vel se-
cundum statuta communis Nouarię, esse debeat, vel in cuius simili hactenus esse debuerit,
dicti domini potestatis, seu alterius eius assessoris, vel alicuius dictorum consulum, vel qui
per tempora fuerint, postquàm fuerit oppositum quòd ille iudex, coram quo illa causa,
lis, questio, vel controuersia ventilabitur, est incompetens, vel non debet habere cogni-
tionem de ea, & sciuerit de ipsa oppositione, ipsa persona sic scribens, puniatur pro quo-
libet actu quem scribet in libris vigintiquinque imperialium, & quęlibet persona quę ad-
uocabit, vel procurabit, seu citationem, vel relationẽ faciet in dicta causa, lite, questione,
vel controuersia, postquàm sciuerit de dicta oppositione, pro ea parte contra quam oppo-
neretur dicta exceptio, seu ad instantiam ipsius, vel iudicis coram quo erit, puniatur etiã
pro qualibet vice in libris vigintiquinque imperialium, quas pœnas dominus potestas No-
uarię, qui est, vel erit per tempora, vel eius vicarius, postquàm eis, vel alteri ipsorum fue-
rit denuntiatum, & ostensum præsens statutum, absque vlla condemnatione infra quinque
dies exigere teneantur, per iuris remedia, & debeant communi Nouariæ applicare, sub pœ
na domino potestati florenorum centum, applican. camerę Illustrissimi Domini Domini
nostri Ducis Mediolani &c. & librarum centum imperialium applican. communi Nouarię,
& eius vicario librarum centum applican. prædictæ cameræ & librarum quinquaginta im-
perialium applicandarũ communi Nouarię, & quilibet consul iustitiæ Nouariæ, postquàm
sciuerit aliquid de prædictis, vel audiuerit, teneatur sub vinculo sacramenti, & pœna libra-
rum decem imperialium: notificare infra dies dictos, domino potestati vel eius vicario. Sal
uo quòd si iudex, coram quo ipsa causa, lis, questio, seu cõtrouersia erit, offerat se paratum,
vel pars contra quam opponeretur, committere vni sapienti de collegio iudicum ciuita-
tis Nouariæ, partibus non suspecto, qui cognoscat cuius esse debet dicta cognitio: quòd pro

ipsa

ipsa cōmissione facien.& sententia quæ iuxta formam consilij quod daretur per sapientem commissarium veniret ferenda seu feretur; possit quęlibet persona acta scribere, aduocare & aduocationes, procurationes, citationes, seu relationes, & etiam post ipsam sententiam, si consuletur per dictum sapientem, ipsam cognitionem spectare ad illum iudicem, coram quo prædicta, seu alterum prædictorum ventilabitur, nec ne.

*Vt nulli obstet exceptio quòd non iuerit ad exercitum, vel fodrum, vel taleam, salis non soluerit.*

Item statuerunt & ordinauerunt, quòd non possit in causis, vel in litibus opponi alcui, quòd non iuerit ad exercitum, seu fodrum non soluerit, vel taleam, vel domini, vel salem. Et quòd non obstantibus ipsis exceptionibus, procedatur in istis causis, seu litibus, & obtineat istud statutum, non obstantibus alijs statutis, reformationibus, vel prouisionibus in contrarium loquentibus.

*Vt nullus Nouariensis sit procurator contra commune pro non subdito.*

Item statutum & ordinatum est quòd homines ciuitatis Nouariæ, & districtus non audeant esse procuratores, vel recipere procurationem contra commune Nouariæ, ad litigandum pro aliqua persona, quę non sit de iurisdictione Nouariæ, contra commune Nouarię, vel ad petendum pecuniam, vel aliquid aliud a communi Nouariæ. Et si aliquis receperit procurationem contra commune Nouarię, puniatur, & condemnetur in libris quinquaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice, & dicta procuratio non valeat, nec teneat ipso iure, & gesta, & acta quæ fierent cum ipso procuratore contra commune Nouariæ, non valeāt, nec teneant ipso iure: sed sint cassa & irrita, ac nullius valoris & momenti. Saluo statuto infrascripto.

*De forensibus volentibus litigare cum communi Nouariæ.*

Item ordinatum & prouisum est, quòd si aliqua persona non subdita communi Nouarię, voluerit litigare contra commune Nouariæ, quòd per dominnm potestatem, & præsidentes consilij priuati communis Nouariæ debeat tali non subdito prouideri de idoneis procuratoribus, & aduocatis, sumptibus tamen requirentis, non subditę personæ, & aliter nullus audeat patrocinari, vel aduocare contra commune pro tali non subdito, sub pœna librarū quinquaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice applican. communi Nouarię.

*Quòd filij familias possint esse procuratores, & syndici.*

Item quòd filij familias possint esse procuratores & syndici, & causas agere, & defendere, de quibus erunt procuratores, & syndici, & omnia agere, & facere, quę in dictis causis requirerentur: & quę requirerētur, & necessaria fuerint in cartis, procurationū, & syndicatus, non obstante statuto, quod loquitur quòd filij familias non possint obligari, sine consensu parentis, vel aliquo iure in contrarium disponente.

*Quòd procuratores non possint pro constituentibus conueniri.*

Item statutum & ordinatum est quòd procuratores Nouariæ & districtus, non possint pro constituentibus conueniri, nec sententia cōtra eos executioni mādari, nec in aliquo sint obligati pro eis quantumcunque promittant de iudicio sisti, & iudicato soluendo pro ipsis constituentibus. Sed omnino vigore præsentis statuti sint absoluti, ipsa promissione in aliquo non obstante. Et si contingerit in instrumentis procuratorem vel procuratores, ipsis constituentibus non promittere de defendendo, Constituentes, & pro eis de iudicato soluendo, quòd nihilominus instrumenta valeant, & quæ fient inter partes valeant, & teneant, perinde ac si prędicta verba essent in instrumentis descripta. Et nihilominus dicti constituentes teneantur de iudicio sisti, & iudicato soluendo, & sint obligati. Saluo quòd si procurator procuratione suscepta, maliciosè, vel negligenter se haberet in procuratione suscepta, vel aliquid committeret indebitè, tunc & eo casu, persona constituens eum bene possit conuenire.

*De iusticia fienda per consules, reconuenientibus omnibus, & de iniuria facta seruitoribus eorum.*

Statutum est quòd si aliquis de ciuitate, vel episcopatu Nouariæ, apud consules iustitię querimoniam de aliquo deposuerit, & ille de quo facta fuerit querimonia, de eo conqueri vo-

voluerit, sub ipsis consulibus iustitię teneatur. Et si iniuria facta fuerit nuntijs consulum iustitię, vel seruitoribus, ille qui eam fecerit, teneatur ei dare pro banno soldos sexaginta imperialium, & tantum minus quantum maior pars consulum voluerit.

*De eis qui non veniunt ad iustitiam, & de bannis ab eis soluen.*

Si quis de ciuitate Nouariæ vel iurisdictionis, requisitus fuerit ad iustitiam faciendam, vel testimonium dicendum, vel ad aliquod aliud, quod ad eorum officium spectet facien. per nuntium consulum semel, & nuoluerit venire, antequàm consules a palatio, seu broreto recesserint detur bannum soldorum trium imperialium. Et si secundum aspectauerit nuntium & similiter non venerit, detur bannum soldorum quinque imperialium. Et si tertium aspectauerit nuntium, & non venerit, det pro banno soldos decem imperialium, pro tertia vice: hoc ita si fuerit in Nouaria, vel curia Nouarię, vel in locis iurisdictionis Nouarię, in quibus habitauerit, vel in eorum curia, cum requisitio emissa fuerit, & hęc omnia statuuntur, si denuntiatum fuerit proprię personę ipsius, siue ad domum quam habitat requisitus fuerit, & vxori, vel alicui de sua familia denuntiatum fuerit, qui habeat intellectum: & hoc nisi iusto dei impedimento remanserit, vel nimia paupertate, vel alia iusta causa: quibus causis liceat consulibus remittere totum vel partem, prout eis uisum fuerit. Si verò citatus ante consulem, vel consules venerit, sedentem vel sedentes ad banchum, & consuli paruerit, cancelletur, aliàs detur bannum, vt supra.

*Rubrica de citationibus, & præceptis mittendis in scriptis.*

Item statutum est quòd quęcunque citationes & præcepta, quæ de cetero fient pro inchoatione cuiuscunque iudicij, pro præstando sacramētū calumnię generale, pro comittendo examinatione testium notario vel notarijs, pro causis diffinitiuis committen. & peremptorijs causarum diffinitiuarum, & causis appellationum committendis, mittantur, ac mitti, & dari, & dimitti debeant in scriptis personæ seu personis, corpori, collegio, seu vniuersitati, vel consulibus nomine & vice alicuius communitatis, quę citabuntur, cum proprio nomine eius, ad cuius petitionem fiet citatio, & citandi, & citandorum, vel domui, & familię citandorum, cum proprio nomine iudicis, seu consulis, ex cuius parte citatio dabitur, seu mandabitur, & cum nomine banchi, ac diei, & horæ, quando, & vbi comparitio seu præsentatio fieri debet. In qua citatione, & in quo precepto scribatur etiam causa specifica, propter quam fiet citatio, & præceptum, & pro alia causa in citatione vel præcepto non apposita, citatus seu citati tūc non possint molestari quoquo modo: & notarius vicarij cōsulis seu iudicis ex cuius parte citatio fieri debuerint, dictę citationi cum nota sua seu signo se subscibere & in actis registrare teneatur, & citatio aliter facta, & actus vigore dictę citationis facti non valeant, nec teneant ipso iure. Et notarius qui scribet acta prædicta puniatur & condemnetur pro qualibet vice in soldis quinque imperialium, medietas applicetur parti inquietatæ, contra formam prçsentis statuti, & alia communi Nouarię, quas quātitates pecuniarias dominus potestas Nouariæ statim teneatur, & debeat exigere, seu exigi facere, omni excusatione & exceptione cessantibus, & sine processu, & sub pœna dupli dictarum quantitatum dicto domino potestati, communi Nouariæ applican. Et prędicta etiam locum habeant in citationibus, & prçceptis fiendis contra habitantes in ciuitate, & suburbijs, vel districtu Nouariæ, & in saximentis, & prçceptis, ac citationibus fiendis occasione saximentorum contra eosdem.

*De modo & ordine obseruando in licentijs pro pignorationibus concedendis.*

Qvaelibet licentia quę concedetur pro aliqua pignoratione facienda, habeat expressam causam, propter quam pignoratio fieri debet, & ipsa licentia per notarium, cum sua nota, siue signo subscribatur. Et etiam registretur, ac subscribatur per iusdicentem, cuius mandato fiat in ea nomen iusdicentis; nec possit licentia concedi cum barruerio, vel alio, vltra seruitorem, nisi in casibus spetialiter expressis in statutis communis Nouariæ. Et licentia concessa, vel data, non obseruata forma prædicta, non valeat nec teneat ipso iure. Et quilibet notarius ipsam licentiam subscribens, non seruata forma prædicta, incidat in pœnam soldorum viginti imperialium pro qualibet vice, quæ perueniat in communi Nouariæ. Et vltra hoc teneatur ad restitutionem expensarum, damnorum, & interesse personę pignoratæ cum licentia, in qua non sit obseruata forma prædicta.

*De his qui iniustè faciunt dari banna, causa aliquos frustandi.*

ITEM statutum est quòd si aliquis fecerit citari, vel vocari ad iuditium aliquem, vel aliquos de extra ciuitatem Nouarię, vel suburbia, teneatur, & debeat facere poni in libro notarij cõsulum requestam, & reditionem ambassiatæ, iuxta formam suprascripti statuti, sub rubrica de citationibus, & pręceptis mittendis in scriptis, & si aliter factum fuerit, non possit accusari contumacia, nec dari bannum alicui, & si datum fuerit non valeat in pręiudiciũ eius cui datum fuerit: sed ipsum bannum teneatur soluere notarius, qui scripserit ipsum bãnũ pro medieate, & ille ad cuius petitionem datum fuerit pro alia medietate. Et si aliquis fecerit dari bannum, seu banna alicui, seu aliquibus, qui se pręsentauerint, & cum licentia iudicis se absentauerint, teneatur ipsa banna soluere, item nullus in eadem die possit aliquẽ conuenire ad plures stantias, nisi ad vnam solam stantiam. Et si aliquis in vna die voluerit aliquem conueniri ad plures stantias, non valeat bannum, seu banna, quę inde datũ vel data fuerint in præiudicium requisiti, sed ipsa banna solui debeãt per requirentẽ aliquem ad plures stãtias, vt supra. Quòdque si aliquis fecerit aliquẽ requiri de extra ciuitatem, vel suburbia ad aliquam stantiã, & tempore pronuntiationis fiendæ se non præsentauerit, per se neque per alium, seu aliquid non petierit, & nulla iusta causa excusabilis interuenerit, soluat requisito soldos duos imperialium, & operas amissas per ipsum requisitum, & vltra expensas passas per requisitum, iuramento eius mediante taxandas: & vltra licentietur requisitus per iudicem per octo dies, infra quos talis requisitus, ad petitionem eiusdem nequeat coram aliquo consule vel iudice conueniri: & si conueniretur, & banna ei darentur infra ipsos octo dies, debeant ipsa bãna solui per eum ad cuius petitionem requisitio fiat: & vltra teneatur soluere requisito soldos duos imperialium, & operas amissas, & expensas, taxãdas vt supra & pro qualibet vice. Quòdque nõ possint dari bãna alicui requisito per cõsules ante tertiã, & nisi cũ consul discedere debeat a bancho, & quòd hora iuris qua consules debẽt sedere ad banchũ, sit vna hora continua ad minus in tertijs: dũ cantatur missa magna in ecclesia S. Mariæ: & in octauis sit vna hora continua ad minus, finienda hora qua incipiuntur vesperę pulsari ad ecclesiã S. Marię maioris, & incipiendo horã iuris post octauas pulsatas. Respectu verò tribunalis domini potestatis sit hora congrua iuris, per vnã horã ad minus in tertijs, & tẽpore quo celebratur missa magna, & post octauas sit vna hora continua ad minus, finienda cũ vesperi sunt cõpleti in dicta ecclesia maiori Nouarien. Et quòd custos campanilis, secũdũ ordinẽ apponendũ per consiliũ priuatũ, debeat pulsare vnã campanã dictæ cõmunitatis tali diuersimodo sono, quòd per omnes audiẽtes intelligatur ipsam campanã pulsari pro iustitia reddenda per cõsules, & per aliũ modũ pro iustitia reddenda per dominũ potestatẽ, & eius vicariũ. Ita & taliter quòd omnes requisiti ad stantias consulũ intelligãtur esse, & sint licentiati, quando audiuerint cãpanã pulsari ad iustitias reddendas per dominũ & etiã intelligantur & sint licẽtiati postquã perseuerauerint ad stantiã domini potestatis ꝑ vnã horã post pulsatã cãpanã iustitię ipsius tribunalis, hoc saluo & declarato, quòd si hora cõgrua iuris ad aliquã stantiã esset aliquis actus, & seu essent aliqui actus incepti, siue verbotenus per aliquã requisitionẽ factã, siue in scriptis, qui finẽ non habuisset, vel nõ habuissent per horã congruã iuris, siue ex impedimento siue ex volũtate iudicis, quòd neutra partiũ litigãtiũ nõ intelligatur esse, nec sit licẽtiata, sed teneatur ꝑseuerare in iudicio arbitrio iusdicẽtis, seu cõsulis. Et si secus fecerit, & illicentiata recesserit, possit per iudicẽ, si sibi videbitur, contumax pronũtiari, & pœnis, & bannis aggrauari, prout videbitur iudici. Et quòd in libro bannorum dandorũ per consules, nõ possint nec debeãt scribi banna, nisi per notarios, vel aliquẽ ex notarijs illius stantię vbi dicta banna darentur. Et si cõsul passus fuerit cõtrafieri & qui cõtrafecerint puniantur in soldis quinq; imperialiũ pro quolibet & qualibet vice, applicã. camerę cõmunis Nouarię quòdq; teneãtur cõsules iusticię Nouarię, & iusdicentes, vinculo sacramẽti pręstãdi in eorũ officio, facere fieri statim omnibus iuris remedijs, quibus melius potuerint dictis talibus requisitis solutiones pœnarũ operũ amissarũ, & expensarũ de quibus sicut, & prout supradictũ est. Et quòd si aliquis procurator, procuratorio nomine alicuius, aliquẽ vel aliquos citari fecerit, teneatur ipse procurator in citatione seu requesta ponere nomẽ suũ, & pronomẽ, & seu nomẽ parẽtelę. quòd si nõ fecerit talis procurator, soluat pro bãno soldos duos imperialiũ pro qualibet vice, dũmodo procurator fieri fecerit scripturã, cuius sacramẽto stari debeat. Et quòd dies terminorũ debeant describi in citationibus, & præceptis, videlicet, die lunę, vel martis, prima vel secunda talis mẽsis: & sic ꝓcedẽdo, & etiã notã teneãtur ponere in requestis, nomẽ ꝓcuratoris, quod si nõ

fecerint dent pro banno soldos duos imperialium vtsupra. Declarantes differentiam citationis a requesta esse, videlicet, requestã esse cùm quis citatur ad videndum aliquid produci, vel fieri, vel ad aliquid faciẽdum, vel respondendum, & quę fiunt pendence causa, lite, vel differentia. Citationes verò sunt quæ continent personas actoris, & rei quantitatem, rẽ seu ius, & causam, & quæ cõceduntur ad aliquam causam, litem, vel questionem incipiendã.

*De actionibus, vt plures possint proponi.*

STATVTVM vt plures posint proponi actiones, & nullus compellatur ad earum electionẽ, nec cogatur exprimere nomen actionis, sed causam, ex qua petit simpliciter proponat.

*Si res petatur ad oculum demonstrari.*

ITEM, quia plerunque conuenti in iudicio reali, interrogati si tenent, & posident res petitas, petunt ipsas res eis ad oculum demonstrari, vt litem differant, & aduersarium fatigẽt in expensis. Statuerunt quòd si in iudicio huiusmodi demonstratio fieri petatur, quòd petens iuret statim, antequàm consul vel iudex recedat a bancho, quòd dictã petitionem nõ faciat animo differendi litem, vel aduersarium fatigandi, & quòd ignorat res petitas, seu coherentias earum. Quod sacramentum si non fecerit, habeatur pro possessore, & contra eum procedi posit, perinde ac si teneret & posideret, nisi antequam consul, vel iudex recedat a bancho, responderit se non tenere, nec posidere, & si aliquis per libellum conuẽtus in iudicio in actione reali, interrogatus si tenet, & posidet, petat terminum ad deliberandum, vel habendum copiam, talis dilatio sibi non detur, cùm potuerit deliberare in termino dato in libello vel citatione. Et si contingerit iurari, vt supra, & terminum asignari ad demonstrandum, & persona quę debet rem demonstrare, non præsentaret ad locũ vbi res sita esset, in termino asignato ei cui debet fieri demonstratio, comparente in dicto loco, condemnetur iu expensis, quas iurabit se fecisse comparens. Et dilatio duplicetur, & si is cui debet fieri demonstratio non compareat in termino, tunc habeatur pro possessore. Et vlterius demõstratio sibi fieri nõ debeat. Et nihilominus teneatur soluere, & ad soluendũ expensas taxandas, vt supra. Quo termino durante non currant tempora instantiæ.

*Quòd res vendita possit lui pro compra patronali.*

ITEM statutum est quòd liceat omnibus parentibus patronalibus res venditas voluntariè recuperare, iure compræ infra annum & diem, siue fuerit parentum superiorum, siue quorumlibet agnatorum, etiam si per plures manus res ambulauerit. Et quòd ad recuperationẽ prædictorum fiendam pro compra patronali, procedi debeat breuiter & summariè, & sine strepitu, & figura iuditij, & sine libello. Et elapso anno, non facto deposito ante annum de pręcio rei venditæ, non sit regressus ad recuperationem ipsarum rerum, nec ratione minoris ætatis, vel absentię, vel beneficio restitutionis in integrum, & idem obseruetur per dominum potestatem, vel eius curiam in casu quo petentur res pro compra patronali, & in casu quo haberet cognitionem, & si per modũ diuisionis talis res transferetur in aliquẽ non subditum, & tunc facto deposito precii rei prędictæ, potestas, seu consul, absque aliæ solemnitate si ille ad quem res dicta peruenerit noluerit recipere precium, & facere retrodatum de ipsa re patronali, ponere in possessionem teneatur parentem paternalẽ, qui fecerit depositum, & ipse in dicta possessione defendere, & tueri totis viribus.

*De compellendis his qui debent facere alicui personæ retrodatum de aliqua re.*

ITEM quòd dominus potestas Nouariæ, & ipsius iudices, & consules iustitiæ Nouarię, & quilibet ipsorum teneantur, & debeant ad petitionem cuiuscunque personę, cui debet fieri retrodatum, siue retrouenditio, vel retro alienatio, ex forma iuris vel statuti, vel ex promissione, vel ex alio iure, compellere iuris remedijs, personam seu personas, quæ teneantur ad prædicta, vel alterum prædictorum, ad faciendum ipsam retrouenditionem, seu retrodatũ, vel retro alienationem, prout personę requirenti de iure fienda est, petitione sapientis, appellatione, & quacunq; alia dilatione cessantibus. Saluo quòd in quantum pars a qua requiretur ipsa retrouenditio, seu retrodatum, seu retro alienatio, diceret se habere defensionem, quare hoc facere non teneretur: quòd dominus potestas, vel eius vicarius, siue consul debeat assignare terminum quindecim dierum, infra quem ipse a quo petetur, debeat probare legitimam defensionem, qua non probata infra dictum terminum, prędicta absque libello vel petitione executio fieri debeat.

De

*De his qui acquisiuerunt aliquã rẽ, de qua fieri debeat retrodatũ alicui personæ.*

ITEM si contingerit alienationem fieri, vel ad actum alienationis procedi inter viuos, vel in vltima voluntate, de aliqua re, de qua persona alienans, vel alienare volens teneatur facere retrodatum, siue retrouenditionem, vel retroalienationem, sine voluntate expressa illius personæ cui retrodatum, siue retrodatio, siue retroalienatio fiendum, siue fienda, quòd illa persona in quam ipsa res ex ipsa alienatione, seu venditione, vel alio contractu, seu vltima voluntate, vel aliter, peruenisset, siue mediatè, siue immediatè, ex alienatione facta per personam, quæ tenebatur vel ex pacto, vel voluntate, vt supra, teneatur, & iurijs remedijs compellatur, facere retrodatum, siue retrouenditionem seu retro alienationem in omnibus & per omnia, prout tenebatur prima persona, quæ ad prędicta vel alterum prędictorũ tenebatur, & eundem habeat regressum de euictione ipsa persona quæ ad prædicta, vel alterum prędictorũ cõpelletur, sicuti haberet si per sententiam vel denuntiationem, vel alijs actis legitimis pręcedentibus ipsa res ab eo esset euicta.

*Quòd possessio defuncti transeat in hæredem.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt infrascriptum decretum pro statuto haberi, quòd incipit Cupiententes fraudibus & malitijs insolentium hominum obuiare. In humanis & insidiosis cautelis resistere cum effectu, hoc pręsenti nostro statuto, imperpetuum valituro, ędicimus, decernimus, & constituimus, quòd possessio, seu quasi, quorumcunque bonorum mobilium, & immobilium seq; mouentium, ac iurium per mortem possidentis, vel quasi, non vacet, vel vachare teneatur, sed continuetur immediatè, & sit, & intelligatur continuata in eius hęreditate, & immediatè post hereditatis additionem, vel immissionem in personam heredis, & cum ipsis hereditate, & herede, seu heredibus defuncti, seu defunctę pro hereditarijs portionibus quò ad omnẽ effectum, licet nõ fuerit aliqualiter apprehensa, siue succedat ex testamẽto, siue ab intestato de iure ciuili, aut Pretorio, municipali, cõsuetudinario aut iure alio, vel beneficio, siue priuilegio communi, vel speciali, quocunq;, nec per quemcunq; hereditate iacente, apprehendi possit. Et si in contrarium sit, vel fuerit aliquid actũ, id nullius sit roboris & momenti ipso iure. Quod quidem decretum nostrum pręcisum sit, nec vllam recipiat distinctionem, aut interpretationem, sed ad litteram prout iacet obseruetur per quoscunq; subditos & officiales nostros pręsentes & futuros, a die ipsius publicationis. Mãdantes vniuersis & singulis officialibus nostris, ad quos spectat, & spectabit, quatenus illud inseri faciãt in volumine decretorũ, statutorũ, & ordinũ nostrorum, & statutorũ cõmunis nostri Mediolani, ac aliarũ ciuitatũ, terrarũ, oppidorũ, & locorũ nostro dominio suppositorũ. In quorũ testimoniũ præsentes fieri iussimus & registrari, nostrique sigilli munimine roborari. Datũ Mediolani die xxviij. Nouembris 1432. vndecima indictione.

*De carceratis mittendis in scriptis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt ad laudem omnipotentis Dei, & prælibati Domini nostri quod infrascriptum decretum aliàs conditum, etiam habeatur, & obseruetur pro statuto, cuius tenor sequitur prout infra.

*Dominus Mediolani &c. Comes Virtutum Imperialis vicarius generalis.*

VOLVMVS, & tibi mandamus, quatenus de cetero singulo anno, per dies quindecim ante quòdlibet festum Natiuitatis domini nostri Iesu Christi, Pascatis maioris, & beatę virginis Marię mẽsis augusti. Tu ac omnes, & singuli tui successores, nobis in scriptis mittere debeatis nomina & cognomina carceratorũ existentiũ tunc in carceribus nostræ ciuitatis Nouarię, cum causis propter quas, & temporibus quibus erunt in dictis carceribus. Declarando etiam si condemnati pacem habebunt cum offensis, an ne. Et hoc sub pœna florenorum viginti quinque auri, tibi & tuis ipsis successoribus inremissibiliter auferri, & nostræ cameræ applican. Mandantes insuper tibi, quatenus has nostras litteras ad perpetuam rei memoriam describi facias in volumine statutorum ipsius nostri communis Nouarię, & in sacramento præstando per potestates ipsius nostri communis Nouarię. Datum Mediolani die quarto Ianuarij. 1487. Nobili viro potestati nostro Nouariæ.

ITEM quia infrascriptũ decretũ aliàs conditum est honestissimum. Statutum est quòd hic subsequẽter exempletur, & pro lege & statuto obseruetur, cuius tenor sequitur proutinfra.

*De non mittendo aliquem in possessionem bonorum debitoris.*

NOS Galeaz Vicecomes, Comes Virtutum, Mediolani &c. Imperialis vicarius generalis. Cupientes subditorum commodis prouidere, & extorsionibus, & oppresionibus occurrere, quas eisdem plerunque sub prætextu liciti contingat inferri, nonnullis significationibus & querelis informati. Quòd sepe occasione vel causa executionum vel exactionũ fiendarum vigore sententiarum, condemnationum, vel aliorum debitorum quorumcunq;, potestates, vicarij, Rectores, iudices, vel officiales nostri, seu ciuitatum, locorum, & terrarum nostrarum, barruerios, famulos, seruitores nuntios in possessionem domorũ, vel bonorum eius, siue illorũ contra quos executio vel exactio fieri debere prætenditur, sepe mittunt, siue ponunt, & ire, ac stare concedunt & permittunt. Et quòd talibus pręfatis debitoribus enormia damna, causa talium missionum, & sub velamine mercedum & sumptuum barrueriorum, famulorum, & aliorum pręnominatorum plerunque consueuerunt euenire. Super præmissis diligenti deliberatione, & maturo consilio præassumptis, præsenti nostro decreto, & lege decernimus, edicimus, & ordinamus. Quòd nullus potestas, vicarius, rector, iudex, vel officialis noster, siue ciuitatum, terrarum, & locorum nostrorũ, deinceps audeat vel pręsumat barruerios suos, famulos, seruitores, vel nũtios, occasione vel causa exactionis, vel executionis qualiscunque, in possessionẽ domorũ vel bonorum ponere, vel mittere aliquorum, contra quos exactio vel executio fieri debere aliqua pretẽdatur, nec vt vadant auctoritatem concedere vllo modo, & quòd eos ibi esse vel stare non permittant. Et si potestas vicarius, vel quispiã aliorũ supra nominatorũ, ausu temerario contra præsentẽ nostrã dispositionẽ, decretũ, seu legẽ nixus fuerit contraire, illico de bonis suis exigantur floreni centũ boni auri & iusti ponderis, per actores nostros nostrę cameræ cumulãdi. In quorũ pœnã seu mulctã intelligantur ipso facto incurrisse, sine vlla diffinitiua, seu cõdemnatoria sententia proferenda, & vltra per eos conseruetur indemnis ille in cuius domo, seu bonorum, possessione fuerit aliquis positus, vt supra. Ceterum cũ præfati barruerij, famuli, & alij superius nominati, quos lucrorũ vorago excecat, aliquando sine auctoritate, iussu, vel permissu potestatũ, vicariorũ, vel aliorũ officialiũ suprascriptorum, quandoq; committere nõ formidant, disponimus & decernimus: quòd si vllus pręddictorum barrueriorum, famulorũ, seruitorum, seu nominatorum, causa vel occasione exactionis, vel executionis alicuius, possessionem, vt supra, suo ausu temerario, vel intrare pręsumpserit, indemnem conseruet eum in cuius domus seu bonorum possessionem ire vel intrare præsumpserit: & vltra indilatè ab ipso exigantur floreni vigintiquinque per exactores nostros prædictos, camere nostræ aggregandos, etiam sine comdemnatione & sententia, vt supra. Quòd si pecunia vel rebus forte componere non possent, in corpus suum luentes bottis seu squassis quatuor torturæ, auctoritate & mandato suorum potestatum, vel superiorum, dictorum nostrorum exactorum inremissibiliter, feriantur. Quod quidem decretum &c.

*Quòd in quæstionibus soldorum centum imperialium cognoscatur summariè.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd in omnibus quæstionibus soldorum centum, & abinde infra, seu valoris prædicti, consules iustitiæ Nouarię possint cognoscere & determinari summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & sine datione libelli, & pro eodẽ debito ex eadem causa non possit porrigi nisi vnica petitio. Saluis statutis loquentibus de causis summarijs.

*De iustitia summaria, & sine libello facienda, & sacramenti delatione.*

ITEM quòd si aliqua persona habere debẽs, vel asserens se habere debere, ex cõtractu, per eũ facto, vel ex aliqua obligatione ab aliqua persona, pecuniam aliquam ex cõtractu vel obligatione propria, & facta per illã personam, a qua petetur, & sine libello, vel alia scriptura, verbotenus tantùm, ab eo petierit coram consulibus iustitię Nouariæ pecuniã quam asserit sibi dari debere, & illi personę detulerit sacramentum, & stare voluerit eius sacramẽto, quòd dare debeat, vel non debeat pecuniam petitam, consul teneatur asignare terminum decem dierũ, absque vllo medio dictæ personę a qua petetur, ad deliberandũ, & faciendũ dictũ sacramentũ, & si nõ iurabit ad dictũ terminũ cõdẽnetur sicut si probatio dicti debiti facta esset, nisi illa persona a qua petitum esset sacramentum, referat infra dictum terminum personæ petenti, scilicet, vt iuret pecuniam sibi debitam ex causa qua petit a dicta persona debitrice. Et teneatur sacramentum relatum infra alios decem dies facere vel

vel prestare:quòd si non fecerit absolui debeat illa persona a qua petitum fuerit. Si verò petetur per heredem vel successorem creditoris ab aliqua persona pecunia,quam ex suo officio,vel ex propria obligatione debeat,vel asseratur per eum deberi,non possit talis persona,quæ nouit veritatem referre heredi,vel successori petenti,qui in locum alterius successit:& habeat causam probabilem ignorandi.Sed teneatur illa persona a qua petetur iurare se non debere,& tunc absoluetur. Et nisi iurauerit infra terminum prędictum condemnari debeat ac si probatum esset.Et si dicta dies decima termini suprascripti inciderit in die feriatam, quòd dictum sacramentum facere possit sequenti die proxima non feriata.Et dictum statutum locum habeat, si alia res petatur quàm pecunia, in qualibet parte iudicij, siue sit pecunia,siue alia res quæ petatur:& siue sit oblatus libellus vel petitio, siue non, & tam ante litem cõtestatã, quàm post.Et etiã in causis quę ventilabuntur coram domino potestate,vel eius vicario,ad eius iurisdictionem spectantibus.

## *De causis summarijs,qualiter debeant cognosci.*

Item statutum & ordinatum est,Ad tollendũ dubia quæ occurrere solita sunt,circa causas summarias,& sine figura iuditij.Quòd in quibuscunque causis, quæ debent agitari summariè tantùm, aut sine figura iuditij, aut summariè,simpliciter, & de plano,sine strepitu,& figura iudicij:siue fuerint tales causæ delegatæ, vel non,possint iudices, coram quibus dictæ causæ agitantur,statuere terminos non longiores ad probãdum,& reprobandum,quàm sint statuti per statuta,de ordine causarum ciuilium,& breuiores,si sic sibi videbũtur, & per aliquam partium fuerit requisitum. Et casu quo dicti iudices non statuerint terminos breuiores,quàm disponatur ex forma dicti statuti,auctoritate præsentis statuti sint & esse intelligantur in dictis causis ipsi termini statuti,prout disponitur ex forma dicti statuti. Et intelligantur etiam ipsi testes publicati,prout in dicto statuto disponitur;nulla alia publicatione per ipsos iudices facta finita dicta dilatione data vel non data. Et hoc quò ad probationes prę sentes.Et idem sit in terminis ad reprobandũ statuendis.Et si datur dilatio ad probandum in remotis,similiter prorogetur,& prorogata intelligatur instantia dictarum causarum,sicut prorogatur in causis plenarijs.Quibus terminis elapsis,non expectato quòd labantur dies triginta vtiles, committatur talis causa consulenda ad requisitionẽ partiũ,vel alterius earũ,& sententia ferri possit sine consilio sapientis,si fuerit de partium ambarum voluntate.Et si contingat causas tales agitari tempore feriato ob necessitates hominũ, solummodo in instantijs dictarum causarum computentur dies & hora, quibus procedetur in dictis causis, aut necesse sit procedi in dictis temporibus feriatis. Addentes etiam quod de executionibus condemnationum,quia summariè cognoscuntur,cognosci possit & terminari,& executiones fieri temporibus feriatis ob necessitates hominum.

## *Vt notarij consulum iustitiæ teneantur habere librum actorum.*

Item statutum & ordinatum est: quòd quilibet notarius dominorum consulum iustitię Nouarię teneatur habere vnum librum actorum,in principio subscriptum cum nota sua. In qua subscriptione mentionem faciat de numero foliorum ipsius libri,in quo nullus scribat, nisi talis notarius subscriptus, & in ipso libro teneatur scribere & registrare libellos per ipsum receptos,litium contestationes,seu cõtradictiones,quę fiunt præceptis;Vbi per viam contradictionis proceditur; & positiones, & responsiones,quæ fiunt positionibus,iurium productiones,sacramentum calumniæ generale,& omnia acta iudiciorum. Et quòd pro eorũ mercede possint percipere & habere prout infra,videlicet.Hoc addito & cõcesso, quòd si tales notarij dominorũ consulũ possint habere vnũ librũ libellorũ,liber nũcupatũ, subscriptũ in principio,& expressione numero foliorũ,vt supra.In quo possit,& valeat registrari facere libellos,& citationes ac præcepta,& positiones,si nollet,vel nõ posset ipse notarius deputatus talia registrare,& perinde fidẽ faciãt sic registrata,ac si per notariũ actorũ registrata & descripta in ipso libro.Et quòd ipsi notarij & Antianus, qui habuerit ad incantũ aliquod,vel aliqua ex banchis iustitiæ Nouariæ,quorũ vnũ est sub signo Aquilæ,aliud Leonis,aliud Vrsi,teneantur horis congruis iuris manutere ad banchum, seu bancha, quæ obtineret, notarios idoneos ad scribendum acta & fidos. Et si contingeret aliquam partium litigantium, ex iusta causa, habere aliquem ex notarijs deputatis illi bancho, vbi quęstio ventilaretur, suspectum, vel etiam habere suspectos plures, vel omnes notarios ad ipsum officium notariæ, & ad ipsum banchum deputatum, vel deputatos.

quòd facta protestatione de tali suspitione, & cũ iuraméto de ipsa suspitione, Quòd talis iu rãs suspectus, seu tales iurati suspecti, abstineãt in scribendo aliqua acta in ipsa causa, dũta xat, in qua suspecti dicti fuerint. Et quòd dominus consul, seu antianus illius notarię ipsa die, vel incontinenti, secundum necessitatem prouideat de alio notario fido partibus, per quem recipiantur acta, & pro quibus tamen fiat, & fieri debeat dicto antiano & socijs eius solutio, vt infra. Ita tamen quòd ipse antianus teneatur tali subrogato loco suspecti, prouidere de mercede condigna, arbitrio iusdicentis. Et si negligentia vlla committeretur in deputando notarium non suspectum in dicto casu, propter periculum euitandum, pos sit talis iurãs pro suspecto notarium & notarios illius banchi eligere vnum ex notarijs aliorum banchorum fidum, & non suspectum. Et si non reperiretur quòd eligatur vnus de alijs notarijs collegij Nouarię. Et si aliquis notarius recusatus & iuratus suspectus, postea scripserit in illa causa, in qua iuratus fuerit suspectus. Quòd ipso iure & facto ipsa acta sint & censeantur esse nulla, & nullius valoris.

Item quòd antianus dictarum notariarum teneatur soluere præcium datij ipsarum notariarum singulo mense, & in die decimo cuiuslibet mensis pro toto mense, aut si ex forma incantus alius terminus esset datus, vel facta prouisio aliqua, quòd tunc obseruetur forma incantus.

Item quòd ipse antianus, & eius officiales, & socij non possint, nec valeant, nec debeant ab aliqua persona, communi, corpore, collegio, vel vniuersitate, accipere pro mercede, & nomine mercedis actorum & scripturarum fiendarum ad aliquod ex dictis banchis vltra quantitates inferius limitatas & declaratas, & in casibus inferius nõ declaratis, vltra metas limitatas in capitulis notariorum collegij dictæ ciuitatis, sub pœna soldorum quinque imperialium pro quolibet & qualibet vice, applican. pro medietate communi Nouariæ: & pro alia medietate accusatori. Et nihilominus quod vltra acceperit, vel acceperint, teneantur restituere ei a quo acceperint. Saluo quòd a forensibus possint accipere tantum plus, quantum crediderint in suo foro forensis accipi posse & exigi. Quas quidem solutiones ipsi antianus, sotij, & notarij sic deputati, possint licitè consequi petere, & habere prout infra, videlicet, & cum hac conditione, quòd contra negligentes vel remissos, & remittentes, facere debitas solutionem vel solutiones iuxta declarationem infrascriptam, debeat fieri per consulem & iusdicentem bona & diligens executio. Solutiones autem declarãtur hoc modo. Primo pro subscriptione cuiuscunque libelli cum eius productione, & impositione facta de ipsum præsentando, imperiales decemocto, & teneatur pro dicta solutione etiam registrare relationem, quę fiet de præsentatione dicti libelli: & si etiam talis libellus esset registratus in libro libellorum per ipsum subscribentem, vel eius socium, quòd vltra ipsam mercedem subscriptionis pro registratura possit exigi merces & solutio ad computum pro singulis vigintisex gricijs, de verbis septem pro singula gricia, seu linea, in quibus non computetur titulus pro vno verbo, denarios decemocto. Et si causa incipiatur a præcepto, vel citatione quòd fiat solutio mercedis subscriptionis, & registraturę modo & forma prout dictum est supra de libello.

Item quòd pro comparitionibus fiendis in terminis respondendi, possint de tali libello, vel precepto, vel citatione. Et pro litis contestatione consequi a qualibet parte comparente soldum vnum: & hoc si scriptura fienda a singula parte non sit prolixior griciarum duodecim. Si verò aliqua partium in sua scriptura, quam faceret de sua comparitione, excederet lineas seu gricias duodecim, quòd pro illa superpluri scriptura possit consequi modo vt supra, ad computum vigintisex, denarios decemocto, & pro rata. Et hoc si ipsa scriptura fiat per ipsum Notarium. Si autem facta per alium fuerit, sibi in scriptis producta, quòd sit contentus dictis denariis duodecim primo memoratis. Declarantes quòd si in vna comparitione essent comprehensæ multæ, vel plures personæ, quòd tamen nil vltra soluatur, quã supradictum est. Saluo quòd a qualibet communitate, collegio, vel vniuersitate, loco dicti soldi vnius, possit consequi soldos quatuor imperialium.

Item pro productione positionum possit consequi a parte ponente, & tempore productionis positionum denarium vnum pro singula positione, & totidem pro qualibet interrogatione. Et idem sit de interrogationibus, quæ fiunt ante ingressum iudicij, aut denarios decemocto pro singulis vigintisex gricijs, in electione officialis, seu notarij banchi, & a parte respondente tempore respõsionis imperialium vnum pro qualibet interrogatione, vel responsione. Saluo quòd essent positiones, vel interrogationes, seu cum interrgogationibus, vltra numerum quinquaginta, quòd tunc solùm a parte respondente consequi possint

secundum

secundum scripturam ad computum, denarios decemocto pro singulis vigintisex gricijs.

Item pro productione capitulorum, & scriptura, si fiat per ipsum notariū, possit consequi ad computum, denarios sex pro quolibet capitulo, etiā si scripta non essent per ipsum notarium actorum, & si registraret, quòd pro scriptura & registratura possit consequi vt dictum est de registratione libelli.

Item pro quolibet sacramento calumniç generali, a qualibet parte, soldum vnum imperialium, & a qualibet communitate, capitulo, vel vniuersitate soldos quatuor imperialium.

Item de quolibet prçcepto concedendo pendente processu, possit consequi pro signatura denarios sex imperialium, scribendo relationem, & pro registratura vt dictum est de libello, & idem sit de peremptorio.

Item de quolibet actu productionis iuriumsiue processuum, habeat vtsupra ad computum vt dictum est de registratione scripturarum libelli & citationis.

Item de qualibet interlocutoria, pro registratura soldos duos imperialium a qualibet parte, quotquot sint, pro vna parte, & a communitate, vniuersitate, & capitulo soldos sex imperialium, & nihil plus, extrahendo in carta, habendo insuper cartam, videlicet, a parte illam in carta requirente.

Item pro litteris missiuis, soldos duos imperialium, & duplum a communitate, vel capitulo, & totidem de responsionibus litterarū & productione ipsarū, & etiam attestationum, quæ cum ipsis responsiuis prçsentarentur, & publicatione ipsarum attestationum, si vno, & eodem actu fierent. Et si publicatio fieret de per se, vel de testibus in patria, soldum vnū imperialium a parte requirente publicationem.

Item pro litteris ducalibus alicuius delegationis soldos tres imperialium pro earum prçsentatione, a parte prçsentante, vltra registraturam, de qua habeat, vt dictum est: & pro copia fienda parti aduersæ habeat vt dictum est de subscriptione & registratura libelli.

Item habeat pro subscriptione cuiuslibet saximenti soldum vnum imperialium, & pro scriptura habeat vltra ad computum vt dictum est de mercede registraturç, & pro relaxeto tā saximenti quàm alterius rei, vel personæ carceratæ soldum vnum imperialium.

Item pro contumatijs habeat & consequi possit vt infra. Hoc intellecto quòd sit contumatia, quæ lædat ius partis, & non aliter. Videlicet, si contumatia comprehendat vnam vel plures personas, vsque in quatuor, habeat, & habere possit soldum vnum imperialium pro qualibet persona, tempore quo purgabitur contumatia, & ab ea, vel eis, quç voluerint purgare. Et si essent vltra quatuor in vna contumacia, quòd a singula persona comprehensa in tali contumacia quç non ledit ius partis, & pro licentia fienda de pignorando tales contumaces, possit consequi de qualibet licentia, quæ comprçhendat vnum, vel plures vsque in quatuor, denarios sex pro qualibet persona, a quatuor supra a parte petente soldos duos imperialium. Et a seruitore, vel barruerio, denarios sex imperalium pro singula persona nominata in tali licentia. Saluo quòd pro licentia de pignorando aliquam communitatem seu consules alicuius loci, pro facto communitatis, vel aliquod collegium, possint cōsequi pro licentia soldos quatuor imperialium, & totidem pro purgatione contumaciæ.

Item de qualibet denūcia habeat pro subscriptione & registratura vt dictum est de libello, & idem de responsione, & replicatione inde fiendis.

Item de quolibet deposito cum citatione, si fuerit a libris decem infra, habeat pro subscriptione citationis & registraturæ depositi soldos quatuor imperialiū. Et pro canzellatione soldos duos imperialium. Et si fiat in carta, habeat cartam & mercedem scripturæ, quam haberet alius scribens de iussu. Et si depositum fuerit a libris decem vsque ad quinquaginta, habeat soldos octo imperalium pro registratura, & signatura. Et si fiat in carta, habeat cartam & mercedem, quam haberet scribens de iussu. Et si depositum fuerit a libris quinquaginta imperialium, vsque ad centum, habeat soldos viginti imperialium: & dando in carta habeat mercedem de iussu, vtsupra. Et a libris centum vsque ad ducentas habeat pro registratura soldos trigintaduos imperialium. Et abinde supra, quanta fuerit quantitas, habeat libras tres & soldos quatuor imperialium. Et pro hac mercede teneatur dare in carta, habendo cartam, si requisitum fuerit.

Item de quolibet termino dato ad soluendum aliquod debitum soldum vnum imperialiū.

Item de qualibet citatione quindena habeat vt dictum est de libello, & dando in publicam formam, habeat soldos decem imperialium, & cartam. Et pro comparitionibus fiendis in singulo termino, habeat a qualibet parte comparente, quotquot sint, soldum vnum imperialium, A quolibet communi, vel vniuersitate, soldos quatuor imperialium.

ITEM pro denuntijs fiendis pignoratis, quòd exigant pignora denarios sex pro singula de nuntia.

ITEM pro liuratione pignorum, quando sine solemnitate extimatorum fit a soldis centum infra, soldum vnum imperialium.

ITEM de qualibet liuratione fienda de bonis debitoris, cum solemnitate, cum extimatoribus communis de re immobili; si extimatio capiat tam pro sorte, quàm expensis, & a libris quinque vsque ad decem imperialium, habeat soldos sexdecim imperialium & cartam. Et a libris decẽ vsque ad cẽtum, habeat soldos viginti imperialium, & cartam, & abinde supra habeat soldos triginta duos imperialium, quantacunque fuerit quantitas comprehensa in liuratione, & pro dictis pretijs teneantur dare in cartam.

ITEM de quolibet inuentario bonorum alicuius hæreditatis, & aditionis inuentarij, & alijs instrumentis, habeant prout in capitulis notariorum dicti collegij continetur.

ITEM de processibus exemplandis cõsequi possint ad computum denarios decemocto pro quolibet folio, ab vtroque latere scripto, habẽte lineas viginti vnam a qualibet facie folij.

## *De ratione non reddenda post vesperas.*

STATVTVM est quòd consules iustitiæ Nouariæ non stent, nec sedeant ad banchum pro iustitia facienda vltra vesperas pulsatas ad ecclesiam sanctę Mariæ maioris: nec vltra, debeant sententiã dare vllo modo, vel deliurationem facere: & quod per eos fieret nullius sit momenti. Et quòd pulsatis vesperis dominus potestas, vel eius vicarius debeat ascendere banchum suum iuris, & stare ad minus per horam, dummodo non sit actus inceptus, qui continuari possit etiam post dictas horas. Et quòd ponatur modus pulsandi ghioconum vnum quo intelligi possit de mane, & in octauis, quando consules volunt, & debent ascendere ad banchum pro iure reddendo, & alio modo quando descendere volunt, & debent. Et dominus potestas, & eius curia debent ascendere banchum pro iure reddendo.

## *Vt sententiæ sine scriptis latæ abbreuientur præsentibus consultoribus.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd consules iustitię Nouariæ suo sacramento teneantur facere imbreuiare notarijs suis omnes sententias per eos datas, præsentibus sapientibus, qui dederint consilium in causa super qua lata est. Et hoc habeat locum, si consilium daretur sine scriptis.

## *De sententijs & condemnationibus non fiendis, nisi in certis locis.*

SI fuero in ciuitate, vel suburbijs coherentibus ciuitati Nouarię, non sententiabo, neq; condemnabo aliquem, nisi in palatio, vel infra ambitum broreti communis Nouariæ, vel in merchato.

## *Quòd pars, pro qua altera soluerit, compellatur restituere.*

ITEM quòd consules iustitię Nouariæ teneantur, & debeant cogere, iuris remedijs, illam partem pro qua facta fuerit solutio, ad reddendum & restituendum id quod pro eo altera pars soluerit. Et hoc sub pœna & banno soldorum viginti imperialium, dandorum & soluendorum communi Nouarię. Et si dicti consules essent negligentes, & remissi in præmissis: quòd dominus potestas, & eius assessores, vel iudex exactor incontinẽti ad petitionem partis soluentis, teneatur & debeat partem non soluentem, & non restituentem, pecuniam non solutam, pro ipsa capere, detinere, & pignorare, vsque ad integram solutionem, appellatione aliqua non obstante.

## *De ordine causarum ciuilium.*

CVM alias per Illustrissimum Dominum Dominum Ioannem Galeaz Vicecomitem Dominum Mediolani &c. Nouariæ factum, & completum fuerit decretum, quòd & hodie decretũ obseruatur, & appellatum est decretum de ordine causarum ciuilium. Idcirco cùm fuerit decretum sanctum, iustum, & laudabile; Statuerunt ipsum pro statuto ponere, & quòd tanquàm statutum obseruetur, cuius copia sequitur, & est talis.

NOS Ioannes Galeaz Vicecomes, Comes virtutum, Dominus Mediolani, Imperialis Vicarius generalis. Volentes dispendia litium, ea qua possumus solertia, cohartare, & subditorum nostrorum indemnitatibus & commodis prouidere, necnon cautelas & fraudes malignantium refrenare, & vt vnicuique debitum iustitię ministretur, prę senti nostro decreto

ex certa scientia duximus statuendum. Quòd omnes & singulæ lites, questiones, & cõtrouersiç ciuiles, seu quę ciuiliter agitentur, & de cetero moueri contingerit coram quocunque iusdicente, Magistratu, vel assessore seculari ordinario, vel delegato ciuitatum, vel terrarum, seu locorum nostro dominio subiectorum, per, & inter quascunque personas seculares communia collegia, vel vniuersitates, vel inter aliquam personam, & cõmunitaté, vel vniuersitatem, quouis modo, & ex quauis causa, cognoscantur, decidantur, & fine debito terminentur, iuridicè, & seruatis statutis, decretis, ac ordinibus nostris, ac statutis illius ciuitatis, loci, vel terræ, vbi dicta quæstio mota fuerit: huic nostro decreto non obiuantibus: nec non reiectis cauillationibus, & friuolis, exceptionibus quibuscunque, per illum iusdicentẽ ordinarium, vel delegatum, Magistratum, vel assessorem, corã quo ipsa lis quæstio, vel causa, vel controuersia mota fuerit, Et hoc infra terminos super hoc inferius limitatos & declaratos, sub pœna iusdicenti ordinario, vel delegato, Magistratui, vel assessori, coram quo ipsa lis, quæstio, causa, vel controuersia agitabitur omittenti ipsam questionem, litem, causam, seu controuersiã infra terminos inferius limitatos: Et similiter cuilibet commissario & consultori omittenti dare consilium suum in scriptis infra terminos inferius limitatos, florenorum centum auri, applicandorum camerę nostræ & reficiendi expensas litis, vtrique parti.

Qui termini, & cognoscendi, & terminandi ipsas lites, quęstiones, causas, & controuersias, & in eis procedendi, hoc ordine limitentur, & limitati esse intelligantur.

*De instantia causæ principalis.*

VIDELICET quòd instantia causæ principalis non duret, nec durare posit, nec debeat vltra tempus & spacium quadraginta dierum vtilium, a die litis incepte cõputandos. Quæ incepta intelligantur petitione porrecta, & in actis dimissa, & parti legitimè notificata, vbi per viam libelli, vel petitionis procedatur. Qui libellus, vel petitio, qualiscunque sit, dummodo sit tollerabilis, admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure, & tollerabilis esse intelligatur, si continet personam actoris, & rei quãtitatem, rem, seu ius quæ petũtur, & causam petitionis, & a die contradictionis, seu comparitionis, oppositionis, seu querelæ notificatæ parti, vbi per viam contradictionis comparitionis, oppositionis, seu querelæ proceditur.

*De instantia primæ causæ appellationis.*

INSTANTIA verò causę appellationis interponendę, semel tantùm per vtranque partem: nõ duret, nec durare posit, nec debeat, prima videlicet causa apellationis vltra tempus & spacium viginti dierum vtilium.

*De instantia secundæ causæ appellationis.*

SECVNDA verò causa appellationis non duret, nec durare posit, nec debeat, vltra tempus spacium vigintiquinque dierum vtilium: Ita quòd omnibus cõputatis, videlicet tam temporibus instantiæ causæ principalis, quàm vtriusque causę appellationis, terminus octuagintaquinque dierum vtilium, saluis temporibus deputatis ad appellandum, vigore præsentis decreti, nullatenus excedatur, nec excedi posit, nec etiam dilatari, seu prorogari quocunque modo, sub pœna prædicta.

*De termino respondendi libello.*

VTQVE termini deliberandi, & respondendi petitioni, & probandi, & reprobandi, & alia faciendi in litibus, questionibus, causis, & controuersijs antedictis diuidentur, & ordine cõgruo limitentur. Et ne productiones iurium, & probationes cautelosæ, & in fraudẽ vsque prope finem litis differatur. Volumus, decernimus, & mandamus, quòd statim porrectione porrecta, & in actis dimissa, in causa principali, & parti notificata, vt supra, statutus sit, & esse intelligatur ipso iure, terminus vnius diei vtilis, immediatè sequentis, reo deliberandi, & respondendi dictæ petitioni, quo termino elapso, siue responderit, siue non, lis habeatur pro contestata.

*De termino quindecim dierum statuendo actori & reo probandi & producendi in causa principali. Et quòd omnibus positionibus respondeatur clarè & apertè*

ET elapso dicto termino vnius diei vtilis, vel cõtradictione facta, & parti notificata, vbi per viam

viam contradictionis, comparitionis, vel quærelę, proceditur, statim statutus sit, & esse intelligatur vtrique parti, videlicet actori, & reo terminus quindecim dierum vtilium, excipiendi, opponendi, petendi, & probandi per omne genus probationum ac producendi, & ostendendi quicquid dictæ partes, & quilibet earum voluerint in dicta causa. Ipsoq; termino elapso, statim quæcunque agitata, producta, & ostensa in dicto probationis termino, intelligantur & sint ipso iure publicata. Ita quòd de eis fiat copia si fuerit requisita. Et quòd quibuscunque positionibus, quæ fieri contingerit in quacunque causa, teneatur, pars respõdere infra terminum sibi per iudicem assignandum clarè, & apertè affirmando, vel negando de scientia, vel crudelitate, sine vlla contradictione, vel, protestatione. Alioquin respõsio aliter facta, pro non facta habeatur.

*De termino decem dierum reprobandi.*

Et immediatè post ipsum terminum, statutus sit, & esse intelligatur vtrique parti terminus decem dierum vtilium reprobandi, & impugnandi quæcunque producta, probata, & ostensa in dicto termino probatorio. Et si aliqua partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos & capitula tendentia ad reprobandum, probata, & producta per alteram partem in primo termino probatorio: tunc liceat illi parti, contra quam producta fuerit & cuilibet alteri, cuius intersit coadiuuare & corroborare per legitimas probationes probata & producta in dicto primo termino. Quo termino reprobatorio elapso, quæcunque agitata, producta, & ostensa in ipso termino intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de ipsis fiat copia vt supra.

*Quòd omnes exceptiones deferantur in fine litis, & videantur reiectæ, nisi in sententia fiat mentio.*

Statuentes quoque quòd omnes exceptiones, replicationes, & triplicationes, dilatorię, declinatoriæ, peremptoriæ, & cęterę cuiuscunque generis sint, de quibus non sit cognitum & decisum inter partes; sint saluæ vtrique parti in fine litis, tempore disputationis, ne ob hoc processus causę deferatur. Quæ quidem exceptiones, dilatorię, & declinatorię, & similes, reiectę intelligantur, si de ipsis in sententia, vel pronuntiatione ferenda super causa non fuerit facta mentio.

*De termino committendi appellationem, & quòd non dentur suspecti, & quòd fiat commissio in ciuitate.*

Deinde iusdicens, magistratus, vel assessor ordinarius, vel etiam delegatus, coram quo dicta lis, quæstio, causa vel controuersia vertetur; teneatur & debeat infra duos dies vtiles immediatè sequentes, post dictum terminum reprobatorium, ad requisitionem dictarum partium, vel alterius earum, committere ipsam litem, questionem, causam, seu controuersiam vni iuris perito, de confidentibus vtriusque partis erigendo, & si aliqua pars recusaret dare, vel contumax esset in dando confidentes suos, & tot quòd vnus concordetur, tunc dictus iusdicens, magistratus, vel assessor committere debeat dictam litem, questionem, causam, vel controuersiã vni ex cõfidentibus partis producentis confidentes, & non contumacis, vt supra. Et quòd deinceps dentur solummodo confidentes, & non suspecti in causa, residentes in ciuitate, vel in terra in qua quæstio verteretur, si in ea erit copia iurisperitorum. Et si non, tunc dentur de alijs residentibus in vna ex ciuitatibus nostris proximioribus illi ciuitati vel terræ in qua questio agitabitur.

*Vt Potestas, vel Consules, habeant consilium de questionibus ea die vel sequenti.*

Item statutum est & ordinatum, quòd potestas communis Nouariæ, vel eius assessores, & Milites, & consules iustitię, & quilibet alius iudex, tam ordinarius, quàm delegatus, etiam vigore litterarum ducalium, de quacunque quæstione diffinitiua vel interlocutoria, quę verteretur, & fuerit coram ipsis; Si denuntiatum, vel petitum fuerit ab eis; vt de ipsa questione habeant consilium cum iurisperitis per vtranque partem, vel aliqua ipsarum partiũ vel de cõmuni ad partem, vel de parte ad commune, teneantur, & debeant habere consilium in interlocutorijs ea die, si sint partes pręsentes, vel sequenti, qua fuerit denuntiatũ, vel petitum ab eis: dummodo requirens tale consilium super interlocutorijs deponat in manu iusdicentis totum salarium pro dicto consilio habendo, iuxta taxationem per ipsum iusdicentem faciendam, & si non deposuerit incontinenti antequàm iudex discedat a bancho

cho non audiatur talis requirens consilium. Et si deposuerit, debeat consultor cõsilium da re infra tres dies proximè, nisi vltima dies fuetit feriata. Alioquin procedatur in causa, ac si consilium non fuisset petitum in preiudicium requirentis. Super diffinitiuis verò dentur dictus sapiens & sapientes, & eorum cõsilio procedetur, & salarium statuatur per aduocatos, & sententia diffinitiua lata sine consilio sapientis si petitum fuerit per alteram partium non valeat, nec teneat ipso iure. Et vlterius si non fecerint, potestas ipso iure cadat a perceptione sui salarij vsque ad libras decem imperialium. Assessores verò, milites, & quilibet eius iudex forensis ipso iure cadant in pœnam soldorum sexaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice, & hęc locum in causis ciuilibus habeant, & pecuniarijs tantùm, & in interlocutorijs causarum criminalium. Et pœnæ prædictæ applicentur pro medietate parti læsę, & pro alia medietate cõmuni Nouarię. Saluo si esset quæstio inter cõmune Nouariæ, & aliam singularem personam, dictum statutum locum nõ habeat, circa sententiam diffinitiuam. Saluis alijs statutis, quibus tollitur consilium sapientis, Declarando quòd dies dati ad consulendum in interlocutorijs, non computentur in statutis instantiæ, nisi in causa fiant alia acta inter partes illis diebus.

*Vt victus victori condemnetur in expensis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd victus victori condemnetur in expensis, non obstante aliqua consuetudine hinc retro seruata in ciuitate Nouarię. Et hoc intelligatur secundum ius commune. Item hoc habeat locum, tam in diffinitiuis sententijs, quàm interlocutorijs, hoc addito, quòd siue habeat iustam causam, siue non, condemnatio fiat in expensis in interlocutorijs, & facta taxatione, soluere compellatur infra decem dies, & si consultor non consuluerit condemnãdam partem succumbentem in expensis in interlocutorijs, cadat in pœnam ipso iure & facto restitutionis salarij quod habuerit pro dicto consilio applican. parti vincenti.

*De sacramento consultoribus dando.*

QVI commissarius ipsam commissionem omnibus iuribus remedijs statim acceptare cogatur, & iurare, ad sancta Dei euangelia, tactis scripturis, quòd iustè & rectè consulet in causa sibi commissa, Deum præ oculis semper habendo, eiusque tremendum iudicium expectandum: quod sacramentum scribatur in actis causæ, vel de eo fiat publicum instrumentum, nec possit assumi vltra dictum commissarium, nec sibi dare debeat aliquis alius socius ad examinandum dictam quæstionem, nec ad consulendum de ea, nisi fuerit de ambarum partium voluntate, ne partes vltra debitum vexentur laboribus, & expensis.

*De termino octo dierum, qui restare debeat consultori.*

POSTEA verò dictæ partes statim compareant coram dicto domino commissario, & producant coram eo processus, & omnia acta agitata, & producta in lite, & causa prędicta, infra talem terminum, quòd dicto commissario post productionem ipsorum restent ad minus dies octo vtiles ad deliberandum & consulendum super dicta causa, sub pœna librarũ vigintiquinque imperialium, parti omittenti producere, vtsupra. Et plus & minus arbitrio iusdicentis.

*Quòd consultor subscribat consilium, manu propria.*

QVIBVS visis, & diligenter examinatis per dictum commissarium, & auditis allegationibus, quæ coram eo fieri voluerint per partes, & earum aduocatos, teneatur & debeat dictus commissarius pręsentare, vel præsentari facere, consilium suum in scriptis, eius manu propria subscriptum, super quæstione sibi commissa, ad banchum dicti iusdicentis, magistratus, vel assessoris, vtsupra, coram quo questio prædicta vertetur, ante finem dicti termini quadraginta dierum vtilium: de qua pręsentatione fiat subscriptio dicto consilio manu notarij causæ per quem & qua die præsentatum fuerit. Et idem fiat in actis dictę causæ, ita quòd dictus iusdicens, magistratus, vel assessor, iuxta formam dicti consilij possit, teneatur, & debeat suam diffinitiuam sententiam proferre, & publicare super questione prędicta infra terminum prædictum. Quæ pronuntiatio & publicatio facta esse intelligatur ipso iure, si iudex causæ omiserit proferre & publicare, vtsupra.

*Quòd iusdicens possit per seipsum pronuntiare.*

POSSIT tamen dictus iusdicens, magistratus, vel assessor, dictam questionem decidere, & terminare

terminare infra dictum terminum per se tantùm, & absque aliquo commissario eligendo; si fuerit de partium voluntate; quo casu iurare teneatur, & in actis scribatur prout supra in sacramento commissarij continetur, mutatis mutandis. Et quòd iusdicens nullum possit recipere salarium seu emolumentum sub pœna quadrupli, de quo possit, & debeat per omnia syndicari.

### De termino quatuor dierum ad appellandum.

LATA dicta diffinitiua sententia, vel facta dicta terminatione, vel diffinitione, possit pars que succumbuerit, & quilibet alius cui de iure liceat appellare, vel nullam dicere, infra terminum quatuor dierum continuorum, a die latę sententiæ, & scientiæ, & non vltra, ab ipsa sententia, vel diffinitione, seu terminatione appellare, vel nullam dicere, ad Illustrissimũ Dominum Dominum nostrum Ducem. Saluo tamen, quòd in causis, & casibus specialibus, in quibus prohibita sit dicta appellatio, vel nullitas a iure communi, vel ex forma statutorum, vel prouisionum illius ciuitatis, loci, vel terrę, in qua dicta lis, questio, causa, vel controuersia fuerit agitata, non liceat appellare. Et idem disponatur de nullitate, nec etiam ad aliquem iudicem appellationum, qui fuerit aduocatus, vel commissarius in causa, super qua lata fuerit sententia, a qua fuerit appellatum: nec qui sit agnatus, vel affinis partis appellantis.

### Quòd statuta tollentia appellationem sint sublata.

VOLVMVS tamen quòd super hoc præsens statutum derogetur, & derogatum esse intelligatur, statutis ciuitatum, & terrarum nostrarum, tollentibus in totum remedia appellationis nullitatis, querelationis, & restitutionis.

### Qualiter procedatur in causa appellationis.

QVA appellatione ac nullitate interposita, & procedatur, in ipsa causa appellationis, vel nullitatis coram dicto iudice, qui fuerit datus per dominum potestatem, vt appellans vel nullam dicens, teneatur appellationem prosequi, & terminari facere infra sex menses proximos. Alioquin sententia executioni mandetur; ad quam tamen inchoandam compelli nõ possit appellans ab appellato, nisi elapso mense a die appellationis interpositæ. Possit tamen ipse appellans statim ea interposita ipsam inchoare, & finire teneatur ipsam inchoatam infra terminum præsentium statutorum, ordine infrascripto videlicet, quòd cùm appellans vel appellatus voluerint ipsam appellationem, vel nullitatem prosequi, citari faciat aliam partem in scriptis, per terminum dierum trium continuorum, vt compareat coram potestate Nouariæ, vel eius vicario ad dandum confidentes pro dicta causa appellationis committenda. In quo termino fiat commissio confidenti dando de voluntate partium, vel alterius earum in contumacia alterius in ciuitate Nouarię, vel in ciuitate propinquiori, si non fuerint in ciuitate confidentes. Qua commissione facta teneatur appellans ea die, vel sequenti iuridica: si causa esset de ciuitate Nouarię vel districtu: alioquin si partes essent de extra iurisdictionem, die tertia sequenti iuridica post commissionem factam offerre libellum, seu petitionem suam in scriptis porrigere, & parti notificare personaliter, vel ad domum: quæ petitio, qualitercunque sit, dummodo tollerabilis, admittatur, & admissa esse intelligatur ipso iure. Et nulla litis contestatio exigatur, & iurare coram iudice dictę appellationis, se non dolo nec calumnia, sed credens iustam fouere causam, appellasse, vel nullam dixisse, ac satisdare de restituendo alteri parti omnia damna, interesse, & expensas litis prædictæ, quę passa fuerit, & quę taxata fuerint per iudicem dictæ causę, si ipse appellans, vel nullam dicens succubuerit in dicta causa appellationis, vel nullitatis, vel si ipsam appellationem, vel nullitatem non fuerit prosequutus, vsque ad finẽ, alioquin ipsi appellationi renuntiasse intelligatur. Et prima sententia firma maneat, & executioni mandetur.

### De termino octo dierum ad probandum.

Postquàm statim, & sine interuallo statutus sit, & esse intelligatur appellanti, & nullam dicenti, & appellato, vel contra quem, vel quos nulla dicitur, terminus octo dierum vtilium probandi, producendi, ostendendi, & opponendi, tam super nullitate, quàm iniquitate dictę sententiæ, & alijs ad ipsam causam pertinentibus, quicquid dictę partes, & quęlibet earũ voluerint, ipsoq; termino finito, statim omnia agitata, producta, & ostensa in ipso termino intelligantur, & sint ipso iure publicata, & de eis vtrique parti fiat copia, si fuerit requisita.

De

## *De termino sex dierum ad reprobandum.*

SVCCESSIVE verò statim statutus sit,& esse intelligatur ipso iure vtrique parti terminus sex dierum vtilum reprobandi,& impugnãdi,& excludendi quęcunque agitata, producta, & ostensa in dicto primo termino. Et si aliqua partium in ipso termino reprobatorio produxerit articulos vel capitula tendentia ad reprobandum probata & producta per alterã partem in primo termino probatorio. Quæ capitula,& articuli produci debeant per tres dies ante finem dicti termini reprobatorij,parte præsente vel legitimè ad hoc citata. Et sibi de ipsis capitulis & articulis copia dimissa personaliter,vel ad domum,& post produci non possint,nec admitti: Tunc liceat ipsi parti,contra quam producta fuerint, & cuilibet alteri,cuius intersit,coadiuuare,& corroborare per legitimas probationes probata & producta in dicto termino,quo termino reprobatorio elapso, quęlibet agitata, producta, & ostensa in dicto termino,intelligantur esse,& sint ipso iure publicata,& de eis fiat copia vt supra. Et quòd omnes exceptiones sint saluę in fine,& reiectæ intelligantur &c. vt supra in ordine principalis causæ superius continetur.

## *De sententia ferenda in causa appellationis.*

POSTEA verò iusdicens ordinarius,vel delegatus,vt supra,coram quo ipsa causa appellationis, vel nullitatis versa fuerit,dictam causam terminare, & iurare teneatur,vt supra,in prima causa principali,nec possit ei alius associari,nec alius,vltra ipsũ cõmissarium electũ vt supra,assumi vllo modo,coram quo commissario dictæ partes compareant & producant processus,& omnia acta dictę causæ appellationis & nullitatis,& iura sua,& ipse cõmissarius teneatur causam ipsam appellationis & nullitatis terminare infra viginti dies vtiles,ipsi causę limitatos,& suam sententiam in scriptis proferre.

## *Quòd sententia lata, quæ fuerit confirmata, executioni mandetur.*

POSTQVAM verò lata fuerit dicta sententia in causa appellationis, vel nullitatis, in quantum & quatenus confirmata fuerit prima sententia lata in causa principali, non liceat amplius prouocare,nec appellare a dicta sententia,nec nulla dici, nec eidem aliqualiter contrairi,nec contra eam quicquam excipi, vel opponi. Sed prout lata fuerit executioni mandetur omnibus iuris remedijs.

## *Qualiter procedatur in causa appellationis, si prima fuerit reuocata.*

SI verò per ipsam sententiam latam in dicta causa appellationis, vel nullitatis, fuerit dicta sententia prima annullata. vel reuocata,aut aliter reformata particulariter,vel in totum,tunc liceat subcumbenti in dicta causa appellationis,vel nullitatis, & cuilibet alteri, cui de iure liceat appellare, vel nullã dicere,infra terminum quatuor dierum cõtinuorũ, a die latæ sententiæ & sciẽtiæ & non vltra: A dicta tali sententia appellare & nullam dicere ad Illustrissimum Dominum D. nostrum. Qua interposita fiat commissio dictæ causę,& procedatur prout in prima causa appellationis est epxressum. In qua causa appellationis procedatur,& intelligantur esse termini limitati in omnibus & per omnia,prout in prima causa appellationis superius est expressum,mutatis mutãdis,congrua congruis referendo. Quę sententia omnibus iuris remedijs,prout lata fuerit,executioni mandetur.

## *Quòd præsentia statuta, quò ad ordinem, habeant locum in causis pendentibus & futuris, & quòd acta valeant.*

DECERNENTES verò præsens nostrum decretum etiam locum habere, & seruari debere in quibuscũqeue quæstionibus & causis pendentibus: & in cęteris de cętero incohandis, firmis manentibus actitatis & productis in dictis causis pendentibus.

## *Quòd consilia dentur clara, cum taxatione expensarum.*

ITEM quòd omnes & singuli commissarij,consultores, & iusdicentes teneantur & debeant eorũ cõsilia & sententias dare & proferre in scriptis clarè & apertè,& sine vlla cõdicione vel alternatione, Et in ipsis consilijs declarare & taxare expensas litis & interesse, in casibus in quibus pars in ipsis expensis damno vel interesse de iure veniat condemnanda, sub pœna florenorum centum auri,cuilibet consultori vel iusdicenti contrafacienti,vel omittenti facere, prout supra,cameræ nostræ applicandorum.

*Quòd præsens ordo non habeat locum in certis casibus.*

VERVMTAMEN nisi fuerit de partium voluntate ordo pręsentis decreti, & disposita in eo non vendicent sibi locum in questionibus datiorum: sed in eis pacta datiariorum, & decreta nostra & statuta seuper ipsis edita volumus inuiolabiliter obseruari: nec etiã in causis, quęstionibus, seu controuersiis motis vel mouendis occasione exclamationum, quæ fiũt pro bonis vendendis ad cridas, vel accipiendis insolutum. Sed in ipsis seruari volumus prouisiones super his spetialiter ęditas, & terminos statutos in eis: nec etiã in causis mercha-torum, quæ vertuntur coram consulibus merchatorum inter merchatores, & ex causa merchantiæ, Sed in ipsis seruentur statuta ipsorum merchatorum per nos confirmata: nec etiam in causis in quibus procedi potest breuiori via quàm via pręsentis decreti, temporibus appellationum, minimè commutatis per formam aliquorum nostrorum decretorum aut statutorum illius nostræ ciuitatis, vel terræ in qua huiusmodi causę agitabuntur. Sed seruentur in eis decreta & statuta prædicta, vt breuius terminentur, ne partes expensis & protellationibus litium nimium agrauentur, nec etiã in compromissis factis & fiendis in amicos cõmunes de partiũ volũtate, aut ex dispositione alicuius nostri dcereti vel statuti.

*De modo procedendi contra absentes.*

PRETEREA ædicimus & ordinamus, quòd si de cetero contingat aliquam litem, quæstionem, causam, seu controuersiam moueri contra absentem in longinquis partibus, vel extra territorium ciuitatis, vel terræ in qua quæstio agitatur, iusdicens teneatur dare & assignare tali absenti, vt supra citato, vel citando, facta prius fide summatim, prout iusdicenti videbitur, de tali absentia, terminum competentem ad comparendum per se, vel legitimũ procuratorem, videlicet, singulos dies pro singulis viginti miliaribus, pro eundo, & totidem pro redeundo, & vltra arbitrio iusdicẽtis: dummodo arbitrium iusdicentis non excedat vltra terminum vnius mensis continui, nec sit breuior octo dierum. Et quòd talis citatio absentum fieri possit ad lapidem broreti communis Nouariæ, per pręconem alta voce, & dimissa copia citationis in scriptis ad pillonum arengherię. Et quòd citatio taliter facta, intelligatur legitimè facta, ac si facta foret ad domum citati. Quo termino elapso, & non ante, incipiant currere tempora pręsentis nostri decreti.

*De modo procedendi quando probationes sunt absentes.*

ITEM quòd si aliqua partium voluerit producere in causa aliquos testes absentes, vel instrumenta quæ essent extra territorium iusdicentis, tũc nominatis dictis testibus, & instrumẽtis quibus semel nominatis nihil addi possit. Et si facta fide sũmatim de huiusmodi absẽtia, & carentia instrumentorum, extra territorium existentium, iudici litis, prout sibi videbitur, & parte iurante ad sancta dei Euangelia, corporaliter tactis scripturis, quòd hoc nõ facit, nec fieri petit dolo, nec calumnia, nec in fraudem, nec animo protellandi, litem sed putans ipsis testibus & instrumentis indigere ad probationem iuris sui. Eo casu assignetur sibi per iudicem litis terminus competens secundum distantiam locorum, & negotij qualitatem, infra quem dicti testes recipi & examinari possint, debita forma iuris, eorumq; dicta iudici litis solemniter pręsentari, & ipsa instrumenta produci; & in eo termino assignando, vt supra, possit etiam altera pars ostendere & probare de iure suo quicquid voluerit: quo termino pendente non currant tempora huius nostri decreti, nisi termini statuti ad probandum, quo ad testes & alias probationes præsentes.

*Qualiter procedatur contra minores.*

ITEM si deinceps cõtingat vllam litem, quęstionem, causam, seu cõtrouersiã moueri alicui pupillo, vel minori, furioso, vel mentecapto, vel simili personæ, tutore vel curatore carẽti, ne talis persona remaneat indefensa, nec ius suum pereat propter carentiam legitimi defensoris, teneatur & debeat, agere volens contra aliquem ex prędictis, prius citari & moneri facere aliquos ex suis proximioribus agnatis, vel attinẽtibus, si qui erũt pręsentes. Et si non adessent, aliquos ex proximioribus amicis & vicinis eiusdem, & vnà cum eis, vel saltem eis præsentibus, aut legitimè citatis, instare & requirere corã iudice cõpetenti, quòd ipsi, cõtra quẽ ipsã litẽ moueri voluerit, detur & decernatur ꝑ dictum iudicem cum solemnitatibus oportunis tutor vel curator idoneus, secũdũ cõditionẽ personæ, cui decernẽdus erit generalis, vel saltem specialis ad litem prædictã, cũ quo possit iudiciũ incohari, & qui

iura illius cui dabitur defendere debeat. Qui iudex infra triginta dies continuos, a die requisitionis sibi factæ computandos, prouidere eidem de idoneo tutore vel curatore, vt supra, ad dictam tutelam, seu curam, seu defensionem subeundum teneatur compellere suos agnatos, cognatos, vel affines, prout ipsi iudici videbitur, cum cautionibus, obligationibus, sacramentis, decreto, & iuris solemnitatibus opportunis, sub pœna librarum quinquaginta tertiolorum, cameræ nostræ applicandarum.

*De pœna iudicis qui male iudicauit.*

Si quis autem iusdicens, magistratus, vel assessor, a seipso, absque consilio alterius protulerit aliquam sententiam iniquam & iniustam, in totum vel in partem, aut aliquis cõmissarius, vel consultor iniquũ, vel iniustũ consilium dederit in totũ vel in partẽ. Quæ iniquitas vel iniustitia ex actis & productis in causa, super qua dicta sentẽtia lata fuerit, vel dictum consiliũ datũ, vel aliter legitimè detegatur, si scienter & dolosè hoc fecerit, incurrat in pœna pro vno denario quatuor, quantitatis seu extimationis rei de qua fuerit questio applic. pro medietate cameræ nostræ, & pro alia medietate dãnũ passo. Et vlterius priuetur omni officio & beneficio aduocandi, iudicandi, & consulendi, & quolibet priuilegio, & beneficio sui collegij imperpetuum. Si verò per imperitiam vel ignorantiam, tunc teneatur reficere parti ex hoc lesæ damnũ, cum expensis per ipsam partẽ passis, secundum quòd iudici equũ & iustũ videbitur. Quarũ quidẽ pœnarũ, de quibus supra fit mentio, necnon pœnæ impositæ nõ terminãdo questiones in terminis limitatis, cognitores & executores esse debeãt illi quos super hoc duxerimus deputãdos, corã quibus quibelit volẽs querelari de prædictis teneatur suam querelam in scriptis producere infra sexaginta dies immediatè sequentes, post dictam sententiam latam, vel consilium datum: quo termino elapso non audiatur.

*Qui sunt executores pœnarum.*

Qui, cognitores & executores, tam circa cognitionem & executionem dictarum pœnarũ, & cuiuslibet earum procedere teneantur summariè, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, solaque facti veritate inspecta, & omnibus iuris remedijs, prout expediens fuerit, & eis videbitur conuenire. Et nihilominus si quis conqueri voluerit de aliquo iudice vel commissario, quòd sententiam iniustam vel iniquam tulerit, aut consilium iniquum vel iniustum dederit, hoc etiam in scriptis significare posit infra terminum antedictum, quia bene sibi ius faciemus contra prædicta.

*De pœna testium recusantium testificari.*

Volumus insuper quòd in omni causa omnes & singuli testes producendi per aliquã partium cogantur indilatè per iudicem litis realiter & personaliter, ac omnibus iuris remedijs, ad iurandum veritatis testimonium perhibendum in dicta causa, sub pœna cuilibet testi inobedienti librarum quinquaginta tertiolorum, & plus, & minus arbitrio iusdicentis, inspecta qualitate facti & conditione personarum, cuius quidem pœnæ medietas cameræ nostræ applicetur, & alia medietas parti ipsum testem producere volenti. Quæ pœna statim per iudicem litis exigatur.

*De pœna Notariorum, qui recipere debent testes.*

Notarii autem qui recipere debent testes ad examinandum & recipiendum testes, statim postquàm electi fuerint, & non recusauerint, eadem die, vel sequenti teneantur & debeant iurare coram scripturis. Quòd testes producendos benè & diligenter examinabunt & interrogabunt, eorumquè dicta & testimonia fideliter recipient, & scribent vel scribi facient pro vtraque parte, bona fide, & sine fraude, omni dolo cessante. Eruendo ab ipsis testibus veritatem eius quod sciuerint de negocio super quo producti fuerint, cum interrogationibus debitis, & nõ superfluis, nec cauillosis; & nõ deuiãdo vllo modo tramite veritatis & iustitiæ. Et quòd seruabunt statuta super prædictis ædita. Et quòd non propalabunt, neque manifestabunt vllo modo directè vel indirectè verbo, nutu, vel ostensione dicta testium alicui partium, nec alteri personæ: sed ea tenebunt & teneri facient secreta, donec fuerint publicata, sub pœna florenorum vigintiquinque auri cameræ nostræ applican. vltra pœnas a iure limitatas.

*Quòd instrumenta semel producta iterum producantur.*

ITEM quòd quelibet partium, quæ in iudicio produxerit aliqua instrumenta, acta, vel scripturas, teneatur, & debeat, non obstante productione aliàs facta, quandocunque ad instantiam partis & cuius intersit, ea vel eas reprobare volentis, & iurantis sese non dolo, nec calumniç causa hoc petere, ipsa instrumenta, acta, vel scripturas, quibus vsa fuerit aliàs, iterum de nouo producere, in actis dimittere, & etiam parti requirenti, vt supra, copiam facere. Et ad hoc cogatur, & cogi possit per quemcunque iusdicentem, omnibus iuris remedijs, etiam per personalem detentionem.

*Quòd in prædictis sit salua voluntas Principis.*

DECERNENTES & mandantes prędicta omnia & singula debere sanè intelligi secundum bonam & reectam inttionem nostram, quibuscunq; cauillationibus circumscriptis, ac pro lege, & decreto nostro inuiolabiliter obseruari, & publicè diuulgari, & in volumine alio rum decretorum nostrorum, & statutorum ciuitatum, & terrarum nostrarum inseri, & describi, non obstantibus aliquibus legibus, decretis, ordinibus, statutis, seu prouisionibus nostris, vel ciuitatum, & terrarum nostro dominio subiectarum, vel alicuius earum, vel aliquibus alijs constitutionibus, vel iuribus communibus, vel municipalibus huic nostro decreto obuiantibus, vel derogantibus quoquomodo: quibus, in quantum obuient vel derogẽt dumtaxat expressum & ex certa scientia derogamus. Nobis tamen reseruata potestate ad arbitrium nostri mutãdi, corrigendi, declarandi, interpretãdi, & minuendi, diminuẽdi, & quouis alio modo disponẽdi: & prout nobis videbitur expedire. In quorũ testimoniũ &c.

*Qualiter detur iudex appellationis.*

ITEM volentes in causis appellationum iudices constituere, præsenti decreto statuimus quòd appellans a quacunque sententia cuiusuis iudicis vel iusdicentis ciuitatis vel terræ nostræ, teneatur petere iudicem appellationis a potestate, vel alio superiori magistratu ciuitatis vel terræ illius vbi primò questio sit terminata. Qui potestas vel magistratus statim teneatur & debeat, omnibus iuris remedijs, partes cogere inter quas dicta questio agitatur, ad dandũ confidentes eorũ in questione præfata; & reperto partiũ cõfidenti, iusdicẽs teneatur, nõ tanquã potestas vel iusdicẽs, sed tanquã delegatus noster, in hac parte spetialiter cõstitutus, causã ipsius appellationis, & nullitatis cõmittere, audiẽdã, examinãdã, & fine debito terminandã. Et si altera partiũ nõ cõparuerit ad dãdũ cõfidẽtes suos in scriptis, infra tẽpus ab ipso potestate vel magistratu statutũ, vel cõparuerit, & similiter nõ dederit, tũc liceat suprascripto potestati, seu magistratui cõmittere questionem prędictam alteri ex cõfidẽtibus partis cõparentis. Dãtes confidẽti prędicto auctoritatẽ & omnimodã iurisdictionẽ quã haberet si foret a nobis ad hoc specialiter delegatus. Quod decretũ nostrũ in appellationibus, tam interpositis, quàm interponẽdis locũ habere decernimus. In quorum.

*De declinantibus iurisdictionem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd decretum ducale tenoris subsequentis habeatur, & obseruetur etiam pro statuto. Cuius decreti tenor sequitur, vt infra sub rubrica.

*Quòd non possit declinari iurisdictio Magistratus.*

NOS Franciscus Sforcia Vicecomes, Dux Mediolani &c. Cremonę Dominus, Cupientes obuiare nonnullorum fraudibus; qui in creditorum suorum præiudicium, Magistratuum, & iusdicentiũ nostrorũ forum declinare conantur; præsentium tenore decernimus & mandamus quòd nullus, cuiuscũque conditionis, gradus, ordinis, status, aut præheminentiæ existat, debitor alicuius; cuius aut subditi nostri, aut quouismodo tenens, aut possidens de cuiusuis bonis, ciuis, aut subditi nostri prædicti, possit occasione alicuius ordinis, dignitatis, aut status, vel priuilegij de nouo acquisiti, vel de nouo acquirendi, postquàm debitor fuerit, aut bona tenere, vel possidere ceperit, vt præfertur, dictorum Magistratuum, siue iusdicentium forum & iurisdictionem, quacunque causa, vel ingenio declinare, & ab eis se eximere. Sed ita coram magistratibus & iusdicentibus prędictis respondere teneatur, & eisdem subijciatur in omnibus, & per omnia, quò ad debita contracta, & bona prædicta, quemadmodum ante acquisitionem dicti ordinis, dignitatis, status, aut priuilegij tenebatur respondere, & subiectus erat, quibuscunque, lege, statuto, aut decretis nostris in contrarium non obstantibus. In quorum &c.

*Ne quis pro alio respondeat in quæstione facti.*

ITEM quòd nullus iudex, siue aduocatus, vel alius, qui iuuet hominẽ pręstando patrocinium debeat respondere in quęstione facti pro principali persona. Sed ipsa principalis persona respondere teneatur, absentibus aduocatis vtriusque partis, & procuratore partis respõdentis, in casu in quo respondendum sit de iure quęstioni facti: & permittãt ipsi aduocatus siue procurator ipsam personam principalem respondere. Et qui contrafecerit, potestas, seu consules teneantur auferre ei pro banno pro vna quaque vice soldos quatuor imperialium, nisi pricipales personæ sint indiscretę, personæ.

*De sacramento calumniæ præstando, & eius capitulis.*

IMPRIMIS ordinauerunt, prouiderunt, & statuerunt, quòd litigatores iurare debeant de calumnia, secundum formam iuris communis, specificatis, & declaratis ipsis litigantibus capitulis ipsius sacramentis, videlicet, quòd credunt se iustam causam fouere. Et quòd ad interrogationes & positiones iuridicas respondebunt verum, secundum eorum credulitatem. Et quòd non dabunt, vel permittant, nec dederunt, vel promiserunt per se, vel alium nec aliquem alium actum facient, vel fecerunt, propter quod vel quem sententia falsa detur. Et quòd nullam dilationem petent, propter quam lites in aliquo retardentur, seu differentur. Et quòd statutum communis Nouariæ positum sub rubrica, de iuramento calumnię fieri non faciendo, quod statutum est in secundo libro statutorum prædicti communis, sit cassum, & irritum, & pro casso, & irrito habeatur. Et pręsens statutum nouum locum habeat, tam in litibus pendentibus, quàm in futuris. Et quòd non obstante quòd sacramentũ calumnię prestetur, fiat condemnatio in expensis, perinde ac si non esset præstitum.

*De non veniente ad terminos, & responsiones faciendas.*

ITEM statutum est, si lite contestata, aliquis ex litigatoribus ad terminum non venerit, vel nuntium non miserit, seu aliquis pro eo defensor non extiterit, componat pro banno denarios duodecim, nisi talis iusta causa interfuerit, propter quam visum fuerit excusandum: & totidem si ad terminum libelli non venerit, & vtroque casu restituat operas amissas aduersę parti, & expensas arbitrio consulum.

*De capitulis, & positionibus dandis in exemplum.*

CAPITVLA, super quibus quis probaturus est, dari faciam in exemplum, expensis petentis ipsa capitula, si a me petitum fuerit. Idem sit in positionibus.

*Quòd in dilatione data possint testes quandocunque produci.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd liceat cuilibet, & posit in qualibet dilatione sibi data, vel pręfixa ad probandũ, vel reprobandum pręsentare omnes suos testes quos voluerit, & ipsos facere iurare, citata altera parte, vel pręsente, pendente ipsa dilatione, non obstante aliqua consuetudine hactenus obseruata.

*De testibus vsque ad certum numerum cogendis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd in vnaquaque causa seu questione, super vnoquoq; capitulo posit cogi ad testimonium reddendum vsque ad septem testes, & non vltra: nisi in casibus vbi maior numerus requiritur quàm duorum testium.

*Quòd quæcunque capitula & testes admittantur. Saluo iure opponendi.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd quæcunque capitula facientia ad causam, etiam si dicantur multiplicia, vel obscura admittantur, & similiter quicunque testes, etiam si dicantur intestabiles, cuiuscunque condictionis, & status, vel dignitatis existant. Saluo iure disputandi, & opponendi, tam contra dicta & personas ipsorum testium, quàm etiam opponendi, de impertinentia ipsorum capitulorum.

*De bannitis ad testimoninm recipiendis, vel non.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd si aliquis bannitus fuerit a potestate, vel eius officialibus, vel ab alijs officialibus Nouariæ, de crimine propter quod infamis, & propter quod a testimonio repelletur, talis bãnitus ad testimoniũ non admittatur. Si verò bãnitus fuerit a potestate, & eius officialibus, a consule seu cõsulibus, propter aliquã requestã, vel pro termino

mino fallato, vel pro quauis alia causa, propter quam infamis de iure nō fiat, nihilominus admittatur ad testimonium.

### *De his qui negauerint positiones de agnatione vel cognitione.*

ITEM si contingat in iuditijs, seu litibus, vel controuersijs, per modum positionum, vel per modum iuridicum, litigatores, vel aliquem ex eis debere respondere super agnatione, vel cognitione aliquarum personarum, quæ dicantur esse, vel fuisse vsq; ad tertium gradum inclusiuè, secundum iura canonica computan. de matrimonio inter aliquas personas contracto, vel de morte alicuius, & litigator, seu litigatores per veritatem vel credulitatem negauerint dictam agnationem, vel cognitionem, vel affinitatem, vel mortem, seu matrimoniū, & contrarium probatū fuerit, saltem per vocem, & famam, quòd prædictus qui negauerit incurrat in pœnam librarum vigintiquinque imperialium, quam statim iusdicēs per remedia iuris exigere teneatur, petitione sapientis, & appellatione, ac quacunq; alia dilatione cessantibus, & cuius pœnæ medietas sit communis Nouariæ, & alia medietas partis contra quam negatum fuerit.

### *Qualiter positiones haberi debeant pro confessis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd postquàm prestitum fuerit iuramentum calumnię in qualibet causa, siue ordinaria, siue summaria, siue delegata per alteram partiū, & præceptum factum fuerit per iusdicentem parti, vt respondeat positionibus factis per aliam partem interrogando, iubendo. Et quòd præceptum fieri possit etiam in prima vice parti præsenti. Statuendo terminū cōpetentē ad ipsis positionibus respondendū, ad minus vnius diei vtilis, si pars, cui tale præceptum factum fuerit in termino nō respondiderit, tales positiones habeantur pro confessis, etiam nulla facta pronuntiatione per iudicem, nisi ex causa fuerit terminus prorogatus. Similiter si positiones mittantur per copiam parti, & statuatur eidem bina dilatio ad respondendum positionibus; dum tamen dictę citationes, siue dilationes mittantur in scriptis, & dimittantur parti, vel domui habitationis eius; & dummodo in vna ipsarum citationum sit pars inuenta personaliter, & citata, vt respondeat dictis positionibus; & pars in termino non comparuerit ad respondendum. Quòd dictæ positiones habeantur pro confessis, ac si fuisset factum præceptum interrogando, iubendo. Similiter intelligatur de interrogationibus. Et eodem modo procedatur contra syndicum, torē, curatorē, procuratorē, vel alias personas, pro alijs in iudicio legitimè interueniētes.

### *De citatione ad videndum fieri commissionem, & commissionibus in certis casibus fiendis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd ad audiendum fieri commisionem questionis diffinitiuæ sufficiat vnica citatio in scriptis quæ non sit minor vna die vtili, & non possit excedere terminum trium dierum vtiliū postquàm pars citata fuerit personaliter inuenta, vel postquàm fuerit domui vel familiæ ipsius citatio præsentata, in qua citatione fiat mentio banchi, vbi est commissio facienda actoris rei, & causæ, ac diei, & horæ comparendi. Ad vidēdum verò fieri commissionem super aliquo dubio vel dubijs, de quo, vel quibus veniat ferenda sententia interlocutoria de consilio sapientis, similiter sufficiat vnica citatio oretenus, quę non possit excedere diem vnum iuridicum, postquàm pars citanda fuerit personaliter inuenta, vel postquàm citatio fuerit domui vel familiæ ipsius præsentata. Si verò ambabus partibus præsentibus aliquid, seu aliqua fuerit in dubium reuocata, super quo seu quibus veniat interlocutoria ferenda de consilio, vt supra, tunc iudex, coram quo prędicta, vel aliquod prædictorum in dubiū reuocabuntur, vel eius collega, possit, teneatur, & debeat antequàm discedat a bancho, super dictis dubijs, vno vel pluribus facere commissionem vni ex sapientibus collegij iudicum ciuitatis Nouariæ, reperto in numero confidentium, qui dabuntur per vtranque partem, vel alteram ipsarum; parte altera suos confidentes non dante. Et actus aliter factus sit nullus. Et consul qui recusauerit commisionem facere super interlocutoria, cadat in pœnam soldorum decem, pro qualibet vice, qua fuerit requisitus.

### *De citationibus ad videndum fieri sententiam diffinitiuam vel interlocutoriam.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd ad videndum & audiendum fieri sententiam diffinitiuam, sufficiat vna citatio in scriptis missa, triū dierū, a die citationis pręsentatæ personæ

citan-

citandæ, vel domui, & familię habitationis ipsius. Ad videndum verò & audiendū ferri sententiā interlocutoriā, sufficiat vna citatio, quę non possit excedere vnā diem iuridicā, postquā pars citanda fuerit personaliter inuēta, vel citatio domui, & familię ipsius pręsentata.

*Quòd vltima dies termini, vel citationis, intelligatur die sequenti non feriata.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt quòd vltima dies, vbicunque alicuius termini, vel citationis inciderit in diem feriatam, sufficiat comparere die sequenti proximè non feriata. Et ea die sit, & intelligatur esse vltima dies ipsius termini, vel citationis.

*Quòd petitio habendi copiam non retardet processum causæ.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd petitio habendi copiam alicuius scripturę, vel aliquorum processuum, seu actorum, nisi sint positiones, vel instrumentum, seu instrumenta publica, non habeant retardare processum causę. Sed notarius, qui scripsit, teneatur parti petenti dare copiam processuum, scripturæ, vel actorum. Et nihilominus procedatur ad vlteriora in causa.

*Quòd sententiæ diffinitiuæ, vel interlocutoriæ quolibet tempore fieri possint.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd quæcunq; sententia tam difinitiua, quàm interlocutoria, per quam interlocutoriam aliquis articulus qui in aliqua causa in dubium reuocatur veniat decidendus, posit fieri i quibuscunque diebus etiam feriatis, dummodo introductis ob necessitates hominum. Et ad eas vel alteram earum audiendum possint citationes dictis partibus emanari, & eisdem pręsentibus posit appellari in casibus a iure permissis.

*De acceptatione, seu repudiatione fienda per notarios, qui eligentur ad recipiendum dicta testium.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd notarius, seu notarij, qui eligentur ad examinandū, seu recipiendum dicta alicuis testis, vel testium, vel cui, seu quibus examinatio testis, seu testium committetur, teneantur ipsam comissionem, vel electionem acceptare, vel repudiare ea die, vel sequenti, qua eisdem facta fuerit fides de dictis electione vel commissione. Et quòd non facta dicta repudiatione infra dictum terminum, dominus potestas, & eius vicarius, ad instantiam cuiuslibet partis, & quilibet iusdicens in ciuitate Nouarię, teneatur & debeat dictos notarios, seu notarium omnibus iuris remedijs, cogere & compellere ad exequendum dictam examinationem, seu receptionem, & ad insistendum continuè, horis congruis, examinationi, & receptioni, prædictis.

*De causis incidentibus specialiter exprimendis, & vt solùm ad expressas respectus habeatur.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd in quibuscunque causis emergentibus, vel incidentibus, seu in his quę per sententiam interlocutoriam terminari debent, si pars aliqua agendo vel defendendo, aut contradicendo aliquid dicat, vel petat fieri, vel non fieri debere, quęlibet partium teneatur, & debeat ea die, qua ipsa pars dicit, vel petit aliquid fieri, vel non fieri debere, vel prima die iuridica postea sequenti, causam & causas exprimere, & assignare propter quam & quas partes dicant, vel petant illud fieri, vel fieri non debere. Et si super hoc oretenus, vel in scriptis contingeret aliquam commissionem fieri alicui iurisperito, ipse iurisperitus, cui fiet ipsa commissio, respectum debeat habere solùm ad causas spetialiter expressas, & assignatas: & non ad alias causas, nisi in aliqua parte processus sint expressæ. Et secundum illas causas tantùm, prout sibi videbitur, suum consilium dare teneatur; & pars non exprimens causam, vel causas in pręmissis, non audiatur in expressione, seu allegatione aliarum causarum, quantùm ad articulum, de quo erit facta commissio, donec decisio, seu sententia erit facta, seu lata super ipso articulo, de quo erit facta commissio. Et per prædicta non intelligātur esse sublatæ aliæ dilationes, quæ ex forma statutorum, vel iuris communis sint dandæ.

*Quòd commissioni interlocutoriæ renuntiari non possit nisi in certis casibus.*

ITEM quòd facta commissione super aliquo articulo, de quo interlocutoria ad eius decisionem veniret ferenda, quòd ipsi commissioni per vnam partium renuntiari non posit, nisi de voluntate alterius, nisi ipsa pars renuntiare volés expensas factas restituat alteri parti,

seu depositum faciat de quantitate, quę taxabitur per iudicem, seu consulem, coram quo questio esset de expensis restituendis, quas restituisset si interlocutoria fuisset data, & condemnatus esset ipse renuntians in expensis.

*De sacramento præstando ab eo qui se opposuerit liurationi fiendæ.*

Item, statuerunt & ordinauerunt. Quòd si contingerit aliquam personam, seu personas se opponere contra aliquam liurationem vel essecutionem fiendam antequàm fiat, vel etiam postquàm facta fuerit in futurum: Aut velle ipsam executionem, vel liurationem impedire, ratione sui crediti, vel aliquorum instrumentorum ratione, vel iurium suorum. Quòd illa persona, seu personæ teneantur & debeant, si requisitæ fuerint, iurare ad sancta Dei euangelia, corporaliter tactis scripturis, quòd illud creditum, de quo fidem faciant prima facie, & illa instrumenta, & iura quæ producent, esse vera, & nõ ficta, nec simulata in totum & quòd verè habere debent quantitates crediti, de quo prima facie fidem faciãt. Et quòd bona in ipsis instrumentis, quę producunt, nominata, ad eos spectent, & pertineant iure dominij quasi vel in eo iure quo se oponent, aut impedire vellent ipsam liurationem, vel exequtionẽ. Et quòd si de aliqua parte iurarẽt quòd non essent ficta nec simulata, quòd in ea solùm parte, de qua iurauerint valeant. Quod sacramentum ea die qua se opponent facere teneatur & iuramenta prædicta facere teneantur, si instrumenta illa, & iura in eorum personis sint confecta; & si in personis aliorum, a quibus causam haberent ex titulo vniuersali vel singulari, ipsum sacramentum de credulitate tantùm facere teneantur. Aliàs illi qui sacramenta prædicta, secundum modum prędictum, facere recusauerint, aut neglexerint, & voluerint se opponere, aut impedire ipsam liurationem, seu executionem, in ea parte in qua ipsum sacramentum facere recusauerint non audiantur.

*Ut terminus a nouo iudice nisi in certis casibus non detur.*

Item statuerunt & ordinauerunt, quòd terminus a nouo iudice non detur, nisi ad audiendum sententiam diffinitiuam, vel interlocutoriam, vel ad aliquem actum explicandũ, ad quem fuisset facta citatio per iudicem præcedentem.

*Quòd responsiones positionum non portentur in scriptis.*

Item statuerunt & ordinauerunt, quòd responsiones positionum non portentur in scriptis, sed teneatur ius reddens vinculo sacramenti legere, seu legi facere ipsas singulæ personæ respondere debenti, & facere eis singulariter responderi: absq; eo quòd respondens habeat aliquam scripturam ante se in qua legat, seu legere possit tempore quo ipsis positionibus respondebit. Et hoc statutum non habeat locum quò ad rusticos & masculos ignaros litterarum, nec quò ad mulieres, quibus sit licitum respondere ipsis positionibus per procuratorem. Hoc addito quòd si contingeret responderi velle per procuratorem aliquibus positionibus per alias personas, superius non exceptuatas, & ipsum procuratorem habere mandatum in publicam formam de respondendo talibus positionibus cum debito sacramento calumnię prestando per procuratorem in animam constituentis: & in ipso mandato contineatur responsio in forma debita, tunc admittatur responsio fienda per procuratorem. Et etiam si tempore responsionis fiendæ ipse procurator diceret se non potuisse expediri fecisse suum mandatum in publicam formam, & tamen certificaret partẽ aduersam de responsione, in qua forma fieret, & mandatum offerret dare in crastinum, quòd similiter admittatur responsio fienda per procuratorem.

*Quis dicatur actor, & quis dicatur reus in causa appellationis.*

Item statuerunt & ordinauerunt quòd in causa appellationis habeatur pro actore ille qui obtulerit libellum prosecutorium in dicta causa, vel ex eius parte oblatus fuerit dictus libellus, & ille contra quem oblatus fuerit, habeatur pro reo, quantùm ad dilationes, de quibus fit mentio in dictis statutis positis sub rubrica, de terminis in libellis causæ appellationum seu nulitatum &c. Item sub rubrica de terminis probandi & probatam habendi statutis actori, item sub rubrica, de terminis probandi & probatum habendi statutis reo &c. item sub rubrica, de productionibus instrumentorum &c.

*Quòd non detur terminus ad denuntiandum.*

Item statutum & ordinatum est quòd in causis non detur terminus ad denuntiandum, & quòd

quòd omissio petitionis termini prędicti non obsit conuicto, quominus habeat regressum de euictione, denuntiatione in tempore debito facta.

*De sententijs Potestatis, consulum, & aliorum officialium non retinendis.*

SENTENTIAS & statuta scripta illorum consulum iustitiæ qui exituri sunt de consulatu non infringam, nec mutabo scienter, nisi per beneficium restitutionis in integrum, vel nisi sententia fuerit ipso iure nulla. Et idem sit in sententijs potestatis, & assessorum suorũ & aliorum officialium.

*De ferijs.*

ITEM statutum & ordinatum est. Quòd a festo beati Thomæ Apostoli vsque in festum sancti Iuliani inclusiuè, quod celebratur die septimo Ianuarij: Et a festo ramis palmarũ vsque ad Dominicã die immediatè sequentem festum Resurrectionis Domini, & in festo Penthecostes, & duobus diebus subsequentibus, & in die carnispriuij, & etiam in die lune præcedenti diem carnispriuij, & in die mercurij subsequenti diem carnispriuij, & in festiuitatibus inferius memoratis, videlicet, sancti Antonij, sanctæ Agnetis, sancti Gaudẽtij, Cõuersionis sãcti Pauli, & sancti Iulij, quæ celebrãtur de mẽse Ianuarii, Item sanctę Marię, sancti Blasii, sanctæ Agathæ, sanctæ Apoloniæ, Cathedra sancti Petri, sancti Mathiæ, sancti Florentij de mense Februarij, Item sancti Thomæ de Aquino, sancti Gregorij, sancti Benedicti, sanctæ Marię, sancti Ioseph de mense Martij, Necnon sancti Georgij, sancti Marci, sancti Petri martyris, sancti Laurentij de mense Aprilis. Item sanctorum Iacobi & Filippi, sanctæ Crucis, sancti Victoris, sancti Bernardini de mense Maij, Itẽ de mẽse Iunij, sancti Bernardi, sancti Ioannis Baptistæ, sancti Petri Apostoli: Et de mense Iulij, sanctę Margaritę, sancti Quirici, sanctorum Iacobi & Christophori, sanctæ Marię Magdalenæ, sancti Nazarij, sanctę Marthę: Item de mense Augusti sancti Laurentij, sancti Gaudentij, sanctæ Mariæ, S. Rochi, sãcti Bartholomei, sancti Augustini, Decol. sancti Ioãnis: De mẽse Septẽbris, sanctę Mariæ, sancti Agabij, sanctæ Crucis, sanctæ Euphemię, sancti Mathei Apostoli, sancti Michaelis, & sancti Hieronimi: De mẽse Octobris, sancti Francisci, sancti Lucæ, sãctorũ Simonis, & Iudæ. De mense Nouembris, omnium Sanctorum, Commemorationis mortuorum, sancti Martini, sancti Clemẽtis, sanctæ Catherinæ, sancti Andreæ. Et de mense Decẽbris, sancti Nicolai, sancti Ambrosii, sanctę Luciæ, & sancti Thomæ. Et diebus Dominicis totius anni, iustitia nõ reddatur, scilicet, sit suspensa, & etiam sit suspensa iustitia propter messes a festo sancti Bernardi, quod celebratur quintodecimo Iunij, vsque ad festũ sancti Gaudenti; quod est die tertio Augsti: & a festo sancti Mathei, quod celebratur die vigesimo primo mensis Septembris, vsque ab calendas Nouembris, propter vindemias, & sint & esse inteligantur ferię, & causę suspensæ per dicta tempora feriarum, in quęstionibus, & instantijs causarum, tam principalium, quàm appellationum non debeant dicti dies computari: sed ipso iure, & ipso facto a cursu temporum dictarum feriarum partes littgantes seruentur illesæ. Saluo quòd prędictis diebus feriatis ob necessitates messium & vindemiarum possint fieri exequutiones, & causæ exequutionum agitari & terminari, & saximenta fieri, & de eis cognosci, & terminari: necnon de merchatis factis, seu fiendis de rebus mobilibus dictis temporibus messium & vendimiarum: nec non de fictis, tertijs, medietatibus, seu partibus omnium fructuum, qui & quæ veniunt dictis tẽporibus messium & vindemiarum ad soluendum & reddendum: & de personis de quibus esset suspicio ne recederet. Et quòd dominus potestas & eius vicarius, necnon consules iustitię Nouariæ, in ipsis ferijs messium & vindemiarum possint de prædictis saximentis, merchatis factis, & redditibus, & personis suspectis cognoscere breuiter & summariè.

*De iustitia in quadragesima ac letanijs reddenda semel tantùm in die.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd consules iustitiæ Nouarię, tempore quadragesimali, seu in quadragesima, & etiam in diebus, quibus letanię celebrantur, semel tantùm in die, videlicet, in octauis, & ab hora octauę vsque ad vesperas pulsatas ad ecclesiã maiorem Nouariæ, debeant sedere pro iure reddendo ad eorum bancha & tribunalia. Et idem intelligatur in potestate, & eius vicario.

*Quòd victus victori condemnetur in expensis.*

ITEM statutum & ordinatum est. Quòd victus victori condemnetur in expensis, non obstante aliqua consuetudine hinc retro seruata in ciuitate Nouariæ, & hoc intelligatur secundum

dum ius commune. Item hoc habeat locum tam in diffinitiuis sententijs quã in interlocuto
rijs. Hoc addito quòd siue habeat iustam causam, siue non, condemnatio fiat in expensis in
interlocutorijs, & facta taxatione soluere compellatur infra decem dies: & si consultor nõ
consuluerit condemnandam partem succumbentem in expensis in interlocutorijs, cadat in
pœnam ipso iure facto restitutionis salarij quod habuerit pro dicto consilio.

*Quòd quibuscunque positionibus & interrogationibus debeat responderi.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd quibuscũq; positionibus & interrogationibus faciẽ
tibus ad causam, dummodo non contineant crimen eius contra quem ponitur, vel qui in-
terrogatur, etiam si ipse positiones sint multiplices: & siue ipsę positiones & interrogatio
nes fiant super eo quod principaliter vertitur in dubium, siue super aliquo incidenti vel e-
mergenti, debeat responderi per partem contra quam fient ipse positiones vel interroga-
tiones, & coram illo iudice vel successore, si eum mori vel mutari contingerit, aut coram
illo iudice eandem, vel similem iurisdictionem habente. Et ad responsionem prædictam
faciendam possit & debeat pars, contra quam ponitur, vel quę interrogatur, compelli per
iuris remedia, nec debeant dari sapientes parti respondere recusanti. Nec etiam possit in
prædictis appellari, & si appellatum fuerit, appellatio non valeat nec teneat. Et prædictę
positiones, & interrogationes, & responsiones valeant & teneant, nec possint ratione in-
competentiæ iudicis impugnari, nec probationes aliquæ, quæ fierent super aliquibus ca-
pitulis principaliter, vel incidenter pertinentibus ad causam, nec sententiæ quę inde se-
querentur, sub pœna librarum vigintiquinque imperialium, cuilibet personę quæ conabi-
tur ipsas positiones, interrogationes, respõsiones, probationes, vel sententias, vel aliquam
ipsarum, ratione dictæ incompetentię impugnare, nisi desistat ab ipsa impugnatione infra
tres dies postquàm ei fuerit notificatum. eandem pœnam substineat quælibet persona quæ
acta in ipsa impugnatione scribet post denuntiationem vel amonitionem ei factam. Qua-
rum pœnarum medietas sit communis Nouariæ, & alia medietas partis & consulis coram
quo esset vel fuisset quæstio. Et si ipsa quæstio esset vel fuisset coram domino potestate No-
uarię, vel alio eius assessore, quòd commune Nouariæ, habeat tres partes, & alia quarta
pars sit partis aduersę. Et prędicta pœna totiens cõmittatur, quotiens contrauentũ fuerit.

*De terminis statutis, vel statuendis ad habendum copiam positionum,*
*& respondendum eisdem.*

ITEM statuerunt & ordinauetunt quòd persona quæ tenetur positionibus respondere secun-
dum formam iuris, vel aliorum statutorum communis Nouarię, teneatur, & debeat ipsis
positionibus respondere infra diẽ vnã iuridicã, si in iudicio factæ vel productę fuerint ipsa
præsente, postquàm de eis habuerit copiam, vel per eam steterit quominus ipsam copiam
habuerit, vel transactus fuerit terminus earum copiam habẽdi. Qui statim terminus factis
vel productis positionibus statuatur per iusdicentem, coram quo fiant vel producantur po-
sitiones non longior vel prolixior vna die iuridica, breuior verò statui possit arbitrio dicti
iurisreddentis. Si verò mittentur in scriptis principali personæ, vel ad domum eius habita
tionis, ipsa principalis persona teneatur dictis positionibus respondere tertia die non fe-
riata post præsentationem ipsarum positionum eidem vel domui habitationis, & familię
ipsius factam. Et eodem modo, & infra dictos terminos teneatur ipsis positionibus respon
dere quilibet syndicus, tutor, vel curator in iudicio interueniens. Et etiam quilibet consul
burgi, vel villę, & quilibet nomine alicuius loci vel vniuersitatis interueniens, & quilibet
procurator, vel defensor cuiuslibet personæ non habitantis ciuitatem Nouarię, vel in di-
strictu ciuitatis, vel aliter legitimè interueniens pro alio seu alijs in iudicio, ad quę prædi-
ctę personę, & earum quęlibet compelli possint secundum formam statutorum aliorum &
iuris communis.

*De fidantia dãda per dominũ Potestatem & cõsules bannitis, citatis, vel requisitis.*

DOMINVS potestas Nouarię, & eius vicarius, ac consules iustitię Nouarię possint fidantiam
& saluum conductum facere, & concedere cuicunque citato per quemuis iusdicentem, vt
securè & liberè venire possit ad ciuitatem Nouarię, causa testimonium veritatis perhiben-
dum in causa quauis tam ciuili, quàm criminali, vel mixta, vel ad suscipiendum onus alicu
ius tutelæ, vel curæ, etiam si talis citatus foret bannitus vel condemnatus per dominum
potestatem, vel alium iusdicentem pro quacunq; pœna pecuniaria tantùm: vel alicui pri-

uatæ

uatæ personę, aut communi, collegio, vel vniuersitati in aliquo teneretur. Quo termino durante nullo modo possit per aliquem officialem, seu exactorem molestari, quibuscunq; in contrarium disponentibus non obstantibus.

*Quòd per acta principalis personæ non reuocetur procurator.*

ITEM quòd per præsentationem, vel alium actum, quę, vel qui fiant per principalem personam in iudicio, vel causa, seu lite, aut controuersia, non intelligatur esse reuocatus procurator, nisi expressè per principalem personam reuocetur.

*Quòd dilationes probandi, & probatum habendi sint communes.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd dilationes, siue per statuta, siue per iudicem, probandi, & reprobandi, & probatum habendi statutę actori, siue reo, sint inter eos communes, ipsis dilationibus durantibus. Ita quòd actori liceat probare intra dilationes rei, & reo intra dilationes actoris.

*Vt non liceat arguere a rubricis.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt quòd non liceat arguere ab aliqua rubrica alicuius statuti communis Nouariæ, & quòd tale argumentum non sit validum.

*Quòd omnia statuta sint præcisa.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd omnia suprascripta, & infrascripta, & singula statuta, & ordinamenta sint præcisa, & intelligi debeant prout iacent ad bancum, cum bono & sano intellectu.

*De exequutionibus condemnationum.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliquis fuerit condemnatus, & transierit terminus
condemnationis, & creditor petierit executionem realem condemnationis fieri, teneatur
consul facere requiri debitorem in scriptis, in qua citatione etiam contineatur quantitas
debiti liquidi, & causa, & annus, mensis, & dies condemnationis factę, & nomen iudicis,
vel consulis, ac nomen notarij, & qui fuit rogatus de dicta condemnatione, vt coram com-
pareat infra terminum per iudicem statuendum coram eo. Et ei si venerit coram eo, vel si
nō venerit ipsi absenti, tamquam præsenti, assignare terminum octo dierū, infra quem de
beat soluisse & satisfecisse creditori. Et si infra dictum terminum octo dierum reus, siue
debitor comparuerit, & præsentauerit exceptiones impedientes executionem, tunc con-
sul statuere debeat ipsi comparenti, & opponenti terminum competentem, qui non exce-
dat dies quindecim continuos inter probationes præsentes. In quibus tamen non compu-
tentur ferię Natalis, & Resurrectionis domini nostri Iesu Christi, si aliquis terminus com-
pręhēderet ipsas ferias, intra quē si nihil probauerit, statuere debeat, elapso dicto termi-
no, & citato dicto debitore, terminū trium dierū ipsi debitori, pro cuius assignatione pos-
sit auferre soldum vnum imperialium dominus consul ab instante creditore, expensis ta-
men debitoris, videlicet, de soluendo debitum, vtsupra dictum est, in termino octo die-
rum, & licet debitore absente, tamquàm præsente. Et si debitor comparuerit ad opponen-
dum, quòd talis terminus non debeat assignari, & opposuerit nouas exceptiones superue-
nientes post dictum terminum octo dierum, iterum statuatur terminus non minor decem
dierum continuorum inter probationes pręsentes. In quibus non compræhendantur dictę
feriæ ad probandum exceptiones suas quibus terminis assignatis, aut per contumaciam,
aut per interlocutoriam in contradictorio iudicio vtsupra; a quibus non possit postea ap-
pellari ad petitionem creditoris, teneatur & debeat iusdicens, & deputati ad hoc extima-
re & extimari facere per extimatores communis Nouarię de bonis debitoris mobilibus vel
immobilibus, prout voluerit creditor, & deinde dare de eis quæ creditor elegerit insolu-
tum creditori, vsque ad plenam satisfactionem, faciēdo bona mobilia venire in pallatium,
si de bonis mobilibus elegerit creditor solutionem sibi fieri; ea die vel sequenti, qua facta
fuerit ipsa extimatio ad voluntatem creditoris. Et hoc si extimatio facta fuerit in ciuita-
te, vel burgis Nouarię, vel in curia. Si verò facta esset talis extimatio extra ciuitatem, sub-
urbia, & curiam, a Romagnano, Gaudiano, & Burgoticino inferius, infra dies quatuor.
Et si a Romagnano, Gaudiano, & Burgoticino superius, infra dies octo. Et hoc non ob-
stantibus alijs statutis in contrarium loquentibus. Quòd si infra dictos terminos li-
uratio

uratio & insolutum datio, quam consul facere tenetur ad petitionem creditoris, sub pœna soldorum viginti imperialium pro qualibet die, qua distulerit facere liurationem, omni exceptione remota. Et quòd a tali datione insolutum liceat appellare ex causa quæ posset infringere dationem insolutum, & non ex causa quæ posset contra condemnationem vel assignationem terminorum opponi. Si verò in terminis assignatis, vt supra, debitori, ad probandum, factæ fuerint aliquæ probationes, habeatur consilium sapientis confidentis partium; vel alterius earum, in alterius contumacia; qui si consuluerit exequutionem non esse fiendam, tunc posit creditor appellare, & appellationem prosequi. Et si obtinuerit in causa appellationis, posit etiam tunc debitor appellare, & prout fuerit iudicatum fiat executio, vel non.

## *De salario consulum.*

Item quòd consules iustitię Nouariæ non habeant, nec habere posint nisi solam medietatem iudicaturarum, & medietatem denariorum sex imperialium, qui dantur prò qualibet libra liurationum, & tertiam partem bannorum. Alia verò tertia pars sit exactorum bannorum, & notarij eorum, & alia tertia pars sit communis Nouariæ nitida, & sine aliquibus expensis. Sed consules, & exactores, & eorum notarius omnes expensas in exactione bannorum facere teneantur. Alia verò medietas iudicaturarum & denariorum sex, qui dantur pro libra liurationum, sit communis Nouariæ, nisi piper & denarij sententiarum. Si consul fuerit iurisperitus, pro prolatione cuiuscunque sententiæ ab eo latę, Et pro publicatione consiliorum denariorum duos, si causa fuerit a soldis decem infra vsque ad soldos decē & si fuerit a soldis decem supra den. quatuor & nō plus. Et nisi libras tres imperialium pro quolibet iudice a communi Nouariæ pro eorum salario. Et quòd a confitentibus debitum ante litem contestatam, vel post, ante præsentationem consilij sapientis, cui questio fuerit consulenda commissa pro condemnatione facienda, nihil exigant, siue agatur reali, siue personali actione. Et teneantur consules iustitiæ Nouariæ, & exactores bannorum, & eorum notarius infra duos menses, post exitum officij consulum, exigisse omnia banna per eos data, vel per aliquem ipsorum, & ab ipsis duobus mensibus inantea, banna non exacta dare debeant in scriptis, eorum expensis, camerario communis. Et iudex exactor ipsa banna exigere teneatur, de quibus nihil percipere posint consules, nec exactores, sed sint cōmunis Nouariæ. Saluis incantibus fiendis, quibus non derogatur.

## *De salario consulis, extimatoris, & sociorum.*

Item quòd quotienscunque consules & extimatores ibunt per ciuitatem, vel burgos coherentes ciuitati Nouariæ, causa exercendi officium suum circa extimationem, habeant per singulas domos, in quibus facient extimationem soldos quinq; imperialium. Et teneantur pro dicto salario, & non possint habere plus. Si verò ibunt extra ciuitatem, & suburbia prædicta ad aliqua loca sita in curia Nouarię, habeant soldos sex imperialium, & notarius soldos tres, & extimatores soldos quatuor imperialium pro quolibet, per singulas domos. Et si ibunt per episcopatum, seu districtum Nouariæ ad quæcunq; alia loca, habeant pro salario suo soldos sedecim imperialium. Et notarius, & extimatores habeant pro quolibet soldos octo imperialium singulis diebus. Et teneantur ire pro dictis salarijs communiter vel diuisim, pręstan. & soluen. a dictis personis, ad quarum petitionem ibunt, expensis & sumptibus debitorum, & vltra possint in qualibet domo episcopatus, seu districtus Nouarię vsque ad duas domos, in quibus intrauerint causa sui officij exercendi pignorare vsque ad soldos septem imperialium pro qualibet domo. Et nihilominus teneantur ire ad alias domos sine pignoratione: quorum denariorum habitorum ex dictis pignorationibus medietas sit communis, & alia medietas sit ipsorum consulum. Et qui fecerit contra prædicta, vel aliquod prędictorum, consul & extimator condemnetur, & puniatur pro quolibet & qualibet vice in soldis quadraginta imperialiũ, & extimatores, & notarius eorũ condemnentur & puniantur pro quolibet & qualibet vice in soldis viginti imperialium: & quilibet possit accusare: medietas cuius pœnæ sit accusatoris & alia communis Nouariæ. Et prædicti extimatores, & eorum notarius vachare debeant per annum a dicto officio notarię & extimarię post depositum eorum officium. Et quòd extimatores sint ad minus etatis annorum vigintiquinque.

De

*De rebus prohibitis pignorari, nisi in certis casibus, & quanto tempore duret licentia pignorandi.*

Item statuerunt, & ordinauerunt quòd pro aliquo debito priuato non possint saxiri, capi, vel pignorari boues, animalia, plaustra, & instrumenta, qui & quæ essent deputata, & deputati ad culturam, nisi in casu in quo fieret limitatio per consulem iustitiæ Nouariç, secundum formam statutorum, vel ad petitionem illius qui haberet dominium, vel quasi dictorum bouum, vel prædictorū aliorum, & quòd in casibus, in quibus fiunt pignorationes, & sint licitę ipsę pignorationes, fieri non possint extra ciuitatem, suburbia, & curiam Nouariæ, nisi seruitor in sctiptis habeat licentiam a potestate, vel ab aliquo eius assessore, vel consule iustitiæ Nouariæ ipsam pignorationē faciendi. Et quòd licentię quę darentur seruitori de pignorando, non durent vltra decem dies. Et si vigore ipsius licentiæ aliquis seruitor vltra dictos decem dies faceret aliquam pignorationem, quòd puniatur in soldis cētum imperialium pro qualibet vice, quę auferatur ipsi seruitori per dominum potestatem vel eius vicarium, etiam absque aliqua condemnatione, & applicetur communi Nouarię.

*De iudicaturis soluendis.*

Item quòd consules iustitiæ Nouarię iudicaturas bona fide percipient vel percipi facient, tēpore ferendæ sentētię, idest quando sententiā dabūt, nisi pro paupertate remāserint, sine fraude, secundū quantitatē vel valorē rei quæ erit in cōtrouersia. Saluo quòd si res, de qua lata fuisset sentētia, petita fuisset tamquā obligata, quòd tūc soluatur iudicatura secūdū extimationem rei illius, vel secundū quātitatem debiti, pro quo res ipsa esset obligata. Si ipsa quantitas debiti, vel valoris ipsius minor esset extimationis dictę rei, sicut consuetū est, pro qualibet libra denarios duodecim imperialiū tantūex parte amittētis, & nō plus accitant scienter ex parte amittētis per sententiā, vel conuentionē factā post pignus datū, præterquā possint accipere ab extraneis hominibus pro iudicatura, quātū crediderint a cōsulibus, seu iudicibus suę ciuitatis, vel loci a nostris hominibus exigi, præterquā vt possit remittere cuicūq; pauperi pro iudicatura, & pro liuratione ad plus denarios tres imperialiū, verūtamē iudicatura nō accipiatur aparte debitū cōfitēte tēpore litis cōtestatę, vel post, vsq; ad pręsentationē cōsilij sapiētis, cui quęstio fuerit cōsulēda cōmissa. Et saluo quod supra dicitur, de remissione propter paupertatē, & bona fide secundū quantitatē petitionis, vel valorē rei petitę percipiāt, & pignus pręstari faciāt de iudicatura. Et quòd siue appelletur, siue nō, iudicatura soluatur. Et si cōtingeret partē vincentē soluere, vel securū facere cōsulē pro iudicatura, quòd cōsul post dictā securitatē, p iuris remedia possit & debeat dictū vincētē cōpellere soluere, & ad soluendū dictā iudicaturā, omni exceptione remota. Et succūbēs, etiā iuris remedijs, cōpelli debeat ad soluendū prædicto vincenti prędictā iudicaturā. De cuius solutione credatur iuramento satisfacientis, cum dicto vnius ex consulibus, vel massarij consulum. Qui massarius iuret se fuisse præsens satisfactioni prędictæ.

*De eodem.*

Non iudicabo, nec extimabo sine pignore, exceptis gabis de pōbia, quibus obseruabo sicut scriptum est inter eos & commune Nouarię, nisi esset pro paupertate, & nisi paupertas affuerit sacramentum, vel securitatem habebo.

*De eodem.*

Non manuleuabo aliquem de iudicatura, siue extimatura, siue liuratione, neque de alio, quòd aliquis debeat dare communi seu consulibus iustitię Nouarię. Hoc addito quòd pro liuratione fienda pro compra patronali, siue ex promissione, siue ex causis reductionum ad arbitrium boni viri, siue in sacramentis litis decisiuis, nec in causis a soldis centum infra, & alijs causis summarijs nulla iudicatura soluatur.

*De iudicaturis, & bannis ablatis non restituendis.*

De iudicaturis, & bannis ablatis, & extimationibus, & condemnationibus postquàm diuisa fuerint restituendis, consilium fieri non faciam, nec dicam copiam.

*De liuratione, & quantum possint accipere consules pro libra.*

Item pro liuratione cōsules pro iudicatura cōmunis nō debeāt accipere a partibus, vltra

denarios sex imperialium pro libra. Et quòd de venditionibus capiant pro eorum auctoritate prout in alijs statutis continetur.

*Quòd extimationes non fiant sine consensu consulis.*

ITEM quòd extimatores communis Nouarię non possint facere aliquam extimationem de aliquibus bonis, mobilibus vel immobilibus, nisi consensu consulis, seu consulum iustitię Nouariæ, & extimatio aliter facta non valeat ipso iure.

*Quòd consul qui interfuerit extimationi faciat deliurationem.*

ITEM prouiderunt, & ordinauerunt quòd non possit fieri aliqua liuratio de aliquibus bonis mobilibus seu immobilibus alicuius personæ, nisi prius consul cum extimatoribus iuerint ad domum habitationis illius personę, contra quam fieri requiretur dicta liuratio, & ibi extimauerint ad minus de bonis mobilibus vsq; ad valorē soldorū quinq; imperialium, si ille de cuius bonis requireretur fieri dicta liuratio, habitauerit in Nouaria, vel districtu. Et quòd nullus alter consul possit facere liurationem, nisi ille qui interfuerit extimationi, nisi casus mortis, vel aliud iustum impedimentum acciderit. Et quòd liuratio aliter facta non valeat nec teneat ipso iure.

*Quòd in qualibet liuratione fiat mentio contradictionum.*

ITEM quòd in qualibet liuratione, quæ fieri contingerit debeat fieri mentio de præsentatione, & contradictione facta, seu factis, requisitioni termini octo dierum, vel trium, vel proclamationi, seu citationi, vigore cuius fieri contingat liuratio. Et hoc si qua pręsentatio, vel contradictio facta fuerit. Et liuratio aliter facta non valeat ipso iure.

*Quòd consules, & extimatores cogantur eorum officium exercere.*

ITEM quòd quilibet consul iustitiæ Nouarię, & quilibet extimator communis Nouariæ, ac notarius ipsorū extimatorū teneantur ad requisitionē cuiuslibet creditoris, ire ad extimandum de bonis cuiuslibet debitoris sui per ciuitatē, suburbia, & curiā Nouariæ, & per episcopatum, & districtum Nouarię vsque ad terram Grignaschi, & a Grignascho infra, & a Gaudiano inferius, & vsque ad terram Burgiticini inferius, sub pœna librarum decem imperialium, pro quolibet contrafaciente.

*Quòd possessiones tediales non possint dari.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd possessiones tediales non possint dari, sed debitor, vel alius, cui delata esset hęreditas debitoris, legitimè citetur per modum proclamationis, vel alium modum iuridicum, & nemine legitimè comparente ad defensionem, elapsis quindecim diebus a tempore terminorum elapsorum contentorum in citationibus, & proclamationbus; Quæ citationes, seu proclamationes contineant tres terminos cum dimissione saltem vnius diei intra quemlibet terminum; Consul teneatur ad petitionem creditorum facere extimari de bonis debitoris, & ipsa liurare, & insolutum dare prout & sicut debent fieri & fiunt extimationes, & liurationes ad petionem creditorum, de bonis debitorum condemnatorum elapsis terminis octo dierum & trium. Saluo iure illi, vel illis cōtra quem vel quos facta esset liuratio, & alijs personis luendi, & recuperandi ipsa bona infra annum, & diem, prout lui possunt bona liurata per cōsules debitorum cōdemnatorum qui habuerunt terminos octo dierum, & terminum, secundum formam aliorum statutorū communis Nouariæ. Saluo quòd prędicta locum non habeant in questionibus, in quibus libellus seu petitio offeretur, vel oblatus seu oblata esset parti, contra quam dicta possessio nisi post ipsam oblationem petitionis, seu libelli pars quæ ipsam petitionem, seu libellum obtulisset, citata parte, ante tamen litem contestatam, cui ipse libellus, seu petitio est oblatus seu oblata renuntiaret instantię ipsius petitionis, seu libelli. Et remedium huius statuti eligeret, quam electionem ipsa pars agens facere possit.

*Vt consules faciant scribi iuramenta, consignationes, & liurationes.*

ITEM cōsules iustitiæ teneātur facere scribi in libris publicis, ad expēsas cōsignātis, & iuramēta illorū, qui iurāt cōsignare bona sua pro solutione faciēda creditoribus suis, & extimationes factas de bonis & rebus hominū Nouarię, & iurisdictionis, qui iurabit cōsignare pro solutione facienda creditoribus suis, & liurationes siue dationes insolutum. Et debeant, & teneantur

teneantur ipsi consules ipsos libros sequētibus consulibus consignare, & de ipsis fiat copia cuilibet petenti, sine aliqua datione pecunię &c.

*De consignatione, & extimatione bonorum debitoris.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd ille debitor qui iurabit, vel iurauit consignare bona sua, ad præceptum consulum iustitiæ quemlibet modium suæ terræ & suę possessionis, & vbi est finis eius dicere teneantur, & quantum valet quilibet modius, infra terminum a consulibus iustitię constitutum ipsi consuli assignare, vt dictum est. Et liceat cuilibet creditori posse facere extimare bona ipsius debitoris sui. Et consules & extimatores teneantur facere extimare bona ipsius debitoris, ad petitionem cuiuslibet creditoris, postquàm fuerint consignata. Et debitor, postquàm iurauerit consignare teneatur infra octo dies omnia sua bona. Et si consules & extimatores voluerint facere extimationem in ciuitate Nouariæ de bonis illorum, qui consignauerint bona sua, hoc facere possint ad meliorem vel bonum modum quem potuerint. Ita quòd creditores possint habere solutionem in bonis debitoris, si habuerint vnde. Et secundum illam extimationem dare teneantur solutionē creditori volenti eam accipere, secundum quòd fuerit anterior, pręter eum qui fieri fecerit extimationem, qui omnino teneatur recipere solutionem ad ipsam extimationem de eo quod habere debuerit, si vnquam habere voluerit solutionē ab ipso suo debitore, libras quinque pro quatuor de rebus immobilibus, & habēdo extimatores extimationē, prout in statuto communis Nouarię continetur, loquente de extimatione, & illa extimare, nisi res essent liuratæ & datæ insolutum, non valeat vltra dimidium annum, nisi fuerit de volūtate illius, vel illorum, qui fecerint extimari, quantum ad res illas, quę datæ non essent insolutum inuitis creditoribus, & non possint bona debitoris extimari plus quàm semel in vno consulatu. Et liceat cuilibet creditori ipsius debitoris quolibet medio anno posse facere extimare bona sui debitoris, sicut dictum est superius. Et consules & extimatores teneantur bona extimare quolibet medio anno, ad petitionem creditoris, & dare ei insolutum, secundum quòd superius dictum est.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd aliqua persona, collegium, vel vniuersitas, postquàm iurauerit consignare bona, non possit facere in toto consulatu, in quo iurauerit aliquod datum, vel aliquam alienationem, vel aliquam possessionis translationem, vel dationem insolutum de bonis, & iuribus suis, nec de his quę tenebat, vel possidebat, vel quasi, vel eius nomine tenebantur, vel & possidebantur, vel quasi eius nomine, tempore quo iurauerit cōsignare: & si fecerit illud datum, seu alienatio, vel possessionis translatio, vel datio insolutum non valeat, & nullum sit ipso iure. Et consules, & extimatores teneantur, perinde res illas extimare, & dare creditoribus insolutum, ac si non fuisset factum datum vel permutatio, vel alienatio, vel possessionis translatio.

*De iuramento præstando ab his qui veniunt ad bonorum suorum consignationem.*

STATVTVM est si aliquis debitor here alieno grauatus, consignationem bonorum suorum coram extimatoribus facere voluerit, vel etiam compulsus fuerit, iuret secundum formā sacramenti, ab extimatoribus sibi dandam, videlicet, quòd consignabit illis extimatoribus vel alicui ipsorum bona sua mobilia & immobilia, & omnes creditores, & debitores infra tertiā diē, a die qua pręstiterit sacramētū, & si infra prædictū terminū nō cōsignauerit, det pro bāno soldos viginti imperialiū. Et nihilominus teneatur cōsignare, nisi remāserit para bola creditorum suorum illorū, vel illius, pro quo, vel pro quibus iurauit. Et pręcipuè iuret quòd attendet & obseruabit omne præceptū, & omnia præcepta quod & quę ipsi cōsul, & extimatores, vel vnus eorū ei fecerit, pro diminutione bonorū suorū nō facien. & pro vēditione & traditione ipsarū rerū emptori facienda, & cartulis de prædictis rebus facien. & pro omnibus, & alijs attendendis, & obseruandis, quæ ad officium extimatorum pertinuerint.

*De creditoribus conuocandis post consignationē bonorū, & de ipsorum venditione.*

CONSIGNATIONE autē facta, sibi teneantur consules extimatores conuocare omnes creditores sibi consignatos, & postea publicè facere denuntiari, scilicet bis in hebdomada, scilicet, in die iouis, & in die dominico, in broreto communis Nouarię tantùm, quòd si quis habet aliquid ad petendū in bonis talis homini, svadat corā consulibus extimatoribus infra talē diē, & eis ius suū ostēdat. Et creditores oēs, corā eis repręsentatis, qui voluerint tunc exti-

matores faciant scribi quantitatem, & tempus debiti: & poni illā quantitatem debiti & tēpus ipsius in libro cōmunis, cuius exhibitio fieri debeat cuicūq; petenti: quo subsequuto teneantur consules extimatores ipsas consignationes exponere venales, prout eis videbitur sufficere ad exonerationem debiti ipsius, & subastare res illas esse venales: & tunc tenere debeat res illas tantùm in suspenso, quātum eis videbitur, & tunc vendere iusto precio de rebus illis, tantùm quòd sufficiant ad exonerationem debiti. Et si consules extimatores in rebus ipsius debitoris tantùm iurauerint, & dare illas ei qui plus obtulerit, sit de iurisdictione Nouariæ, & iustum præcium videbitur offerre. Et cōpellatur offerens soluere quod semonuerit. Et consules extimatores facere teneantur prædictam venditionem infra mēsem a tempore consignationis. Nec plus debeant tenere in suspenso res prędictas, nisi remanserit parabola creditorum omnium, vel maioris partis eorum.

*De solutione facienda creditoribus de præcio rerum consignatarum.*

VENDITIONE autem facta, & præcio recepto a consulibus extimatoribus loco depositi, ei qui apparuerit priori primo fiat solutio, & sic per ordinem teneantur consules & extimatores facere describi quantum cuique creditori fuerit solutum in libro communis. Priore autem creditore non veniente, per ordinem, emptore existente securo contra omnes creditores illius debitoris, & contra illum debitorem, & eius heredes siue sit maior siue sit minor. Et si aliquis creditor postea superuenerit, cuius iura potiora appareant, regressum habeat creditor ille contra accipientes pecuniam infra decem annos; dum tamen ab vltimis creditoribus incipiat. Et sic per ordinem ad alios deueniat, donec quòd suum ius fuerit consecutus. Excussis tamen bonis debitoris. Ita tamen quòd expensas ei præstet, quas pro illa pecunia habenda docebit se fecisse. Et teneantur consules extimatores facere fieri exhibitionem omnium creditorum, qui receperint de prædicto præcio, & & tempus cuiuscunque creditoris, & quantitatem quam quisque creditorum receperit.

*Si emptor consignatarum rerum non inueniatur.*

EMPTORE autem, vt supra dictum est, infra mensem non apparente, transacto mense, teneantur consules extimatores, & debeant quàm citius poterint, bona fide, sine fraude res sibi consignatas extimare, & insolutum dare; & primo res mobiles, si sufficerint ad exonerationem debiti, antequàm aliæ res immobiles extimentur, in quibus rebus mobilibus infra non computentur, nisi fuerit de voluntate creditorum. Et si res mobiles non sufficerēt ad exonerationem totius debiti, creditores teneantur, coactione facta ab extimatoribus, eligere in rebus immobilibus consignatis, de quibus velint solutionem recipere, facta electione, extimatores teneantur bona fide extimare tantum de ipsis rebus, quantum ascenderit debitum ipsorum creditorum, & non vltra, rebus mobilibus primo insolutum datis, vsque ad eam quantitatem ad quam ascenderit extimatio earum.

*De conuocatione facienda creditorum post extimationem bonorum consignatorū.*

EXtimatione autem facta, teneantur conuocare creditores, vt supra dictum est, & conuocare eorū iura pręsente debitore, si debitor pręsens fuerit, & voluerit interesse, & extimatione facta teneantur extimatores demonstrare creditoribus res sibi cōsignatas, & ei qui potior est dare insolutum rem quam ipse elegerit, bona fide, ita videlicet, vt quinque libræ pro quatuor libris in rebus immobilibus dentur, & sic per ordinem cuique creditori soluat.

*Si prior creditor post conuocationem non veniat, qualiter posteriori fiat datio insolutum.*

SI autem prior creditor non venerit, aut veniens non acceperit, detur ei qui est post eum, & sic per ordinem, nec ei qui non venerit detur regressus contra accipientem, nisi probauerit se absente fuisse tēpore denūtiationū, vel nisi infra annū & diē, a tempore extimationis factæ, illi cui data est insolutum obtulerit expensas, quas pro re illa habenda fecerit, excussis primo bonis debitoris: quo casu possit habere regressum contra illum cui res data est insolutum. Et saluo iure offerendi posteriori creditori, vt offerat debitum, & expensas factas pro illa re habenda, & saluo iure offerendi illi cui competebat petitio cum effectu contra recipientē præciū, quando res vēdatur seu contra possessores, quando res datur insolutū. Ita tamen quòd offerat sibi id quod pro pecunia suę extimationis expēdit & in vtroq; casu semper intelligatur, & obseruetur excussis primo bonis debitoris, vt dictū est. Et hoc

cum debeat in omni creditore, siue sit maior, siue sit minor, dum tamen tutorem, vel curatorem habuerit soluendo, contra quē posit habere regressum. Et saluo eo quòd liceat creditori debitori res insolutum datas recuperare a quocunque possessore infra annum proximè, soluendo tamen precium, & soldos duos pro interesse cuiuscunque libræ, & sicut pro parte capit. & expen. cōputatione quidem facta in his soldis duobus pro interesse & expēsis omnium godimentorum, & fructuum exeuntium & peruenictium ex rebus datis insolutum. Quo anno elapso liceat parentibus dictam rem insolutionem datam exigere pro cōpra patronali infra alium annum & diem, & non vltra, exbursando præcium, ac soluendo duos imperialiū pro qualibet libra, loco fructuū, & godimētorū, vtsupra dictū est in debitore.

### *De extimatione facienda de rebus non consignatis.*

ITEM teneantur extimatores facere extimari secundum formam superioris statuti, seu capituli, non tantū res sibi consignatas, sed etiam non consignatas, dum tamen a debitore teneantur siue posideantur, & dare eas insolutū creditoribus secundum formā suprascriptā, si creditores eius hoc postulauerint, nisi appareat aliquis legitimus creditor, qui dicat res illas a debitore nō cōsignatas etiā suas, vel se eas posidere, & hoc legitimè probauerit.

### *De bonis post consignationem venditis non luendis.*

ITEM statutum est quòd nullus debitor, qui venerit ad consignandum bona pro solutione creditoribus suis voluntariè fienda, posit luere seu rescodere bona sua, postquàm fuerint vendita per extimatores communis, siue sit maior, siue sit minor.

### *Ut creditor habeat electionem quam voluerit conuenire.*

ITEM si aliquis postquàm obligauerit bona sua, ex aliqua causa de ipsis rebus obligatis vendiderit vel alienauerit, vel quoquo modo sine titulo in aliquem transtulerit iure dominij, siue iure pignoris, vel aliquo quocunque modo ad aliquem peruenerit, non obstāte tali alienatione, seu traditionē, creditor habeat electionē conueniendi possessorem pignoris, siue debitorem quem primo voluerit: nec ei creditori posit abiici a possessore quòd primo conueniatur principalis debitor quàm ipse possessor. Et saluo quòd si reperiatur quòd si possessor pignoris reperiat, soluerit prioribus creditoribus per breuia integra & eorum iura habeat, quòd iura sint salua anteriora eis data ab eis qui habeant res illas obligatas, quas emerunt, vel eis datæ fuerunt insolutum, & eis posint vti.

### *Quòd bona mobilia liurata, exigi non possint elapsis duobus mensibus.*

ITEM quòd si contingeret liurationem, seu insolutum dationem fieri per consules iustitię, seu eorum aliquem de bonis mobilibus, & se mouentibus, alicuius debitoris alicui creditori, quòd ipsa bona mobilia & se mouentia, lui, seu exigi posint infra duos menses proximè venturos post ipsam liurationem, seu insolutum dationem, & non vltra. Et quòd extimatio, quæ fiet de ipsis bonis mobilibus & se mouentibus, singulariter fieri debeat, & præcium ipsorum bonorum singulariter describi, & apponi in liuratione, quæ fiet de ipsis bonis etiam: etiam si liuratio seu insolutum datio fieret vtsupra cum aliquibus bonis immobilibus, & hoc non obstante statuto posito sub rubrica, si prior creditor post conuocationem &c. & de ipsis bonis mobilibus & se mouentibus fieri posit liuratio, absq; eo quòd ipsa bona ducantur vel duci faciant in palatio communis Nouariæ.

### *De riua non danda.*

DE eo quod emitur vel venditur ab hominibus Nouariæ non faciam dari riuam.

### *De condemnatis debitoribus detinendis.*

ITEM statutum est quòd postquàm aliquis de Nouaria, seu iurisdictione, vel aliunde, maior tamen decemocto annorum, fuerit condemnatus, & transiuerit condemnationis terminus quòd potestas & assessores eius teneantur ad petitionem creditoris capere vel capi facere ipsum, nec posit ille, qui captus fuerit poni in turri zimella nec in alio carcere: sed detineatur & custodiatur in carceribus communis Nouariæ, per custodes ipsorū carcerum, ad voluntatem creditoris, donec satisfecerit creditori. Et idem intelligatur in quolibet eius hęrede masculo, maiore tamen decemocto annorum. Et dictum statutum locum non habeat in mulieribus debitricibus & condemnatis. In domo verò suę habi-

 tationis,

tationis, vel alia, vel extra ciuitatem & suburbia, aliquis detineri non possit, nec eriam in die iouis mercati, nec tempore nundinarum, durante tempore cridæ fiendæ, nec diebus feriatis in honoré Dei contentis in statutis: saluo statuto quòd est sub rubrica, De illis episcopatus Nouarię, cum tribus statutis immediatè sequentibus, quibus derogatum non intelligatur per pręsens statutum. Et quòd forenses alterius iurisdictionis quolibet die, & vbicunque possint detineri, etiam si dicti forenses non sint condemnati, dummodo ipsi forenses sint publico instrumento obligati, vel aliter de debito suorum creditorum legitimè constet. Nisi talis forensis venisset cum merchantia in ciuitate Nouarię venden. vel causa testimonij deponendi.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd si aliquis lectus, seu positus fuetit in banno, ex parte domini potestatis, vel assessoris eius, vel consulum iustitiæ Nouarię, vel alterius officialis cõmunis Nouariæ, non exhimatur de banno, nisi prius solutis soldis duobus imperialium caneuario communis Nouarię pro ipso banno & cancellatione banni, vel cui deputabitur per commune. Et veniendo infra mensem de dicto banno, debeat cancellari, soluendo prout supra.

## *Quòd fiat festum S. Rochi. Copia.*

DVX Mediolani &c. Papię, Anglerięque Comes, ac Ianuæ, & Cremonę dominus. Recepimus Supplicationem tenoris infrascripti, videlicet. Illustrisime Princeps, Communitas ciuitatis Nouarię. D. V. in ipsa ciuitate de anno proximè præterito cepit fabricari facere & fondari Ecclesiam vnam, sub titulo seu vocabulo sancti Rochi: Et per agentes pro dicta ciuitate puotidie datur opera perfectioni dictę fabricationis, ob deuotionem, quam singuli dictę ciuitatis gerunt erga ipsum sanctum Rochum. Et proinde die 13. mensis Augusti proximè pręteriti ordinatum est, si placet D. V. quòd dies festi ipsius sancti Rochi, quòd festum annuatim cadit die 16. pręd ictimensis Augusti, deberet, & debeat celebrari, & haberi pro feriato in honorem Dei, Ita vt ipsa die iustitia non reddatur. Sed stare debeat in suspenso quemadmodum fit pro diebus dominicis, & alijs diebus festiuis limitatis pro feriatis in honorem Dei, ex forma statutorum dictæ ciuitatis. Propterea supplicatur parte dictæ Communitatis quatenus dignetur D. V. per suas patentes litteras opportunè prouidere, quòd dies festi superius memorati habeatur pro feriato, iuxta ordinationem in communi factam, vt supra, prout conueniens est, maximè quia ipsa communitas prætendit ipsam ciuitatem fuisse liberatam a peste, qua ipsa ciuitas detinebatur anno proximè præterito, intercessione ipsius beati sancti. Et consideratis superius expositis, præcipuè quia ijs quæ tendunt ad religionem, & cultum sanctorum: quos nos summopere colimus & veneramur, propitij sumus, libenti animo requisitioni prædictæ communitatis annuimus. Harum igitur serię pręd ictam ordinationem confirmamus, & approbamus, decernimusq;, & declaramus diem festi sancti Rochi pręd ictam habere pro feriata, & obseruari debere. Ita quòd in ea ius reddi non possit. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus, & registrari, nostriq; sigilli impressione muniri. Dat. Vigleuani die decimo Septembris 1485. Signata sigillo ducali. &c.

Ioannes Iacobus.

# LIBER TERTIVS, DE MALEFICIIS.

## *De accusationibus & maleficijs inquirendis.*

STATVTVM est quòd si aliquod maleficium factum fuerit in Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ: quòd potestas teneatur & debeat illud maleficium inquirere,& punire,siue de ipso maleficio facta fuerit accusatio, siue quere la,siue denuntia, siue aliter quandocunque audiuerit, & sciuerit, seu in- tellexerit de ipso maleficio:& teneatur habere vnum librum in quo tenea- tur potestas omnes accusationes, & denuntias, & quæ relas scribi facere,& ipsum sibi seruare. Quæ accusationes,denuntię,& querelæ primo ponantur in dicto libro, quàm in libro cancellarij maleficiorum, & sit præcisum. Deinde procedatur per dō- minum potestatem, vel eius iudicem maleficiorum, ad receptionē iudiciorum, quibus ha- bitis,nulla ipsorum iudiciorum data copia parti accusatæ, denuntiatæ vel querelatæ, for- metur inquisitio, quę contineat nomen, & cognomen inquisiti,ac nomen partis inquisitę: delictum commissum, cum circumstantijs, quæ faciunt transire in aliud delicti nomen, si- ue speciem, cum anno, mense, & loco speciali coherentiato commissi criminis: & mitta- tur copia inquisito, cum termino trium dierum ad respndendum inquisitioni. In quo ter- mino si reus non comparuerit, ponatur in banno de contentis in inquisitione, & vlterius in soldis decem imperialium, a quo non possit cassari, nisi infra terminum banni comparuerit, & respondiderit inquisitioni, & satisdederit de iudicio sisti,& de iudicato soluendo,periculo approbantis fideiussorem,soluerit dictos soldos decem imperialium ca meræ communis Nouarię; qui recipiantur per caneparium communis Nouariæ. Deinde ta li comparenti post bannum, siue etiam comparuer it ante bannum, dentur termini,& dila- tiones opportunæ ad faciendum defensiones suas, & ad videndum recipi testes, in quibus terminis etiam liceat inquisito ponere notar ium pro parte sua, qui intersit cum officio, siue iudice ad examinationem testium. Qui notarius iuret de secreta tenendo &c. Facto processu publicentur, & detur terminus defensionis reo trium dierum ante condemnatio- nem, & reo volente reprobare dicta testium, vel testes, detur & terminus competens sal- tem quindecim dierum: quo elapso pr ocedatur ad sententiam, & detur legitima defensio accusato trium dierum naturalium,ad minus, ante condemnationem, & alia defensio triū dierum naturalium ante exequutionem. Et intelligantur prædicta de secunda defensione de condemnatis per contumaciam, postea deductis in fortiam communis, & in omnibus casibus ante condemnationem teneatur & debeat dare defensionem personę calumniatę, & accusatæ, vel inculpatę, vel familiæ ipsius in scriptis,& notam tabellionis continentem causam de eo de quo inculpatus, calumniatus, vel accusatus est. Qui terminus defensionis non currat nisi facta copia de accusatione,vel inquisitione, & de dicto accusati vel inquisi- ti si petita fuerit. Et si secus factum fuerit, non valeat ipso iure,in præ iudicium calumnia- ti, accusati,vel inquisiti.

## *De denuntiationibus maleficiorum fiendis per consules, & parrochianos.*

ITEM statutum est, quòd communia burgorum & villarum, & consules eorum districtus No uariæ, teneantur, & debeant denuntiare domino potestati, & assessor ibus eius omia homi- cidia, robbarias, incendia, raptus mulierum honestarum, ferutas cum sanguine, & furta, quæ fierent in burgis, vel villa, vel in territotio alicuius burgi, vel villæ, & hoc sub pœna & banno librarum decem imperialium pro burgo, librarum quinque imperialium pro vil la, & viginti soldorum pro quolibet consule eorum. Et hoc a Gaudiano, Burgoticino in- clusiuè, & a Romagnano inclusiuè inferius, infra sex dies inferius naturales, & abinde su- pra infra decem dies, postquàm prædicta facta fuerint, vel aliquod prędictorum. Et hoc idem teneantur facere parrochiani ciuitatis Nouariæ & suburbiorum, infra tres dies natu rales, sub pœna & banno soldorum quadraginta pro quolibet parrochiano. Et pœnę supra scriptę habeant locum in delictis commissis in via publica, vel aliàs notis prædictis consu- libus vel parrochianis. Sin autem in domo priuatim commissa fuissent, tunc prædicti con- sules, & parrochiani non puniantur, & vtrum sint commissa publicè vel occultè, relinqua- tur arbitrio domini potestatis. Et prædictę denuntiæ debeant continere delinquentis no-

men & cognomẽ,nomen patris,delictum,annum & mensem,locum,& testes, sub pœna prę dicta.Saluo si consules vel parochiani iurarent se de predictis notitiam non habere, recipiatur talis vt porrecta fuerit,& veritas per dominum potestatem inquiratur & procedatur vt in proximo præcedenti statuto cauetur.Et vbi non sunt consules, teneantur nobiles deputare vnum,qui denuntiet mallesicia prædicta, sub pœna cuilibet nobili habitanti in loco,vbi vel in cuius territorio fuerit delictum commissum, soldorum viginti imperialiũ pro quolibet.Et quòd de denuntijs prædictis portentur duæ copię,quarum vna detur officio maleficiorum domini potestatis,alia syndico cameræ,quam dictus syndicus recipere teneatur sine vlla solutione.Et quòd dictus syndicus teneatur singulo mense scontrare, siue spontare cum domino potestate,vel eius vicario:& intelligere si omnes sunt expeditæ. Et sic in fine officij domini potestatis teneatur illas præsentare domino syndicatori, sub pœna librarum quatuor imperialium ipsi syndico,pro qualibet denuntia, & qualibet vice qua fuerit negligens in præmissis.

*De maleficijs commissis ante introitum regiminis non inquirendis.*

Item statutum est,& ordinatum,quòd potestas aliquis ciuitatis Nouariæ, vel alius rector, vel aliquis de familia sua,de aliquibus maleficijs, criminibus, vel delictis commissis, perpetratis per dies triginta proximos ante introitum sui regiminis, non possit incipere ad inquirendum,nec per modum inquisitionis procedere. Et si secus faceret,processus non valeat,nec teneat ipso iure. Et potestas & quilibet rector,& iudex contrafaciens vltra,condemnetur in libris centum imperialium pro quolibet & qualibet vice, dandis communi Nouarię,& in omnibus damnis & expensis parti lesę restituendis & de suo salario per caneparium & officiales communis tantùm absque cõdemnatione debeant retineri & in vtilitatem communis conuerti:nec contra caneparium vel officialem possit potestas, rector, vel iudex inde preceptum facere,vel processum:& istud statutum sit præcisum. Saluis infrascriptis, videlicet, si ante dictos triginta dies denuntiatio facta esset per consules, vel parrochianos, vel alios, & in scriptis redacta, vel inquisitio formata cum citatione subsequuta ad domum habitationis eius, contra quem inquiritur, habitantis in ciuitate, vel districtu Nouariæ, vel ad lapidem broreti, in casu in quo ibi citatio fieri potest, vel si fuerit antea bannitus de alio maleficio, vel condemnatus de tali crimine, propter quod esset pœna sanguinis irroganda. Quòd tunc possit inchoata prosequi,& per modum inquisitionis procedere ad omnia quæ occurrerint facienda. Regimen verò intelligatur potestatis, vel rectoris illius temporis, ad quod primo fecerit introitum,secundum regimen habeatur,etiã si primi termini regimen fuerit prorogatum, vel potestas seu rector confirmatus. Per accusationem ordinariam, & in figura iudicij ordinarij procedere possit. Intelligendo accusationem ordinariam, & iudicium ordinarium, data accusatione, seu libello accusatorio per accusatorem iudici, & per iudicem parti cum dilatione ad deliberandũ & respõdendũ.

*Qualiter procedatur per viam accusationis.*

Si aliqua causa de aliquo maleficio producta fuerit, mittatur copia accusato cum dilatione ad respondendum dictę accusæ dierum octo; nisi fuerit de expressa voluntate accusati & responsione facta;& datis dilationibus ad probandum decem dierum pro qualibet,si fuerint petitę, & dentur tres accusato, & duæ accusatori ad minus. Et idem de dilationibus dandis in causa inquisitionis intelligatur, vt dentur dilationes inquisito decem dierum pro qualibet earum. Et processus qui aliter factus fuerit, non valeat, nec teneat ipso iure. Et non teneatur accusator se inscribere ad pœnam talionis. Saluis de mallesicijs & criminibus infrascriptis, videlicet de falsatoribus monerę, vel instrumentorum,vel de receptoribus bannitorum,de tali crimine vel delicto,de quo pœna mortis esset inferenda. De proditione patrię ciuitatis, burgi, castri, vel villæ, districtus Nouarię,in quibus dictum statutum locum non habeat.

*De pace & concordia inter offensos de maleficijs per potestatem fienda.*

Qvia nihil aliud agit prętor, nisi vt partes ad concordiam reducantur. Statutum & ordinatum est quòd si aliquod homicidim,vel ferita factum,seu facta fuerit inter homines iurisdictionis Nouarię, potestas Nouarię possit,bona fide reducere ipsos homines,& eorum hęredes,& agnatos, & cognatos ad compositionem, & concordiam faciendam,prout melius videbitur sibi,& poterit conuenire.

Ne

## *Ne quis ponatur ad tormenta niſi in certis caſibus.*

POTESTAS Nouariȩ, & eius iudex maleficiorum, communiter, vel ſeparatim, non poſſint aliquam perſonam ſubijcere tormentis aliquo modo, niſi illa perſona fuerit inculpata de crimine hæreſis, vel ſodomiȩ, ſiue priuationis prȩſentis ſtatus prælibati domini noſtri & communis Nouariæ, vel niſi ipſa perſona fuerit inculpata de latrocinio, vel de furto, aut de proditione patriȩ ciuitatis, vel burgi, caſtri, vel villȩ, tam ciuitatis, quàm diſtrictus Nouariæ: Vel niſi fuerit inculpata de fabricatione falſæ monetæ, vel portaſſe ad ciuitatem vel diſtrictum Nouariȩ, ſcienter monetam falſam, a ſoldis quadraginta ſupra, in moneta argentea, vel circa, aut in florenis a tribus ſupra, vel niſi fuerit inculpata expendiſſe falſam monetam ſcienter in quantitate ſuperius deſcripta, vel niſi fuerit inculpata de inſtrumentis, vel ſcripturis, ſeu actis publicis falſo modo traddatis, ſeu factis, aut abraſis, vel mutatis contra veritatem, vel niſi fuerit inculpata de incendio, vel niſi ipſa perſona dicatur eſſe venefica, vel malefica: Vel niſi fuerit inculpata de receptione bannitorum de vita ſeu de morte, & proditione patriæ: Vel niſi fuerit inculpata de ſacrilegio, inceſtu, & ſtupro patricidio, matricidio, plagio, inciſione vitium. Et hȩc omnia indicijs legitimis præcedentibus & non aliter. Et ad quamlibet torturam debeat intereſſe vnus ex quinque notarijs domini poteſtatis, & communis Nouariȩ. Et hoc ſtatutum ſit prȩciſum. Et omnes confeſſiones, quȩ fierent in tormentis per tortos, vltra caſus prædictos, etiam ſi in ipſis confeſſionibus eſſet perſeuerantia, & proceſſus, qui inde ſequerentur, non valeant, nec teneant ipſo iure. Et dominus poteſtas Nouariȩ in qualibet condemnatione vel abſolutione faciẽda de perſona, quæ tormentis ſit ſubiecta, teneatur & debeat de ipſa tortura, & eius confeſſione, ſi confeſſa fuerit, ſpecialem facere mentionem. Et qui prædicta non obſeruauerit puniatur & condemnetur in libris centum imperialium pro quolibet & qualibet vice. Cuius pœnæ medietas applicetur cameræ prælibati Illuſtriſſimi Domini noſtri. Et alia medietas perſonæ tortȩ, ſeu tormentis ſubiectȩ. Et in prædictis contra ipſum poteſtatem, & eius iudicem maleficiorum, ſufficiat probationem facere per vnum teſtem fidedignum, quæ probatio facta per vnum teſtem ſit ſufficiens & idonea, & etiam probatio facta per vocem & famam, cum ſacramento perſonȩ tortæ, ſit ſufficiens & idonea.

## *Quòd nullus ſubijci debeat tormentis, niſi certis caſibus in ſtatutis conceſſis.*

NVLLVS iuſdicens in ciuitate Nouariȩ, nec officialis quicunque, nec alia perſona quæcunque poſſit aliquam perſonam ſubijcere vel ſubijci facere tormentis, niſi dominus poteſtas & eius iudex maleficiorum, in caſibus dumtaxat eis in ſtatutis communis Nouariȩ cõceſſis & hoc ſub pœna cuilibet contrafacienti librarum centũ imperialium pro quolibet & qualibet vice. Cuius pœnæ medietas applicetur cameræ prælibati Domini, & alia medietas perſonȩ tortȩ ſeu tormẽtis ſubiectȩ. Et eo caſu ſufficiat cõtra torquẽtes, ſeu torqueri faciẽtes, probatio quæ fieret per vnum teſtem, ſeu per vocem, & famam, cum ſacramento perſonæ tormentis ſubiectæ. Et ſi perſona torta, ſeu tormentis ſubiecta, cauſa vel occaſione ipſius tormenti, ſeu torturæ factæ, ſeu facti, contra formam ſtatutorum communis Nouariæ deceſſerit, quòd ille torquens, ſeu torqueri faciens, ad mortem puniatur, & in hoc caſu ſufficiat probatio vnius teſtis fidedigni.

## *De dictis accuſatorum vel inculpatorum in camera curli non recipiendis & quòd eorum dicta redigantur in ſcriptis.*

DICTVM alicuius accuſati, vel inculpati de aliquo crimine, vel alicuius teſtis, vel alterius perſonȩ, non recipiatur in camera curli, ſeu in loco in qua, ſeu quò ſit curlus, ſiue patibulũ, niſi in caſibus in quibus quis torquendus eſſet, ſecundum formam ſtatutorum Nouariæ. Et ſi contrafactum fuerit, contrafaciens condemnetur in libris decem imperialium, pro qualibet vice, applicandis communi Nouariȩ, Et dictum cuiuſlibet perſonæ inculpatȩ, vel inquiſitȩ, & cuiuſcunq; teſtis redigatur in ſcriptis, cum loco loci, vbi tale dictum receptum fuerit, ſub pœna prædicta. Et nullus teſtis per aliquem torqueri poſſit, vel tormentari, niſi dicat ſe interfuiſſe facto, & vacillet in dicto ſuo, vel dicat falſa.

## *De verbis iniurioſis & inſultu contra poteſtatem & alios.*

ITEM ſtatutum eſt, quòd qui poteſtati, vel eius vicario, vel alteri iudici prȩſidenti alicui officio cõmunis Nouariæ, vel ſocio poteſtatis, vel conſuli iuſticiæ Nouariæ ſuum officium exercendo

cendo, dixerit in palatio, vel in broreto, vel in domo habitationis domini potestatis Nouariæ, vos mentimini, vel vos estis proditor, vel falsus, vel beccus, vel ribaldus, seu alia verba iniuriosa similia, componat pro banno & pœna pro potestate libras vigintiquinque imperialium, pro alijs iudicibus, & militibus libris decem imperialium, & pro consule libras decem imperialium. Qui verò insultum fecerit contra aliquem prędictorum, vel domicellum, vel notarios ad malleficia domini potestatis deputatos, de aliquibus armis trahẽdo, vel non tangendo componat pro insultu facto in dominum potestatem modo prædicto libras quinquaginta imperialium, pro insultu facto vicario, vel iudici, vel militi libras vigintiquinque. Et pro insultu dicto modo facto notarijs seu domicellis libras quindecim. Et de insultu consulum iustitiæ, suũ officium exercendo, libras quindecim. De ferutis verò cum sanguine factis in personas prędictas cum armis, condemnetur hoc modo, scilicet, de feruta potestatis in libris ducentis imperialium, & tam extra palatium quàm intus. De feruta vicarij, vel alterius iudicis in palatio facta in libris quinquaginta imperialium, & sine armis in libris vigintiquinque imperialium, si sanguis exiuerit, & si sanguis nõ exiuerit in libris duodecim imperialium. De feruta militis, seu notariorum ad malleficia deputatorum, vel domicellorum, cum armis, in libris vigintiquinque imperialium, & sine armis in libris duodecim, si sanguis exiuerit, & si sanguis non exiuerit in libris sex imperialium. Et pro feruta consulum, suum officium exercentium, in libris quinquaginta imperialium pro quolibet, & sine armis in libris vigintiquinque imperialium, si sanguis exiuerit, & si sãguis non exiuerit, in libris duodecim imperialium. Saluo eo quod dictum est in principio suum officium exercenti, locum habeat in Consulibus, militibus, notarijs, & domicellis, & in potestate, vel iudicibus. Et de prædictis commissis, exceptis consulibus, fit cognitio & diffinitio pręlibati Illustrissimi Domini, & alterius cui specialem committeret cognitionem prędictorum. Ita tamen quòd prędictę pœnę committendę ex persona domini Consulis applicentur, videlicet, pro medietate consuli iniuriato: & pro alia medietate communi, & reliquæ applicentur cameræ Nouariæ in totum.

### *De verbis iniuriosis in alios, quàm in officiales dictis.*

ITEM statutum est quòd si aliquis dixerit alicui aliqua verba iniuriosa componat pro banno a soldis viginti vsque ad soldos sexaginta imperialium, arbitrio domini potestatis, considerata qualitate personarum iniuriantis, & iniuriati, causæ, & loci. Et pœna prædicta duplicetur in verbis iniuriorisis dictis in palatio vel Broreto cõmunis Nouarię, vel in domo habitationis domini potestatis Nouarię, & etiam in verbis iniuriosis dictis in præsentia domini potestatis, vel eius iudicum, dum dicti iudices sedeant pro iure reddendo. Et etiam dictis in pręsentia alicuius consulis sedentis pro iure reddendo, & sub palatio communis Nouariæ vbi iura redduntur. Ita tamen quòd in hoc statuto non intelligantur comprehensi casus & personæ, de quibus in proximo prę cedenti statuto dictum est.

### *De rixis, insultibus, misghiantijs, & ferutis.*

ITEM statutum est quòd si aliquis manu, vel manibus, pede vel pedibus, rixando vel insultum faciendo, in aliquem smigauerit, seu traxerit, vel aspectum fecerit percutiendi, vel trahendi irato animo, & non percusserit, condemnetur in soldis viginti imperialium. Si verò prędicto modo contra prædictum aliquem, aliquem percusserit, vel scarpinauerit, vel in terram cadere fecerit, & sanguis non exiuerit, nec os ruptum fuerit, nec scarnatura, vel scarognatura, seu nizatura apparuerit condemnetur in soldis quadraginta imperialium. Si verò sanguis exiuerit ex naso, vel naribus, seu ore, vel aliqua scarnatura, vel aliquod liuidum, vel nizatum in aliqua parte vultus, vel aliqua alia parte personę fuerit, vel apparuerit, condemnetur in libris tribus imperialium. Si verò propter impulsum, vel ex impulsu ceciderit in terram, & fractum fuerit ex dicto impulsu alicui os capitis, brachij, vel gambę, vel aliquod aliud membrum dislogatum fuerit, tunc ille qui impulit, vel cadere fecit, condemnetur in libris sex imperialium. Et prædictæ pœnæ duplicentur in prædictis maleficijs commissis in palatio vel broreto communis Nouariæ, & in domo habitationis domini potestatis, & in capite porticus communis Nouarię vsque ad maius hostium sancti Ambrosij, & a puteo platee Goritiorum vsque ad puteum fortengum. Et pœnę prędictæ locum non habeât in prędictis commissis in personas filij, vxoris, vel alterius familiaris, seu domesticæ personæ, quæ sic facta remaneant impunita.

De

*De eodem.*

ITEM si aliquis baculo, vel lapide, fuste, vel aliqua alia re, quæ non appellatur armatura ferrea, rixando, vel insultum in aliquem faciendo smigauerit, traxerit, vel aspectum fecerit, trahendo irato animo, & non percusserit condemnetur in libris quatuor imperialium. Si verò percusserit, vel cadere fecerit aliquem, & sanguis nõ exiuerit, seu liuidum, lixum, vel nizatum factum non fuerit, nec scarnatura apparuerit, condemnetur in libris sex imperialium. Si verò inde sanguis exiuerit, vel lixum, seu liuidum, vel nizatũ factum fuerit, vel scarnatura apparuerit, condemnetur pro quolibet & qualibet vice in libris decem imperialiũ. Si verò ossum ruptum fuerit, vel in capite, pede, vel brachio, vel alibi dislocatum fuerit, condemnetur in libris viginti imperialium. Si verò membrum aliquod fuerit inde ruptum vel debilitatum ex toto, condemnetur in libris quinquaginta imperialium. Et vbi prædicta maleficia fuerint iterata, & multiplicata etiam in eadem rixa impetu vel insultu, tamẽ ex diuersis ictibus, multiplicentur pœnæ vltra primam, arbitrio domini potestatis, vsq; ad libras triginta imperialium. Et prædictæ pœnæ duplicentur de commissis in palatio, & in broreto cõmunis Nouariæ, & etiam in commissis de nocte, & etiam in domo habitationis domini potestatis, & alijs locis superius expressis. Et quòd prædictæ pœnæ non possint remitti ex aliqua causa, nisi prius offendens habuerit pacem cũ offenso, vel hæredibus offẽsi.

*De eodem.*

ITEM si aliquis cum ense, cutello, lantia, mazza ferrata, vel cum aliquo alio genere armorum ferreorum, quod appellatur armatura ferrea, vel arma, rixando, vel insultum in aliquẽ faciendo, smigauerit, vel traxerit, seu trahendo aspectum fecerit, vel percutiẽdo irato animo, & non percusserit, condemnetur in libris decem imperialium. Si verò percusserit, seu cadere fecerit, & sanguis inde non exiuerit, nec liuidum, seu nizatum factum fuerit, nec scarnatura apparuerit, condemnetur in libris quindecim imperialium. Si verò sanguis exiuerit, & vulnus factum fuerit, vel liuidum, vel nizatum, vel scarnatura apparuerit, condemnetur pro quolibet vulnere, vel liuido, vel nizzo, vel scarnatura, in libris vigintiquinq; imperialium. Si verò ex tali percussione, vel insultu pedes, & manus, vel aliquod mẽbrum mutilatum, vel ex toto debilitatum, seu de corpore separatum, tunc percutiens condemnetur in libris centum imperialium, applican. pro medietate cameræ communis Nouarię: Et pro alia medietate offenso. Et si talis percutiẽs condemnationẽ non soluerit infra quindecim dies, postquàm in fortiam domini potestatis, & communis Nouariæ, puniatur corporaliter in amissione similis membri, illi quod amputauerit. Et prædictę pœnę pecuniariæ duplicentur in delictis commissis in locis supra positis in fine proximi capituli, vel in præsentia domini potestatis, vel suo, vel suorum iudicum, vel dominorum consulum sedẽtium pro iure reddendo. Et idem sit de nocte, quò ad duplicationem pœnarum.

*De pœna eruentis oculum alicui.*

SI quis habenti vnum oculum tantùm asto animo eruerit, vel erui fecerit, vel ipsum oculũ lumine priuauerit, det pro banno libras centum imperialium ei cui oculum eruerit, seu lumine priuauerit: quas potestas teneatur ei auferre, & dare ei cui oculus fuerit erutus, seu lumine priuatus.

*De eodem.*

HOC idem statutum est, si aliquis habuerit duos oculos, & ex vno non viderit omnino, & alter de quo viderit eruatur, vel lumine priuetur, Si autem habuerit duos oculos, & ambos eruerit, vel luminibus ambor um oculorum priuauerit, componat pro banno libras centũ imperialium illi cui oculos eruerit, vel luminibus ipsorum oculorum priuauerit, etiã alias libras centum imperialium communi Nouarię. Si verò habenti duos oculos bonos vnum eruerit, vel lumine priuauerit, det pro banno libras quinquaginta imperialium communi Nouarię, & alias libras quinquaginta imperialium illi cui oculũ eruerit, vel lumine ipsius oculi priuauerit. Quas dominus potestas teneatur exigere, & dare illi cui oculus erutus fuerit, seu lumine ipsius oculi priuatus. Si autẽ nõ habuerit vnde ꝑdictas quãtitates possit soluere ponatur in bãno ꝑpetuo, de quo nõ possit exire, quousque prędicta omnia soluerit. Et si captus fuerit, potestas teneatur eũ punire corporaliter, eruendo, seu erui faciendo vnũ oculũ, quando vnũ eruerit, vel lumine priuauerit, & si duos eruerit, duos sibi erui faciat.

De

## De homicidijs.

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliqua persona aliquem de iurisdictione Nouarię in ciuitate, burgo, curia, vel districtu interfecerit, vel interfici fecerit, puniatur corporaliter ad amputationem capitis, ita quòd moriatur. Quod statutum non vendicet sibi locum in minoribus vndecim annorũ, vel in personis furiosis, furentibus, mẽtecaptis. Saluo quòd dominus potestas Nouariæ possit tales furiosos, & mentecaptos condemnare ad perpetuos carceres, si sibi videbitur, & duodecim sapientibus, ex sapientibus consilij priuati. Itẽ & eo saluo, si aliqua persona in nocturno tempore aliam personam interfecerit, quam inuenerit in domo sua, res suas male tractando, vel familiam suam, vel aliquem de familia sua in domo habitationis ipsius interficientis, videlicet, furando, homicidium, incendium, vel aggressuram faciendo, vel robbando, vel adulterium, seu stuprum committendo, vel aliquod prædictorum committere volendo, quòd talis interficiens nulla pœna puniatur, & nullam pœnam patiatur. Et intelligatur occisus venisse, vel inuentus fuisse, causa alicuius prędictorum, vel male tractare eo ipso, quòd inuentus fuerit tempore nocturno post tertium sonum campanæ, quæ pulsatur de sero, in domo habitationis occidentis: nisi ostensum fuerit & probatum prędictum occisum intrasse domum de licentia & scientia domini domus, & in quolibet casuum prædictorum licitum sit capere talem malefactorem in domo inuentum, & captum tenere vsque ad diem, & eum postea conducere, vel conduci facere ad dominum potestatem, vel notificare domino potestati. Item & eo saluo quòd si aliqua persona occiderit aliquem bannitum, vel cõdemnatum de aliquo maleficiorum infrascriptorum, videlicet de maleficio, robbariæ, homicidij, stratæ ruptæ, adulterij, incendij, raptus virginis, proditionis patriæ, vel alicuius castri, loci, burgi, villæ, ciuitatis, vel districtus Nouariæ, seu de quocunque alio crimine, propter quod aduersus eum ad pœnam mortis fuisset procedendum, aut si aliquis occiderit alium se defendendo cũ moderamine inculpatę tutelæ, quòd aliquis occidens in aliquo casuum prędictorum superius exceptatorum, non teneatur ad aliquam pœnam, vel bannum, nec inde possit, nec valeat talis homicida condemnari.

## De homidcijs extraneorum.

QVI, & quæ de Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ, aliquem extraneum interfecerit, percusserit, vel vulnerauerit, puniam eum secundum formam statutorum communis Nouarię. vel secũdum consuetudinem ciuitatis, & loci vnde fuerit interfectus, percussus, vulneratus, prout mihi vtilius videbitur, ad vtilitatem huius ciuitatis. Ita tamen quòd vltra formam statutorũ ipsum non puniam. Si autem extraneus hominem Nouarię, vel iurisdictionis Nouarię interfecerit, percusserit vel vulnerauerit, vel interfici percuti, vel vulnerari fecerit, secũdum prędictam formam puniam eum, vel puniri faciam pro posse, & tantùm plus eum puniam, quantùm ciuis huius Ciuitatis puniretur pro homicidio, feruta & percussione in ciuitate & loco vnde erit malefactor.

## De iusticijs extraneorum in eis obseruandis.

ILLAS consuetudines, siue illa statuta, tam super homicidijs, quàm super alijs capitulis, seu statutis, quę ciuitates, vel alia loca alterius episcopatus exercuerint in homines Nouariæ, & iurisdictionis Nouariæ, tenebo in homines illarum ciuitatum, si mihi visum fuerit, nisi meę consuetudines fuerint meliores hominibus meæ ciuitatis.

## De pœna amputandis nasum, auriculam, vel auriculas.

ITEM stututum est quòd quicunq; nasum, vel auriculam, vel auriculas amputauerit, vel scarnauerit, puniatur in libris centum imperialium, applican. pro medietate communi Nouariæ, & pro alia medietate damnum passo, & quam pœnam si non soluerit banniatur. Et si captus fuerit potestas teneatur eum punire corporaliter, amputari, vel mutilari faciendo simile membrum nasi, vel auris, vel scarnaturæ.

## De furto & schacho.

ITEM statutum est, Quòd si aliquis furtum fecerit, vel scienter receperit, seu schachum, si illud furtum vel schachum fuerit soldorum sex imperialium, vel abinde supra, vsque ad soldos decem, condemnetur, & puniatur in soldis centum imperialium. Et si furtum fuerit a dictis soldis decem, vsque ad soldos centum imperialium, condemnetur, & puniatur in libris

libris decem imperialium. Et si furtum ascenderet a soldis centum imperialium supra, vsque ad libras decem imperialium, condemnetur in libris vigintiquinque imperialium. Et si furtum ascenderit a libris decem, vsque ad libras vigintiquinque, condemnetur & puniatur in libris quinquaginta imperialium. Et si dictas libras vigintiquinque, vel quinquaginta non soluerit infra decem dies post condemnationem, amputetur ei vna manus, sic quòd separetur a brachio. Si verò furtum ascenderit a libris vigintiquinque, vsq; ad libras quinquaginta imperialium, vel abinde supra, condemnetur & puniatur in duplo valoris rei subtractæ furto. Et si non soluerit infra prędictos decem dies, amputetur ei vna manus, & vnus oculus ei eruatur. Si verò furtum fuerit soldorum sex, vel abinde infra, vel scachum, puniatur arbitrio domini potestatis, dum tamen illud arbitrium in condemnatione pecuniaria non excedat quantitatem soldorum viginti imperialium. Si verò plura furta commiserit, duplicetur pœna superius proximè declarata. Et si furta fuerint tria librarum vigintiquinque, insimul computata, vel abinde supra, suspendatur per gulam, sic quòd moriatur inde. Si verò fuerint a libris vigintiquinque imperialium infra, & a decem supra amputetur vna manus. Si verò plura furta fuerint a libris decem infra, & pœnam pecuniariam non soluerit, detineatur in carcere per sex menses continuos, & semel quolibet mense ponatur in die iouis, vel in die dominico ad catenam, & ibi teneatur illa die ad voluntatem potestatis, & quolibet die, ipso existente ad catenam, per vnum præconem, alta voce, sono tubę præmisso, ipsius furta publicentur. Et in omnibus prædictis casibus, & quolibet ipsorum condemnetur ad restitutionem furti, & furtorum, cum pœna legitima, ei cui furtum, seu furta facta fuerint.

*De furtibus, & latronibus puniendis.*

FVRES, latrones, & raptores, & alios malefactores commemoratos in statuto sub rubrica. Ne quis ponatur ad torturam, nisi in casibus &c. qui maleficium commiserint in Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ, mihi consignatos, infra quindecim dies, post consignationem factam, si mihi de maleficio constiterit, condemnabo, vel absoluam, & si nondum mihi constiterit, bona fide operam dabo ad cognoscendum de crimine. Et vt mihi liqueat infra tempus debitum. Et postea sententiam dabo infra alios octo dies proximos, & ipsos puniam, vel puniri faciam, nisi pecunialiter satisfacere poterint de eo, de quo pecunialiter fuerint condemnati.

*De robbatoribus stratarum puniendis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt & prouiderunt, quòd qualiscunque persona, vndecunque fuerit, non audeat, nec præsumat facere aliquam robbariam in Nouaria, vel iurisdictione Nouariæ, in strata publica, vel alibi: & si aliquis robbariam in strata publica, vel alibi fecerit, & in fortiam potestatis, & communis Nouariæ, peruenerit, teneatur ipse potestas, vel rector, qui pro tempore fuerit, punire ipsum malefactorem corporaliter; si dicta robbaria ascenderit a libris decem imperialium supra; postquàm de dicta robbaria sibi constiterit, infra decem dies, ita quòd moriatur inde malefactor, absque consilio iudicum Nouariæ. Si verò robbaria fuerit de libris decem, vel abinde infra, punietur & condemnetur robbator in libris quinquaginta imperialiũ. Et si condemnatus ad terminum non soluerit decem dierum, post condemnationem apponendum, amputetur ei vna manus, sic quòd separetur a brachio. Et in quolibet casu teneatur ad restitutionem robbariæ, & emendam faciendam de robbato. In omni tamen casu defensio legitima concedatur inculpato. Hoc addito, quòd si aliquis colonus, massarius, vel fictualis, vel debitor exportaret, vel abduceret, vel exportari vel abduci faceret, aliquas res domini, vel aliquas res obligatas, vel aufugeret: Et dominus creditor, vel alius pro eo, vel alius procurator, pro recuperatione dictarum rerum, ipsas res acciperet, & debitorẽ fugientem detineret, quòd tunc prædictum statutum locũ non habeat, dummodo dictæ res ducantur corã domino potestate, vel eius assessoribus. Et debitor fugiens cõducatur; si cõduci poterit; infra tres dies proximos. Item hoc addito, quòd si quęstio esset, vel oriretur inter aliquos de possessione, vel de proprietate alicuius rei immobilis, vel mobilis, & aliquis abduceret, vel exportaret fructus prędictarum rerum immobilium contra voluntatem alterius, vel ipsas res mobiles, de quibus esset quæstio, quòd prędictum statutum locum non habeat, sed in quolibet prædictorum casuum potestas habeat arbitrium puniendi, & condemnandi tales sic facientes, vsque ad libras vigintiquinque imperialium, pro quolibet & qualibet

vice,habita cōsideratione personarū,factorū & loci. Et etiam habeat arbitrium absoluēdi, habita dicta cōsideratione, vt supra, prout sibi videbitur conuenire. Et etiā habeat arbitriū faciēdi restituere res ablatas, vel fructus in casibus prędictis, prout sibi videbitur cōuenire.

### *De eodem.*

ITEM statuerunt, prouiderunt, & ordinauerunt, quòd aliqua persona, vndecunque sit, vel qualiscunque fuerit, non audeat, nec pręsumat ducere, seu duci facere aliquam robbariam factam alibi, quàm in Nouaria, vel districtu, per Nouariam, vel districtum Nouarię. Et si quis contrafecerit, & aptus fuerit, & in fortiam communis, & potestatis Nouarię peruenerit, teneatur potestas, vel rector, qui pro tempore fuerit, facere ipsum malefactorem poni in carceribus communis Nouarię, de quibus nullo modo exire possit per totum tempus regiminis ipsius potestatis. Et insuper ipse ductor, & malefactor ipsius robbariæ, amittat arma, & equos cū quibus duxerit ipsam robbariam. Et vltra hoc, ipse malefactor ipsam robbariam restituere teneatur, & ipsa arma, & equi perueniant in communi Nouarię, quarum rerum peruentarum in communi, medietas sit communis Nouariæ, & alia accusatoris.

### *De robbarijs non recipiendis.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, & prouiderunt, quòd aliqua persona, vel Burgus, vel villa de Nouaria, vel districtu Nouarię, non audeat, nec præsumat, scienter, reducere nec recipere in aliquo burgo, vel villa, castro, casinali, vel molandino, vel domo, vel alibi in Nouaria, vel districtu Nouarię, aliquas robbarias in Nouaria; vel districtu Nouarię, vel alibi factas, & ductas per Nouariam, vel districtum Nouarię, & qui contrafecerit, si fuerit commune burgi soluat pro banno in pecunia numerata libras quinquaginta imperialium: & si fuerit villa, castrum, vel casinale, vel molandinum, in libris vigintiquinque imperialium: & si fuerit ciuis vel nobilis, librarum duodecim in denarijs numeratis: & si fuerit burgensis, vel rusticus, in libris decem imperialium in pecunia numerata. Et insuper ipsam robbariam, ille in cuius domo inuenta fuerit, vel burgo, vel villa, vel molandino, vel casinale, vel domo restituere teneatur: & quilibet possit accusare: medietas cuius banni sit communis Nouarię, & alia accusatoris: de quibus pœnis superius nominatis in prædictis statutis, non teneantur viduæ, nec absentes, nec minores decemocto annis, nec maiores septuaginta annis, nec infirmi, de quibus pœnis superius nominatis teneantur omnes alij homines, & personę habitantes in ipsis burgis, villis, casinalibus, & castris. Exceptis ciuibus ibi habitantibus.

### *De malefactoribus, & homicidis, & robatoribus non recipiendis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd aliqua persona, seu vniuersitas, scienter, non audeat nec præsumat dare auxilium, & consilium alicui robbatori, seu bannito, de robbaria, vel strata rupta, vel de homicidio, incendio, proditione patriæ, malexartia, vel falsa moneta, vel alicui bannito de aliquo crimine, vel delicto, de quo secundum statuta communis Nouariæ puniri deberet ad mortem, nec ipsum albergare, nec tenere in burgo, villa, castro, domo, casinali, vel molandino, vel alibi in Nouaria, vel districtu Nouariæ. Et qui contrafecerit, si fuerit dominus, ciuis, vel nobilis, condemnetur in libris vigintiquinq; imperialiū. Si fuerit rusticus, vel burgēsis, condemnetur in libris decē imperialium. Et commune burgi condemnetur ex receptione ciuis, domini, vel nobilis, in libris vigintiquinque imperialium. Et commune ville in libris quindecim imperialium. Quam pœnam possit euitare commune prędictum, si infra sex dies fecerit denuntiationem de prædictis, vel malefactorem præsentauerit domino potestati, vel eius vicario, vel iudici. De receptione facta per burgensem, vel vicarium, vltra pœnam, vicini, seu burgensis, commune teneatur quantumcunque denuntiaret, scilicet, commune burgi in libris vigintiquinque imperialium, commune villæ in libris quindecim imperialium. Et dictum statutum in die iouis, vel dominico in contione, vel arengo, dominus potestas singulis mensibus legi faciat, ne ignorantia aliquis excusetur.

### *Contra receptatores bannitorum, & rebellium.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd aliqua specialis persona, commune, collegium, corpus, vel vniuersitas, scienter, non audeat nec præsumat de cætero reducere, seu receptare, seu albergare, vel tenere publicè, vel occultè, de die vel de nocte in Nouaria, suburbiis, vel districtu

districtu,in aliqua domo,castro,burgo,villa,loco,vel molādino aliquam familiam,seu aliquem de familia bannitorum communis Nouariæ,de malexartia,qui sunt modo,vel efficerentur in futurum,nec eis dare comedere,vel bibere,auxilium,consilium,vel fauorem, tacitè vel palam. Et qui contrafecerit, si fuerit burgus condemnetur in libris quinquaginta imperialium:si fuerit villa,in libris vigintiquinque imperialium: & si fuerit cassinale, vel molandinum,dominus cassinalis,vel molandini,in libris viginti imperialium, dādis & soluendis communi Nouariç in pecunia numerata pro quolibet & qualibet vice, & quilibet possit accusare,medietas cuius condemnationis,vel condemnationum,sit cōmunis, & alia accusatoris,seu accusatorum. Et nihilominus teneantur ipsa communia, & speciales personæ ipsas familias expellere dictorum bannitorum ab eorum locis & domibus. Familias autem intelligimus,matrē,vxorē,filios,nepotes, ablaticos,& alios eorū parētes simul stātes cū ipsis bānitis,vel alter quicūque familiaris eorūdē,vel nō diuisos ab eis. Ad quā cōdenatione soluedā teneātur domini,& nobiles ibi habitātes,secūdum quod fuerint extimati.

*De malefactoribus capiendis.*

ITEM statutum est & ordinatū quòd si homicidium, vel ferita facta fuerit in Nouaria,seu suburbijs coherentibus ciuitati,seu in iurisdictione Nouariç, quòd liceat capere cuilibet illū qui fecerit illud homicidiū,vel feritā,& illum consignare in fortiam potestatis,& cōmunis Nouariæ. Hoc idem possit fieri de bannitis communis Nouariæ de maleficio.

*Vt vnus ex iudicibus potestatis semper, quando esset in palatio, stet extra cameram, & quòd testes, vel accusæ non recipiantur nisi in eius præsentia.*

ITEM statutum est quòd iudex maleficiorum potestatis semper quando erit in palatio debeat interesse ad recipiendum accusas,vt supra,astandum quando testes recipientur,& ad audiendum querimonias.

*Vt Potestas, & eius assessores debeant condemnare, & absoluere per semetipsos.*

ITEM statutum est quòd potestas,& rectores Nouariæ,& eius assessores teneātur & debeāt facere per seipsos condemnationes & absolutiones maleficiorum,vel quasi,secundum formam statutorum communis Nouariç,vbi sunt statuta. Et statutis deficientibus secūdū consuetudines ciuitatis Nouariæ,& deficientibus consuetudinibus, secundum prouisiones & formationes. Et deficiētibus prouisionibus & cōsuetudinibus,secūdū leges & iura romana.

*De prohibentibus malefactores capi.*

STATVTVM est quòd nemo debeat scienter recipere in domo suæ habitationis aliquem, qui maleficium fecerit,vel eum abscondere,vel prohibere eum capi,& eum deduci in fortiam domini potestatis Nouariæ, & qui contrafecerit prohibēdo capi & deduci, si ille malefactor cōmiserit maleficiū tale,de quo mori deberet secundū statuta cōmunis Nouariç, condemnetur in libris quinquaginta imperialium,Et si deberet aliàs puniri corporaliter cum sanguinis effusione citra mortem,puniatur in libris vigintiquinque imperialium. Et si pecunialiter deberet puniri,puniatur in libris decem imperialium. Si verò tantùm eum receperit,vel absconderit puniatur in libris vigintiquinque imperialium quando sciēter receperit vel absconderit,aliquem,qui mori deberet de maleficio prędicto,& in libris duodecim & soldis decem imperialium,si citra mortem corporaliter deberet puniri cum sanguinis effusione:Et in libris quinque si pecunialiter deberet condemnari.

*De remunerandis illis qui consignabunt robatorem, vel alium malefactorem.*

ITEM statutum est quòd si aliquis ceperit in franganti crimine,quòd ea die,vel sequenti cōmissi criminis,vel delicti, homicidam,vel alium malefactorem,qui puniri debeat corporaliter,& eum in fortiam domini potestatis consignauerit,& communis Nouariç, habeat de here communis,& dominus potestas,& commune Nouarrę dare debeat in pecunia numerata ipsi captori,& consignatori infra quindecim dies tunc proximos libras quinquaginta imperialium. Et hoc de robatore intelligatur,si robaria ascendit a soldis centum supra imperialium. Et si fuerint plures captores & consignatores, dentur eis,vt supra, cōmuniter inter eos libras quinquaginta imperialiū. Et prędictum statutum locum non habeat in aliquo de familia, vel barrueriorum domini potestatis, vel in alio officiali communis Nouariæ habente stipendium,vel salarium a communi Nouariæ,vel a ducali camera.

*De bannito consignante bannitum.*

ITEM si aliquis bannitus de tali crimine, de quo puniri deberet ad mortem, cœperit & consignauerit in fortiam domini potestatis, & communis Nouariæ alium bannitũ tali crimine quòd deberet puniri ad mortẽ, quòd talis cõsignans debeat eximi, & cãcellari de bãno in quo esset bãnitus, & ex quo deberet puniri ad mortẽ, vt supra, sine aliqua solutione pecuniæ.

*De pœna ingredientis domum alicuius causa robandi, vel aliter delinquendi.*

STATVTVM est quòd aliqua persona non audeat, nec præsumat intrare domũ habitationis alicuius personæ habitantis in ciuitate, vel suburbijs Nouariæ causa robandi, vel furtũ faciendi, vel iniuriam, vel violentiam, vel alio quocunque modo iniuriandi. Et qui contrafecerit, si fuerit de nocte, liceat ipsum occidere, vel capere. Et si de die, non habeat eum occidere, sed eum capere possit, & in fortiã potestatis, & cõmunis Nouariæ ducere. Et talis sic ingressus puniatur, & condẽnetur in libras quinquaginta imperialiũ, si fuerit cũ armis, & sine armis in libris decem, si fuerit de die: & si fuerit de nocte, siue cum armis, siue nõ, condemnetur in libris centum imperialium. Et si stremita inde facta fuerit, vicini ad stremitã currere teneantur, & illũ, vel illos talia facientes capere, & in fortiã cõmunis deducere, in banno & pœna arbitrio domini potestatis vsque ad soldos cẽtum pro qualibet parrochia, ad quam pœnam non teneantur minores decemocto annis, viduæ, vel absentes. Et si ille, vel illi, qui prædicta committerent, vel committere vellent, occiderent, aut vulnerarent aliquem eos capere volentes, non possint dicere se hoc fecisse ad defensionem, sed in hoc casu omnis defensio eis negetur. Et currentes ad dictum rumorem pœnam non incurrant in statuto de rumore non faciendo, vel ad rumorẽ concurrendo conprehensam. Et currentes ad stremitam, ad contributionem pœnæ condemnationis parochiæ non teneantur.

*De pœna commitentium adulteria.*

ITEM statutum est si quis commiserit adulterium per vim, de qua appareat manifestè, in libris centum imperialium condemnetur, si verò sine vi, in libis quinquaginta imperialium, & mulier comburratur si marito placuerit, & si noluerit vir quod vxor comburratur, condemnetur mulier ipsa in amissione dotis, & remaneat penes maritum, & marito mortuo & muliere, sit filiorum ipsius mulieris, & si maritus ante mulierem moriretur, heredes mariti ad medietatem dotis restituendam teneantur. Et si quis per vim aliquam virginẽ, vel mulierem aliam non nuptam & honestam cognouerit, puniatur in libris centum. Si verò sine vi ipsam virginem, vel mulierem aliam non nuptam cognouerit nullam pœnam patiatur. Saluo quòd prædicta locum non habeant in cognoscendo meretrices carnaliter, etiã nuptas, & intelligatur meretrix quæ cognita fuit a duobus, vel a duobus supra, de qua probatum fuerit per publicam vocem & famam quòd sit meretrix, quòd cognoscẽs meretrices carnaliter etiam nuptas nulla pœna puniri possit. Et saluo quòd si accusatus vel denuntiatus fuerit aliquis, vel inquisitus aliquam mulierem non nuptam cognouerit, non possit cõtra eum procedi dicta occasione, nec puniri, si mulier pro qua accusatus fuerit denunciatus vel inquisitus dixerit se fuisse cognitam de sua propria voluntate: & mulieri prædictæ dicere liceat, & ei credatur, & effectum habeat quandocunque ante sententiam, vel condẽnationem. quòd non possit procedi per viam denuntiationis, inquisitionis, vel accusationis contra aliquem, qui testificatus fuerit ad probandum quòd aliqua sit meretrix, occasione stupri vel adulterij commissi cum muliere predicta. Et condemnatus in libris centum si soluere non poterit, eruatur ei vnus oculus, & in minore quantitate condemnatus, si soluere non poterit, fustigetur semel, & ad catenam ponatur tribus vicibus: & vltra hoc in carcere communis teneatur per annũ, & dictum statutũ legatur bis in quolibet regimine.

*De pœna carcerem priuatum facientis.*

ITEM statutum est quòd si aliquis priuatum carcerem fecerit, componat pro pœna, & bãno cõmuni Nouariæ libras cẽtũ imperialiũ. Saluo quòd si aliquis aliquẽ furẽ, vel latronẽ, vel aliquem de aliquo maleficio inculpatum tenuerit p vnũ diẽ naturalem, & in sequẽti die eũ præsẽtauerit domino potestati, vel eius iudici, vel alio de eius familia, vel cõsulibus burgi, vel villæ vbi captus detẽtusuè esset, vel castellano, siue capiti aut capitaneo illius villæ burgi, vel castri, vel de captione prædicta notificauerit domino potestati, vel eius iudici, vt mittat ad eũ capiẽdũ, & in fortiã cõmunis Nouariæ reducẽdum, ad dictã pœnã, vel aliam non tene-

non teneatur. Eodem modo si aliquis aliquem de sua familia includeret, vel retineret inuitum pro aliquo maleficio, quod diceret sibi factum, dum tamen illum non retineat vltra vnum diem naturalem, in aliquo non teneatur: & credatur retinēti, iuranti quòd pro aliquo maleficio, de quo credebat familiarem esse culpabilem retinuit, seu retinebat eundē. Eodem modo pater includendo seu retinendo filium, vel alium in sua potestate constitutum, etiam multis diebus, ad pœnam aliquam non teneatur. Eodem modo de vxore retēta per maritum. Et idem sit vbicunque fuerit quæuis alia iusta causa retinendi.

*De pœna imponentis ignem, & de extinguendo igne imposito vel euagato.*

Si ignis impositus fuerit, vel euagauerit in aliquo loco, vel teritorio iurisdictionis communis Nouariæ, homines de dicto loco, & homines quatuor locorum confinium, & proximiorum dicto loco, in quo dictus ignis impositus est, vel euagatus, teneantur & debeant ire ad dictum ignem & ipsum extinguere, & toto posse dare operam cum effectu ad ipsum ignem extinguendum. Et qui non iuerit, & opus non dederit ad extinguendum dictum ignem, cōdemnetur arbitrio domini potestatis vsque ad soldos viginti imperialium. Et qui ignem imposuerit, & alteri damnum dederit per ignis impositionem in aliquo burgo, villa, vel casinali, habitatis condemnetur arbitrio domini potestatis, a libris vigintiquinque imperialium, vsque ad libras cētum imperialium, considerata qualitate personæ delinquentis & quantitatis, & modo damni sequuti ex dicto igne. Et si ex dicto igne imposito aliqua persona combusta fuerit, vel petempta, tunc ille qui imposuerit dictum ignem pœnis legitimis feriatur. Et in omnem casum teneatur ad restitutionem damni, nec possit de carceribus relaxari, donec satisfecerit damnum passo. Et quilibet possit accusare, & ipsum conducere in fortiam domini potestatis sua propria auctoritate. Et medietas condemnationis sit accusatoris, & alia communis Nouariæ. Et consignans in fortiam domini potestatis malefactorem habeat de hęre commmunis Nouarię libras decem imperialium. Et teneatur potestas omnia & singula prędicta semel quolibet mense facere cridari.

*De eodem.*

Item statutum est quòd si aliquis imposuerit ignem in territorio iurisdictionis communis Nouariæ, extra loca habitata, puniatur in libris decem imperialium vsque ad libras quinquaginta imperialium, arbitrio domini potestatis, cōsiderata qualitate personæ delinquētis, & quantitate damni sequuti ex dicto igne. Et nihilominus teneatur restituere damnum illis personis quibus datum fuerit ex dicto igne. Et quòd supra dictum est de accusatione & captione personæ, locum habeat in casu præsenti.

*De pœna euntium, & repertorum de nocte.*

Statutum est quòd si aliquis inuentus fuerit de nocte ire, stare vel esse, sine armis, & cum lumine in nichilo puniatur. Si verò sine armis, & sine lumine inuentus fuerit in sua viciniā tia, per medium, vel prope per tres pertichas domum suæ habitationis, vel stationis, vel tabernæ, puniatur in soldis duobus imperialium. Et si vltra suam viciniam, vel vltra dictas tres pertichas sine armis & lumine fuerit repertus, componat soldos quinque imperialiū. In foresterijs verū pœna duplicetur. Et possint forosterii retineri, arbitrio domini potestatis ad cognoscendum de conditionibus suis. Et nō relaxentur dicti reperti, nisi soluerint pœnam predictam in pecunia numerata, vel dederint pignus idoneum, vel fideiussorē de soluendo. Et sic soluendo, pignus dando, vel fideiubendo alio, duci, vel detineri non possint. in plateis verò consuetis suæ viciniæ stare liceat sine lumine, & sine pœna, dummodo illi qui stabunt ad plateam, vel prope plateam sint tres, vel vltra.

*De pœna portantium arma.*

Item statutū est quòd aliqua persona ciuitatis, vel districtus Nouariæ nō audeat, nec pręsumat portare per ciuitatē, vel suburbia ciuitatis Nouariæ coherētia, arma offēsionis. Et persona quę inuēta fuerit arma portare, cōponat pro cultello magno, seu ad gallonum soldos quinque imperialiū, pro spata, seu stocho soldos decē imperialiū. Et si haberet cutellū, spatā, & lanciā, soldos viginti imperialiū. Si lanciā solā haberet seu speti cōponat soldos quinque. Hoc saluo quòd si spatam & cultellū ligatas haberet, & nō cinctā & nō ad corrigiā, vel gallonum, vel haberet ad ferrum lanciæ, vel speti, aliquod lignū, vel aliud affixū, vel haberet capellum, vel lobiā nō teneatur. Et hoc si fuerit pedes. Si verò fuerit eques, non teneatur

 ad pœ-

ad pœnam prædictam. Si habuerit capellum vel ipso iurante ad sancta dei Euangelia, quòd ad burgum, vel villam, vel extra suburbia Nouariæ ire volebat incontinenti, vel veniebat. Et qui cultellum in loco insolito, vel absconso, alibi quàm ad corrigiam habuerit & inuentus fuerit habere, componat pro banno libras quinque imperialium. Et si non erit de Nouaria, vel districtu Nouariæ qui repertus fuerit in loco insolito, vel absconso, componat pro banno libras vigintiquinque imperialium. Forosterij verò, non habentes soldum a communi Nouariç, reperti cum armis prohibitis, vtsupra condemnētur, in duplici pœna eius quod districtualis Nouariæ deberet condemnari. Et hospes vbi hospitabunt forosterij, quàmprimum venerint ad hospitium, debeat denuntiare forosterijs, quòd arma deponant. De armis verò sic repertis perdendis, seu restituendis, sit in arbitrio domini potestatis. De nocte verò arma prohibita deferentes pœnas prætaxatas superius, tam ciues quàm alij soluere debeant duplicatas, nec excusentur propter capellum, vel arma ligata.

## *Quòd Consules teneantur denuntiare domino Potestati deferentes arma illicita in loco suæ habitationis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd consules villarum, & terrarum iurisdictionis, & districtus Nouariæ, & alij, qui vigore statutorum suprascriptorum obligantur portare denuntias maleficiorum, teneantur & debeant denuntiare, & in scriptis portare infra octo dies potestati Nouariæ, vel eius vicario omnes eos qui in suo territorio arma portabunt illicita contra formam statutorum communis Nouariç, per nomen & cognomen, & nomen patris delinquentium, & testium, sub pœna cuilibet consuli vel obligato ad hoc soldorum viginti imperialium, & pro quolibet communi villæ soldorum sexaginta imperialium, & soldorum centum imperialium pro quolibet commune burgi, applican. pro medietate communi Nouariç, & pro alia medietate accusatori.

## *Quæ genera armorum appellantur vetita.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd appellatione armorum vetitorum comprehendantur spata, quadrellus, siue daga fureta, pennatum siue dardus, balista cum varatonis & sagittis ferratis, lancia giauarina, partesana, zaneta minus lancia, rangonus, siue rancheta, mazza ferrea, siue aceta, securis, falcastrum, falceta longa, ballotæ ferreæ, siue plombeæ, zarabatanæ cum balotis & igne, cultelli de galono, vel aliter longi vltra tertiã vnam mensuræ panni, stambechinę cum sagittis ferratis, & generaliter omne genus armorum, quod feratur in fraudem telli, vel gladij de iure communi vulgariter prohibita. Et de prædictis fiat crida in dictis villis.

## *De pœnis ludentium & tenentium bestiacias, & stantium ad ludos taxillorum.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd aliqua persona Nouariensis districtus, vel aliunde, cuiuscunque conditionis existat, non audeat, nec præsumat in ciuitate Nouariæ, vel aliqua alia parte districtus Nouarię, ludere ad taxillos, nec ad ludum taxillorum, nec bizazias nec ad grassos, nec magros, nec ad alium ludum vbi trahantur taxilli, vel taxillus. Et qui contrafecerit, si fuerit de nocte componat pro banno libras decem imperialium, si fuerit de die libras quinque imperialium. Et quilibet præstator pœna simili teneatur, stans ad ludum puniatur in soldis viginti imperialium, manutentores ludi puniantur in soldis sexaginta imperialium si fuerit de die, & si fuerit de nocte soldos centum imperialium. Et qui præstat taxillos ad ludum, vel candellam, seu tabulerium ad ludendum in soldis triginta imperialium. Tenentes verò ludum in domo suæ habitationis, vel taberna sua, vel aliena vbi vendunt, vel stationa sua, puniantur, & condemnentur in libris decem imperialium, si fuerit de die, si fuerit de nocte in libris viginti imperialium. Et si suspecti de ludo & præstantes, vnus, vel plures fuerint reperti de nocte tres numero, vel abinde supra in aliqua domo alicuius suspecti de prædictis, vel aliquo prædictorum puniantur & condemnentur per inde ac si reperti essent ludere de nocte, & quilibet possit accusare prædictos, & quemlibet prędictorũ contrafacientes, condemnationis medietas sit accusatoris & alia communis Nouarię. Et dominus potestas & sui iudices possint facta accusatione vel denuntiatione, vel sine, veritatem inquirere de prædictis. Saluo quòd propterea aliquem torquere non possit, & culpabiles quàm primum poterit debeat condemnare, defensione legitima cuilibet reseruata: vbique verò & omni tempore ad tabulas, & schachos ludi valeat

siue

sine pœna. In nundinis verò sancti Gaudentij, sancti Bernardi, & sancti Martini, vel in aliquibus alijs nundinis, tam ordinatis, quàm ordinandis ad dictos ludos prohibitos ludi non possit. Et quòd potestas, & sapientes de hoc licentiã vel parabolã dare non possint, & data non valeat. Et qui prædictas pœnas soluere non poterit, teneatur post terminum condemnationis in carcere communis a diebus quinque vsque ad dies quindecim, arbitrio domini potestatis. Et nihilominus ad berlinam vel ad catenam ponatur, secundum quòd visum fuerit domino potestati, & quòd de ludo taxillorum non reddatur ius perdenti.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd si aliquod instrumentum obligationis de argento, vel de aramo, vel de alia specie, vel re reperiatur factum alicui præstatori ad bistatiam per aliquem lusorẽ, & per ipsum lusorem probabitur per duos testes idoneos, quòd quicquid contineatur in instrumento, quòd fuit re vera de ludo, & ex causa ludi superius prohibiti, non valeat, nec teneat ad illud instrumentum, nisi per creditorem probaretur, saltem per duos testes idoneos in instrumento obligationis non descriptos, quòd dicta pecunia in dicto instrumento comprehensa sibi debeatur ex alia causa quàm de ludo. Et hoc habeat locum si ille creditor & ille qui se obligauit fuerint suspecti vel famosi de ludo & de præstãdo ad bestiaciã factis & habitis de recenti respectu temporis contractus. Et prædictum statutum vendicet sibi locum, tam in districtu Nouariæ quàm in ciuitate.

*Vt nemo debeat Deum vel Sanctos blasphemare, nec dicere illud turpe verbum vermumcane.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si quis blasphemauerit Deum vel sanctam Mariam, vel aliquem de suis sanctis, ludendo, vel in tabernis, vel alibi commorando vbicunq; sit, & similiter si dixerit illud turpe verbũ de vermumcane, vel tibi veniat cachasanguis, vel carbunzellus, soluat & componat pro banno pro qualibet vice, videlicet, quando blasphemauerit Deum & sanctam Mariam libras decem imperialium: quando verò sanctos soldos cẽtum imperialium, quando verò dixerit dicta turpia verba, seu aliquod ipsorum soldos decem imperialium pro qualibet vice. Et quilibet possit accusare, dummodo sit homo bonæ opinionis. Et medietas dicti banni sit accusatoris, & alia communis. Et quòd in prædictis casibus procedatur ad executionem dictarum pœnarum sine processu. Et si condemnatus non fuerit habilis ad soluendum, quòd teneatur in carcere communis per octo dies post cõdemnationem, & quolibet die temporum octo dierum ponatur ad catenam.

*De pœna inijcientis manus versus Deum, & beatam virginem Mariam, & alios Sanctos.*

ITEM si aliquis aliquo modo manus iniecerit versus figuram Dei, vel beatæ virginis Mariæ, vel alterius sancti, puniatur in libris vigintiquinque imperialium totiens quotiens contra fecerit, vel aliter animo iniuriandi deformauerit: quam pœnã teneatur soluere infra dies decem postquàm condemnatus fuerit, & quam pœnam si non soluerit infra dictum terminum, fustigetur publicè per ciuitatem Nouarię, & teneatur singulis diebus ad catenã per octo dies. Et quilibet possit accusare in prędictis casibus, & credatur accusatori cum vno teste fidedigno. Cuius pœnę pecuniariæ medietas sit accusatoris, & alia cõmunis Nouarię.

*De pœna transeuntis murum Ciuitatis & fortilitia.*

STATVTVM est quòd aliqua persona non audeat, nec pręsumat de nocte exire ciuitatem Nouarię, nec in ipsam intrare per transuersum muri dictę ciuitatis, nec per aliam viam, quàm per aliquam ex portis, seu pusterlis dictæ ciuitatis. Et contrafaciens puniatur in libris centum imperialium. Si verò de die in libris vigintiquinque imperialium. Et qui ascẽderit murum ciuitatis de nocte, si non sit de custodibus, condemnetur pro quolibet & qualibet vice in soldis centum imperialium. Et si de die, in soldis decẽ imperialium. pro quolibet & qualibet vice.

*De pœna intrantis, vel exeuntis ciuitatem, nisi per portas.*

ITEM quòd nulla persona audeat vel præsumat exire, vel intrare suburbia ciuitatis Nouariæ, nisi per portas, seu fractas, vel trãsuersare crestas, seu fossata. Et qui contrafecerit cõdemnetur in libris decem imperialium.

*De armatis non ducendis.*

STATVTVM est quòd nullus de Nouaria, vel de suburbijs coherentibus ciuitati, debeat ducere, vel secum habere per suburbia ciuitatis coherentia aliquem hominem armatum, vel guarnitum, seu homines occasione suæ defensionis, vel adiutorij, seu occasione offensionis alterius, nisi prius promiserit, vel habuerit licentiam potestatis, vel bonos fideiussores dederit in pœna librarum centum imperialium: quod si contingerit quòd ille quem secum duxerit, vel habuerit, vt dictum est, maleficium aliquod commiserit, vel fecerit, quòd pro eo componat & emendabit, & pro eo ad iustitiam stabit, ac si propria persona fecisset. Et qui contrafecerit det & componat pro banno pro qualibet vice libras decem imperialium. Saluo quòd si aliquis duceret, vel secum haberet armatos pro turbatione status pacifici qui est hodie Nouariç, quòd puniatur arbitrio domini potestatis. Salua voluntate Illustrissimi domini nostri.

*De rumore non leuando.*

STATVTVM est quòd si aliqua persona in ciuitate, vel suburbjs ciuitatis Nouariç fecerit rumorem, vel ad rumorem homines concitauerit, cridando ad mortem, vel ad arma, ad arma, componat pro pœna & banno libras vigintiquinq; imperialium, vsque ad libras quinquaginta imperialium. Et si alibi in districtu Nouariç hoc fecerit componat pro banno libras decem imperialium. Et si in exercitu hoc fecerit componat pro pœna & banno libras decem imperialium. Et sequentes præ dictum cum armis condemnentur; si fuerint in ciuitate vel suburbijs; a libris quinq; vsq; ad libras decē; Si fuerint in districtu in libris duabus, si fuerint in ex exercitu, a libris quinque vsque ad libras decem imperialium pro quolibet ipsorum. Saluo quòd si legitimè probaretur quòd rumorem leuauerit, vel fecerit pro turbatione status ciuitatis, quòd tunc puniatur arbitrio prælibati domini nostri.

*Ne quis proijtiat de solario siue turre ad rixas.*

QVI de solario siue turre ad rixas siue stremum traxerit, vel permiserit trahi, componat pro banno libras decem imperialium, nisi turris, vel solarium fuerit eius, cui iniuria fuerit irrogata, & nisi fecerit pro sua defensione, vel domesticorum, vel alicuius, qui ad domum eius fugerit: non tamen contra potestatem.

*De cartis & scripturis falsis.*

STATVTVM & ordinatum est quòd si quis scienter fecerit, vel fieri fecerit, vel ordinauerit, vel machinatus aliquo modo fuerit cartam, testamentum, vel acta, vel aliquam scripturam falsam, & præsumatur esse factum scienter, si fuerit factum inter notos, quòd dominus potestas suo sacramento, vel sui iudices & assessores eius teneantur, & debeant illum & illam personam condemnare ad dandum & soluēdum communi Nouariç libras centum imperialium. Et si quantitas falsitatis ascenderet ad libras ducentas imperialium, vel supra, condemnetur in libris centum quinquaginta imperialium, & teneatur eas soluere in denarijs numeratis. Et vltra hoc teneatur falsarius, & potestas sit astrictus eum condemnare, & eos ad restitutionem damni & soluen. illi personç & personis contra quem, vel quas scriptura vel carta foret falsa dictata, scripta vel abbreuiata, vel tractata, in tota illa quantitate, quæ compræhensa esset in carta, vel scripta, vel extimationem, & valorem eius falsitatum. Et vltra hoc pingatur ad palatium, & describatur nomen eius, & cognomen, & causā falsitatis, & eo ipso sint cassi ab officio notariæ. Et potestas teneatur hoc ponere in condemnatione, & ex nunc, præsenti statuto, & decreto cassi & amoti perpetuò sint, & remaneāt, nec vnquam, vel aliquo tempore possint aliquas cartas abbreuiare, scribere, vel tradare, sub eadem pœna, & si quas traddarent, vel abbreuiarent post condemnationem de ipsis factam, quòd ille cartæ vel scripturæ non valeant, nec teneant, sed ipso iure auctoritate huius statuti sint & habeantur nullæ, & pro nullis, tam per potestates, rectores, & consules communis Nouariç, quàm per alias singulares personas. Dominus verò potestas, & eius familia, qui per tempora erunt, teneāntur, & debeant retinere in carceribus dictos falsarios, & falsatores, nec possint eos relaxare palam, vel occultè, seu aliquo relaxandi modo, nisi prius soluerint condemnationem de ipsis factam communi Nouariæ, & soluerint, & restituerint prædictas quantitates illis contra quos falsum, seu falsitatē, vt supra, cōmiserint. Et hoc sub pœna de suo salario librarum centum imperialium, quę permaneant in communi Nouariæ. Quas condemnationes tam debitas communi quàm parti cōtra quā

tractata

tractata vel commissa est, vel erit falsitas; si non soluerit infra dies decem post condemnationem, amputetur eis & cuilibet ipsorum falsatori, vt supra, manus dextra a brachio. Et prędicta omnia, & singula, & instrumenta habeant locum in omnibus & singulis qui aliquã cartam, vel scripturam cassauerint, raserint, vel canzellauerint, vel alio modo falsificauerint, addendo, vel minuendo, vel alio modo falsificando, vel de aliquo libro vel quaterno aliquod folium in toto, vel in parte tollendo, vel minuendo, vel addendo in libris, & de libris, in quibus sint acta publica, & de quibus videatur falsitatem commisisse. Et de prædictis omnibus possint dominus potestas, & assessores procedere ex officio suo, sine aliqua denuntiatione & ponere omnes & singulas personas, contra quas procederetur, vel inquireretur de prædictis, vel aliquo prędictorum ad tormenta, aliquibus statutis communis Nouariæ contrarijs non obstantibus, legitimis tamen indicijs pręcedentibus.

### De cartis, & scripturis falsis spectantibus ad cameram.

QVICVNQVE falsificauerit, vel falsificari fecerit, aut frauduléter exportauerit, vel occultauerit aliquam ex scripturis publicis, nunc vel in futurum existentibus ad cameram communis Nouarię condemnetur in libris ducentis imperialium communi Nouarię, applican.

### De testibus falsis.

QVI falsum testimonium perhibuerit, si causa fuerit librarum vigintiquinque imperialiũ, vel abinde infra componat pro banno libras decem imperialium: & si a libris vigintiquinque fuerit vsque ad libras quinquaginta, componat pro banno libras vigintiquinque imperialium, & si a dictis libris quinquaginta supra fuerit causa cõponat pro banno libras quinquaginta imperialium. Quas condemnationes, si soluere non poterit, incidatur sibi lingua post terminum decem dierum, in condemnatione apponendum. Et in omni casu, teneatur ad restitutionem damni faciendam damnificato, ex eius testimonio, nec de carcere possit eximi vel relaxari, nisi restitutionem fecerit supradictam, eadem pœnam patiatur ille qui falsum testem produxerit, & testificari fecerit scienter & dolosè.

### De falsis testibus in causa criminali.

SI quis testimonium fasum dixerit in causa criminali, vbi ingeratur pœna mortis, condemnetur in libris ducentis imperialium. Quam si soluere prima die post condemnationem non potest, puniatur in abscisione linguæ, & manus dextræ. In alia autem causa criminali condemnetur, & puniatur in libris quinquaginta imperialium, quas si non soluerit infra decem dies post condemnationem de ipso factam, lingua eidem abscindatur. Et simili pœna pecuniaria tantùm puniatur, & condemnetur ille qui scienter & dolosè produxerit in causa criminali falsos testes, vel eorum dictis scienter, & dolosè vsus fuerit.

### De scripturis tabellionis, propter ignominiosam causam ab officio remoti, gubernandis.

SI quis tabellio ab officio tabellionatus propter ignominiosam causam remotus fuerit, teneatur, & debeat dominus potestas Nouarię, eius imbreuiaturas infra quindecim dies post eius remotionem, vel priuationem coram eo facere præsentari, & eas facere gubernari penes personã idoneam per cõsules notariorum elligẽdam. Ita quòd nulla falsitas in eis committi possit. Et omne commodum & lucrum quod inde percipi vel haberi poterit, detur pro parte dimidia notario priuato, seu ab officio remoto, vel eius heredibus, & de alia medietate disponatur arbitrio consulum notariorum.

### Quòd nullus condemnatus de falso possit exercere aliquod officium publicum.

NVLLVS condemnatus vel bannitus de falso posit habere, nec exercere aliquid officium publicum in ciuitate Nouariæ, vel eius districtu, nec posit etiam aduocationem, vel procurationem exercere.

### De falsa moneta.

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd si quis fecerit, vel fieri fecerit in ciuitate, vel districtu Nouariæ monetam falsam, vel si quis tonsauerit, vel raserit, vel tonsari, vel radi fecerit aliquam monetam in ciuitate Nouariæ, vel districtu, flãmarum exustionibus mancipetur. Et idem intelligatur de eo in cuius domo, ipso sciente, & patiente, prædicta fuerint perpetrata, & vltra domus illa funditus dirruatur.

*De eodem.*

ITEM si quis expendiderit, vel expendi fecerit scienter, vel dolosè falsam monetam puniatur in libris centum imperialium. Saluo quòd si reperiretur aliquem expendisse scienter & dolosè monetam falsam, in vna vice, vel pluribus decem libras imperialium, vel aliam monetam valentem libras decem, vel abinde supra comburatur. Portantes verò falsam monetam ad ciuitatem Nouariæ debeant pœnis similibus subiacere. Et quilibet possit accusare. Medietas cuius pœnæ pecuniariæ sit accusatoris, & alia communis Nouarię.

*De actitatis causarum ciuilium, & criminalium, dandis in exemplum.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd quilibet potestas, assessores, & milites eius teneantur dare omnia actitata & dicta testium, exemplata causarum ciuilium, & criminalium partibus, seu parti petenti, antequàm procedatur ad condẽnationem, vel absolutionem. Et postquàm fuerint ipsa actitata exemplata, teneantur & debeant dare terminum competentẽ ad opponendum, & deliberandum super ipsis processibus, & actitatis parti petenti, sub pœna potestati librarum vigintiquinque imperialium de suo salario, & librarum decem cuilibet assessori & militi, communis Nouariæ, in pecunia numerata soluen. pro qualibet vice qua contrafecerit. Et quòd de inditijs receptis in causis criminalibus non debeat dari copia antequàm reus respondeat inquisitioni.

*De condemnatione non facienda vltra formam statuti.*

IN omnibus illis capitulis in quibus certa quãtitas banni posita est, vel posita parabola maioris credentiæ, vltra illam quantitatẽ banni non auferam, & sit præcisum, & condemnatio aliter facta non valeat, nec teneat ipso iure. Salua voluntate prælibati Domini.

*De condemnationibus maleficiorum secundum statuta fiendis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliqua persona maleficium cõmiserit vnicum, vel plura, potestas teneatur eam condemnare, secundum qualitatem maleficij, secundum statuta, & consuetudines, & reformationes consilij generalis ciuitatis Nouariæ, & eis deficientibus, secundum iura romana, & non aliter.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ non possit, nec debeat aliquam pœnam, vel mulctam, vel pecuniariam, vel aliam maiorem imponere subdito suo, vel impositam executioni mandare pro delictis, vel commissis contra non subditum communi Nouariæ, quàm dicto non subdito imponitur, vel imponeretur per suum iudicem de delictis commissis contra subditum cõmunis Nouariæ. Saluis alijs statutis, vel ordinationibus cõmunis Nouarię, quę seruari debeant subdito, inquantum essent mitiores vel meliores.

*Ne alter pro altero puniatur.*

PATER pro filio, filius pro patre, frater pro fratre, vel alius pro alio non puniatur.

*De pœna non probantis accusam.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd si aliqua persona aliam personam accusauerit de tali crimine, quo probato deberet sequi condemnatio pecuniaria vsque ad decem libras imperialium, vel abinde infra: si defecerit in probatione, puniatur in libra vna imperialiũ danda communi Nouarię, sine aliqua compensatione. Si verò accusatio facta fuerit de tali crimine, quo probato deberet sequi condemnatio a decem libris supra, si non probauerit accusationem, puniatur ad rationem soldorum duorum imperialium pro qualibet libra quantitatis vertentis in accusatione similiter, & dandis & soluendis communi Nouariæ, sine aliqua compensatione. Siuerò accusatio facta fuerit de tali crimine, quo probato accusatus puniri deberet ad mortem, sine remedio, persona quæ accusauerit, deficiens in probatione, puniatur in libris quinquaginta imperialium, similiter dandis communi Nouarię, vtsupra: dominus potestas, vel eius iudex debeat, antequàm recipiat accusationem in omnibus prędictis casibus, debeat recipere bonos fideiussores ab illa persona, quę accusauerit de soluen. prædictas quantitates pecuniarum, si defecerit in probatione, vtsupra. Si verò accusatio fuerit facta, non possit dominus potestas, vel eius iudex, siue ipsius curia, procedere per viam inquisitionis; & non habeat locum istud statutum in denuntiationibus fiendis

fiendis per parrochianos, siue per consules locorum episcopatus Nouariæ, vel alios officiales deputatos ad denūtiationes faciēdas. Et saluo quòd si cōcordia facta fuerit inter partes ante condemnationem, quòd pœnę prædictæ, neque aliquę aliæ locum habeant in quæstionibus possessionum occupatarum. Et hoc locum habeat siue per modum accusationis, siue per modum inquisitionis, siue accusationis, siue quocunque alio modo procedatur.

*De compēsationibus condemnationum.*

ITEM statutum est quòd qui condemnatus est, vel pro temporibus condemnabitur versus commune Nouarię, possit compensare de eo quod habere debuerit a communi Nouariæ aliqua de causa, si de dicta causa fuerit instrumentum publicum. Et quòd talis qui habere debeat a communi, vt supra, possit compensare pro qualibet condemnatione facta, vel quę fieret in futurum contra se, vel contra familiam suam. Et dictam compensationem possit facere infra quindecim dies post condemnationem, & non vltra. Et de eo quod compensabitur faciat confessionem communi Nouarię. Et notarius qui scribet compensationem debeat scribere cum nota sua annū & diem confessionis factę & nomen notarij, qui eam tradidit. Saluo quòd de crimine homicidij, & pro condemnatione subsequuta ex eo, vel quæ fieret, & alijs casibus specialiter in statutis comprehensis. Et potestas qui nunc est, & per tempora fuerit teneatur recipere dictam compensationem, vt supra, ad petitionem creditoris. Et teneatur potestas facere cancellari dictam condemnationem, & condemnationes vsque ad quantitatem compensationis.

*Vt nullus banniatur, vel condemnetur, nisi causa & nomine prius scriptis.*

NVLLAM singularem personam, vel commune loci, siue vniuersitatis denuntiabo, vel denuntiari faciam in banno, nec bannum dabo, nec condemnabo, nisi prius eius nomen, cognomen, & nomen patris expressa, ex causa quare fuerint scripta in libro communis Nouarię. Et si prædicta omnia non fuerint obseruata, bannū sit ipso iure nullum, & condemnatio & denuntiatio nulla, & sit præcisum. Et istud statutum habeat locum in hominibus ciuitatis Nouarię & districtus, & non in alijs. Et teneatur iudex maleficiorū, & quilibet alius, coram quo fuerit processus, sub pœna iuramenti, & vltra de libris decem de suo salario, exprimere in inquisitionibus nomen & cognomen, & nomen patris cuiuslibet, contra quem inquisiuerit. Et denuntiationes, vel accusas nō recipere, nisi in ipsis expressum fuerit nomē & cognomen, & nomen patris accusati, vel denuntiati. Ita tamen quòd si secus factum fuerit, processus propterea non vicietur. Saluo quòd dictum est supra de banno & condemnatione. Et idem intelligatur de fideiussoribus in causis maleficiorum. Et notarius non scribat aliquem fideiussorem, nisi expresso nomine & cognomine, & nomine patris, sub pœna librarum viginti imperialium de suo salario. Et hoc statutum locū nō habeat in cōposturis.

*De eo qui steterit in banno maleficij per mensem, quòd pro confesso habeatur.*

ITEM statutum est quòd si aliquis fuerit in banno positus pro maleficio a potestate, & infra mensem, a tempore banni dati, mandatis potestatis nō steterit, ex tunc habeatur pro firmo illud maleficium, cuius occasione bannitus fuerit, perpetrasse, quò ad commune, & quò ad partem, nec postea audiatur, si prædicti criminis se innocentem probare voluerit, & ante mensem condemnari non possit.

*Vt banniti pro bannitis habeantur.*

ITEM statutū est quòd bāniti a domino potestate Nouarię, vel ab assessoribus suis, pro bannitis habeantur, quò ad cōmune, & quò ad partē. Saluo quòd si aliquis bannitus, vel cōdemnatus de aliquo maleficio soluisset bannū & cōdēnationē, licet bannū & cōdemnatio essent integræ, & nō cāzellatæ, tūc nō habeatur pro bānito, nec quò ad cōmune, nec quò ad partē. Et eodē modo si ex forma statuti, vel statutorū, vel ex gratia superioris, vel ex aliqua pronuntiatione, vel alio modo dictum, vel pronuntiatum, vel ordinatum est, quòd banna aliquorum habeantur pro cancellatis, vel quòd debeant cancellari, non habeantur tales pro bannitis, nec quò ad commune nec quò ad partē, liceat eorū banna vigeant, & non sint cancellata. Saluo quòd a die publicationis huius statuti in antea, pro aliqua prouisione, vel reformatione, fienda nō habeantur pro cācellatis de bāno, nisi se super libro fecerint cācellari.

*De bannitis reducendis in condemnationibus, & de condemnationibus exigendis.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ qui erit per tempora teneatur & debeat omnia banna

banna legitimè a se data reducere in condemnationes in illa quantitate in qua de iure condemnari possit iuxta formam statutorum communis Nouarię, post triginta dies a die banni dati. Et statutis deficientibus secundum consuetudines & iura. Et quilibet potestas teneatur ante exitum sui regiminis exigere omnes cōdemnationes per eū legitimè factas & omnes alias condēnationes factas per pręcessores suos nō exactas, & eas facere deuenire in cōmuni Nouarię. Et si potestas, propter breuitatē sui tēporis, nō posset deducere in cōdēnationes omnia bāna a se data & ea exigere, sequēs potestas teneatur ea in cōdemnatione deducere & exigere. Et potestas infra duos mēses, vel quā citius poterit, infra tamē sex mēses absoluēdos absoluat. Saluo quòd non præiudicet alteri officiali super exactione cōstituto.

*Vt bannitis de maleficio iustitia non reddatur, & vt certa maleficia remaneant impunita.*

STATVTVM est quòd bannito a potestate, vel eius assessoribus, vel aliquo officiale communis Nouarię iustitiam reddente, iustitia in causis ciuilibus vel pecuniarijs durante banno reddatur. Et hoc si bannum non fuerit de maleficio, & talis bannitus alijs respondere teneatur. Si verò fuerit de maleficio bannitus, durante banno, ipsi bannito in causis ciuilibus vel maleficiorum iustitia non reddatur. Sed alijs iustitiam facere teneantur. Et maleficia & offensiones facta & factę in personam banniti, vel condemnati de homicidio, robbaria, strata rupta, adulterio, incendio, raptu virginis, proditione patrię, vel alicuius castri, burgi, villæ, vel loci ciuitatis, vel districtus Nouariæ, seu de quocunque alio crimine, propter quod aduersus eum procedendum esset ad pœnam mortis, remaneant impunita & impunitæ; nisi talis bannitus vel condemnatus esset in fortiam communis Nouariæ, vel duceretur ad præsentandum domino potestati, & communi Nouariæ. Quibus casibus non liceat bannitum vel condemnatum offendere.

*De fidantia & licentia danda per dominum potestatem bannitis, citatis, vel requisitis.*

ITEM statututum est quòd si aliquis bannitus, quantumcunque bannitus, vel de aliquo maleficio citatus fuerit, seu requisitus ex parte domini potestatis, vel eius iudicis, seu assessorum, veniat, & venire debeat coram suprascripto domino potestate, vel eius assessoribus propter aliquam causam, & petita fuerit licentia pro eo sic bannito, vel condemnato, quòd potestas fidantiam & parabolam & licentiā dare possit; & teneatur & debeat, in scriptis notatam manu publica tali bannito, vel condemnato, seu alij pro eo, vsque ad illos dies de quibus videbitur potestati, & vna vice, & pluribus, & quotiens opus fuerit; & illa fidantia, & licentia dicto bannito, vel condemnato seruari debeat per dominum potestatem, & eius iudices, & officiales communis Nouariæ, sic & taliter quòd omni occasione banni, & bannorum, seu condemnationum, durante termino licentiæ, vel fidantiæ, non possit realiter, vel personaliter pro illis bannis & condemnationibus capi, vel detineri, vel modo aliquo molestari, iure dicente quòd in cæteris casibus data licentia non seruetur, & alijs iuribus & statutis in aliquo non obstantibus. Eodem modo dari possit licentia per dominum potestatem cuilibet, qui citaretur coram consulibus iustitiæ ad testificandum super aliqua causa, vel ad aliquam tutelam, vel ad aliquod onus suscipiendum.

*De his qui faciunt pacem, & confitentur delictum.*

ITEM statutum est quòd dominus potestas Nouariæ teneatur, & debeat, si pax fuerit facta inter aliquas personas Nouariæ & districtus, quę se dicto vel facto offendissent, de qua pace appareat instrumentum, remittere tertiam partem eius de quo deberet condemnari, illi personæ quæ condemnabitur: dummodo instrumentum producatur ante condemnationem. Et idem sit in confitente delictum.

*Vt nullus præsumat tractare contra Illustrissimum Dominum nostrum.*

STATVTVM & ordinatum est quòd nullus de Nouaria, vel districtu, seu aliunde, cuiuscunq; condictionis, seu status existat, masculus vel fœmina, audeat vel pręsumat per se, vel aliū, modo aliquo, colore, vel ingenio, dicto, opere, vel facto, tractare contra statum Illustrissimi & eccellentissimi Domini Domini nostri Francisci Sfortiæ Ducis Mediolani &c. Et qui cōtrafecerit pœna capitis puniatur. Et nihilominus bona ipsius sic tractantis confischentur cameræ ipsius Illustrissimi & prælibati domini.

De

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd si aliquis sciuerit, vel aliqualiter senserit, aliquem vel aliquos aliquid tractantes contra statum prælibati & Illustrissimi Domini, quòd infra tertium diem, si fuerit in partibus in quibus citra ipsum terminum poterit notificare, teneatur idem Illustrissimo domino, seu potestati Nouariæ, per se, vel alium, seu litteras notificare tractatum, & tractantes. Et si magis distauerit, infra illud tempus, quo venire poterit ad eos, prędicta facere teneatur, quod si non fecerit, pœna simili puniatur.

*De eodem.*

ITEM quòd dominus potestas Nouariæ in prędictis contentis in suprascriptis duobus statutis proximis, possit, teneatur, & debeat procedere contra omnes facientes cōtra prædicta, & eos punire, & condénare, iuris ordine seruato, & non seruato, prout sibi videbitur.

*De satisdationibus præstandis per custodes carcerum.*

QVILIBET incantator, vel custos carcerum cōmunis Nouarię, teneatur & debeat idoneè satisdare de libris quingentis imperialium, de custodiendo, & soluendo omnes carceratos qui cuilibet incantatori, vel custodi, vel eorum, & cuiuslibet ipsorum, nuntio, seu nuntijs, vel factoribus pręsentabuntur, seu fuerint consignati: pro quā satisdatione prestanda, quilibet iusdicens in ciuitate Nouarię, & quilibet alius, ad quem hoc spectabit, teneatur, & debeat quemlibet incantatorem, & quemlibet custodem carcerum communis Nouarię, per omnia iuris remedia, cogere & compellere ad dictam satisdationem prestandam, & ad prę standum satisdationes de precio incantus; si custodia ipsorum carcerum fuerit incantata. Et quilibet incantator vel custos ipsorum carcerum, qui satisdationes prædictas non prę stiterit, antequàm officium custodiæ ipsorum carcerum incipiat exercere: Prohibeatur omnino per potestatem **Nouariæ** ipsam custodiam, & eius officium exercere. Et nihilominus teneatur ad pœnam dictarum librarum quingentarum, sicuti teneretur si idoneè satisdedisset. Et etiam teneatur ad solutionem incantus custodię ipsorum carcerum. Et quòd etiā dictus custos carcerum teneatur ad solutionem debiti cuiuscunque debitoris detenti, qui defectu, & negligentia ipsius custodis, vel famuli sui, extra ipsos carceres effugeret. Et hoc si ipse debitor sic fugiens nō haberet in iurisdictione Nouarię in bonis suis vsque ad satisfactionem quantitatis illius debiti, pro quo fuisset detentus, cum expensis debitis. Et de prædictis possit contra ipsum custodem fieri executio, seruata forma prædicta.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes qui detinebuntur ex officio dicti domini potestatis, vel alicuius de sua familia, occasione alicuius maleficij, vel excessus, debeant poni & consignari ad dictos carceres. Saluo quòd possit retineri per vnam diem & per vnam noctem; si videbitur domino potestati, vel suis iudicibus, antequàm ponatur in carceribus. Et si vlterius retinerentur in palatio cōmunis, vel in camera de curlo, vel in domo domini potestatis, vel alibi cum custodia: tamen habeant dicti emptores ab ipsis detentis vltra diem & noctem, vt supra, perinde ac si fuissent detenti & custoditi in prædictis carceribus.

*De eodem.*

ITEM quòd liceat ipsis emptoribus habere, percipere, & exigere a quolibet carcerato, vt supra, imperiales duodecim pro introitu & ferratura, & totidē pro exitu & disferratura, & sex imperiales pro quolibet die pro custodia qua carcerati pernoctauerint ibidem, & si non pernoctauerint non possint exigere ab aliquo carcerato non pernoctante nisi imperiales sex. Saluo quòd si habuissent ferreas pręcepto officialis: tunc possint exigere ab ipso non pernoctante imperiales duodecim, & nō vltra. Et saluo quòd non possint exigere quicquā, nec petere, vel percipere ab aliquo, qui poneretur & detineretur ibidem, pro aliquo testimonio, vel aliquo seruitore communis, nisi detineretur pro aliquo graui maleficio: nec ab aliquo famulo alicuius officialis communis, nec ab aliquo qui poneretur ad berlinam, nec ad catenam. Et si esset aliqua pauper & miserabilis persona, tunc non possint accipere, vel habere ab eis, nisi secundum quod videbitur officiali, qui eam detineri fecisset.

*De eodem.*

ITEM quòd dicti carceratores, & custodes, & factores carcerum, per se, vel aliam personam nõ possint exigere, vel percipere ab aliquo carcerato, vel alia persona pro eis, nec permittere quòd ab ipsis exigatur, vel recipiatur aliquod pro lumine, candelis, lanpade, oleo, lignis, lecto, cibo, vel potu, vel pro parte carceratorum, vel qualibet alia occasione, quæ dici, vel excogitari possit, sub pœna & banno pro quolibet & qualibet vice soldorum decem imperialium, & restitutionis in duplum eius quod acceptum esset, & in omnibus & singulis casibus suprascriptis, & in quolibet dictorum capitulorum.

*De eodem.*

ITEM quòd liceat dictis custodibus portare arma de die, & de nocte, tam cum lumine, offendibilia & defendibilia, nõ obstantibus statutis, & ordinationibus communis Nouarię.

*Quòd iudex maleficiorum teneatur singulis hebdomadis ire in carceres communis pro visitando carceratos.*

STATVTVM est quòd iudex maleficiorum, qui per tempora fuerit, teneatur & sit astrictus vinculo sacramenti, & singulis hebdomadis ire in carceres semel in hebdomada visitare carceratos, & inquirere, & examinare, & modis omnibus, quibus melius videbitur prohibere ne fraus comittatur contra formam & mentem prædictorum statutorum. Et si inuenerit per custodes carcerũ, vel nũtios eorum, facere cõtra suprascripta statuta, vel aliquod eorũ eos possit & debeat punire vltra formã suprascriptorũ statutorũ & eorũ dati, secũdũ quòd dicto potestati, & sibi videbitur cõuenire, habito respectu ad qualitatẽ personarũ & facti.

*Quòd custodes carcerum communis non possint aliquem carceratum inferriare sine licentia domini potestatis.*

ITEM statutum est quòd custodes ipsorum carcerum non possint per se, vel alium, aliquos eis recommendatos inferriare, in cepo ponere, nec alia causa inferre grauamina, nisi fuerit de licentia domini potestatis, vel alterius ex eius iudicibus, & assessoribus. Et si prædicti custodes per se, vel alium, præsens statutum non obseruauerint, cadant in pœnã soldorum viginti imperialium pro quolibet & qualibet vice.

*Quòd sententiæ domini potestatis causarum criminalium ferri possint, & latæ teneant, etiam partibus non citatis, & non præsentibus.*

DOMINVS potestas Nouariæ, & quilibet alius locumtenẽs, sentẽtias causarum criminaliũ, siue sint per ipsos imponendę pœnæ corporales, siue pecuniarię, tam in fauorem communis, quàm in fauorem cuiuslibet priuatæ personæ, & cuiuslibet communitatis, & vniuersitatis, quàm contra ipsum commune, & contra quamlibet singularem personam, & cõtra quãlibet communitatem, & vniuersitatem, siue ipse singulares personæ habitẽt in ciuitate, vel suburbijs, aut curia, vel districtu Nouariæ, siue non, ferri possint, & latæ teneant, etiam parte vel partibus non citatis, & non præsentibus.

*Quòd meretrices expellantur de parochijs ciuitatis Nouariæ.*

POTESTAS Nouariæ, & eius iudices, & assessores, & quisque eorum insolidum, teneantur & debeant inquirere, si in aliqua parochia ciuitatis Nouariæ, stet, seu habitet, vel moretur aliqua fœmina meretricium faciens. Et hoc si fuerit testificatum per tres ex vicinis illius parochiæ in qua moraretur, qui sint maiores annis triginta, quòd expellere teneantur ipsam fœminam meretricem de dicta parochia, sine spe aliqua redeundi.

*Quòd nullus corporaliter puniatur, nisi lege municipali ciuitatis Nouariæ caueatur.*

NVLLVS corporaliter puniatur, nisi lege municipali ciuitatis Nouariæ caueatur: sed aliter puniatur pecunialiter, arbitrio potestatis, quod dictum arbitrium, & pœna imponenda vigore ipsius arbitrij inspectis cõditione personæ, & qualitate delicti, & quod arbitriũ non possit excedere libras quinquaginta imperialium.

*Quòd arbitrium Potestatis non possit excedere libras quinquaginta imperialium.*

ITEM quòd in casibus in quibus per statuta communis Nouariæ, imponitur pœna pecuniaria arbitrio potestatis, quòd dictum arbitrium, & pœna imponenda vigore ipsius arbitrii, non possit excedere pœnam librarum quinquaginta imperialium.

*De possessionibus occupatis.*

ITEM statutum est: quòd si aliquis rem suam ab aliquo possessam, sua propria auctoritate inuaserit, de ipsa possessione occupata deiiciatur inuasor, & restituatur possessor spoliatus & expulsus. Et si res fuerit aliena teneatur inuasor ad restitutionem possessionis expulso vel spoliato, & ad restitutionem medietatis extimationis rei ipsius inuasæ, & in vtroque ad restitutionem fructuum & expensarum facien. spoliato & expulso, & in libris vigintiquinque imperialium dandis communi Nouariæ alienæ rei condemnetur inuasor. Et potestas & consules possint, & debeant, de prędictis cognoscere breuiter, & summariè, & sine strepitu, & figura iuditij, & reintegrare spoliatos per quascunque manus possessio ambulauerit: statuto quòd loquitur de causis pecuniarijs, vt potestas non se intromittat, & alijs statutis in contrarium non obstantibus.

*De possessionibus turbatis.*

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona ingressa fuerit aliquam possessionem, domum, vel rem immobilem ab alio possessam, & turbauerit possessorem in eius possessione, puniatur in libris quindecim imperialium, applican. communi Nouarię. Et nichilominus turbans condemnetur ad non turbandum possessorem, & in fructibus quos perceperit talis turbans, ac in restitutione damnorum & expensarum. Et de prædictis possint potestas & consules, ac debeant cognoscere & terminare summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figur aiudicij, non obstantibus aliquibus statutis in contrarium disponentibus.

*Vt liceat appellare in possessorio.*

ITEM statutum est, vt liceat vnicuique appellare a sententia lata in iudicio possessorio, seu in causa possessionis.

*Ne quis non subditus intret possessionem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd si aliquis non subditus communi Nouariæ intrabit absque auctoritate domini potestatis, vel eius vicarij, vel absque auctoritate alicuius ex consulibus iustitiæ Nouariæ: & parte altera legitimè non citata, in possessionem vel tenutam alicuius subditi communis Nouariæ, vel quam teneat aliquis subditus communis Nouarię. Et potestas & sui, iudices, & commune Nouariæ, etiam populo, si opus fuerit conuocato, teneantur & debeant totis viribus illum suum subditum reducere, & restituere, & reductum & restititum tenere in dictam possessionem. Et defendere expensis cōmunis Nouariæ, vsque ad cognitam & difinitam rationem inter partes. Et hoc sub pœna & banno librarum quinquaginta imperialium, dicto domino potestati de suo salario pro quolibet & qualibet vice ipso iure aplicanda pro medietate communi Nouarię, & pro alia medietate subdito inquietato. Et vltra hoc ad restitutionem damnorum & expēsarum faciendarum dicto subdito teneatur. Nec inde absolutionem possit petere, vel habere potestas. Et syndicatores, qui essent ad syndicandum potestatem, sub pœna simili, teneantur ad condēnandum de prædictis potestatem qui neglexerit, vel effectualiter non fecerit supradicta. Et similiter dominus potestas præsens & futuri teneantur, & debeant procedere cōtra omnes personas, quę darent, vel dedissent auxilium, consilium, vel fauorem non subdito ad cōmittendum prędicta, & eos condemnare versus commune Nouarię in libris vigintiquinque imperialium pro quolibet & qualibet vice.

*De pœna imponenda subdito offendente non subditum.*

ITEM statutum est, quòd potestas Nouariæ, non possit, nec debeat aliquam pœnam, vel mulctam pecuniariam, vel aliam, imponere subdito suo, nec impositam executioni mandare, pro delictis commissis contra non subditum communi Nouarię, quam imponatur vel imponeretur dicto non subdito per suum iudicem de delictis commissis contra subditum cōmunis Nouariæ. Saluis aliis statutis, vel ordinationibus communis Nouariæ, quæ seruari debeant subdito, in quantum pro eo essent mitiores & meliores.

*De carceratis mittendis in scriptis.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt debere obseruari per dominum potestatem Nouarię in

omnibus & per omnia, prout in decreto de carceratis &c. Sub dicta rubrica continetur, tenoris huiusmodi videlicet. Quoniam tribus vicibus in anno, quibus ob reuerentiam festiuitatum Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, sacratissimę Resurrectionis eiusdem, & Assumptionis beatissimæ virginis Marię eius matris, disponimus, aliquales gratias carceratis in carceribus communis Nouariæ existentibus, iuxta facti qualitatem, & delictorum misericorditer impartiri. Expedit quòd eorum nomina ad curiam nostram ducalem transmittantur. Decernimus super prædictis hunc modum & ordinem in quibuslibet ciuitatibus & terris nostro dominio suppositis de cetero obseruari, videlicet. Quòd ante ipsas festiuitates per octo dies mittantur veraciter in scriptis ad prædictam curiam ducalem nomina & cognomina ipsorum carceratorum, cum causis propter quas carcerati fuere singulariter, & expressim, si pacem habent cum offensis, vel non, & quanto tempore in ipsis carceribus permanserunt. Qua propter &c.

*De bannitis, nisi certo modo cancellandis.*

Item statuerunt & ordinauerunt quòd si aliquis lectus fuerit in banno, ex parte potestatis, vel assessoris eius, vel consulum iustitię, vel alterius officialis communis Nouariæ, nō eximatur de bāno, nisi prius solutis soldis duobus imperialiū caneuario communis Nouarię pro ipso banno & cancellatione banni. Et veniendo infra mensem, de dicto banno debeat cancellari soluendo prout supra.

*De pœna vetantis pignus.*

Item statutum & ordinatum est, quòd si aliqua persona, quæ ad instantiam alicuius priuatæ personæ, vel communitatis pignorata fuerit per seruitorem habentem licentiam ad pignorandum, prohibuerit seruitori, ne pignus capiat, quòd talis prohibens pignus puniatur & condemnetur in soldis viginti imperialium, & vltra arbitrio domini potestatis, vsq; ad soldos sexaginta imperialium. Et hoc nisi ille, ad cuius instantiam fuisset, seu voluisset pignorari, protestetur ad officium maleficiorum quòd non vult de ipsa tali prohibitione debere fieri aliquam condemnationem. Et in casu quo aliqua persona vetauerit, vt dictum est, pignus, quòd seruitor possit accipere consocios, vnum, vel plures, ex stipendiarijs domini potestatis: & debeat per iudicem sibi dari consocius vel consocij ad coadiuuandum ipsum seruitorem, vt possit pignorare inuito debitore, & de prohibitione pignoris credatur seruitori, quò ad habendum vnum vel plures consocios, & quò ad probandum prohibitionem, vt possit puniri, credatur dicto seruitori cum vno teste fidedigno, qui sit de Nouaria vel districtu.

# LIBER QVARTVS. DE VICTVALIBVS, COMPOSTVRIS, SEV DAMNIS DATIS, STRATIS, FOSSATIS, ET AQVIS, ET CERTIS ALIIS.

## De grano conducendo.

IN primis quòd granum cuiuscunq; maneriei conduci possit ad ciuitatẽ Nouariæ vndecunq;, & de qualibet alia iurisdictione, exceptis a ciuitatibus Mediolani, & Papiæ. Et quòd possit etiã extra ciuitatẽ Nouariæ, extrahi, & per eius districtũ cõduci, non obstantibus aliquibus statutis, ordinibus, & decretis, tam factis quàm fiendis, in contrarium disponentibus, ad hoc vt ciuitas abundet victualibus. Et hoc capitulũ fuit concessum per Illustriss. Dominũ Dominũ nunc Ducẽ nostrũ.

## De eodem.

ITEM quia terræ Vallissicidæ, Ripparię, & Domiossolæ sunt, & esse solent membra huius ciuitatis, & ab ipsa ciuitate victualia pro magna parte temporis percipere, cum ex se non sufficiant ad eorum alimenta salubri statuto prouiderunt. Quòd homines Vallissicidę, Ortę, & Ripparię conducere, & conduci facere possint de episcopatu Nouariæ, & aliunde in dictam vallem, & in Ortam, & Rippariam blada, & alia victualia, maximè cum etiam priuilegia habeant, & consuetudines sic faciendi.

## De eodem.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd pręsidentes negotijs communis Nouarię, secundum varietatem temporum, abundantię, & caristiæ prouidere possint de victualibus extra ciuitatem Nouatię, vel districtum non ducendis. Et quicquid per eos declaratum fuerit, executioni mandetur, prædictis statutis non obstantibus.

## De seminibus ducendis, vel portandis ad seminandũ in curia Nouariæ, vel alibi.

ITEM statutum & ordinatum est quòd a Calen. Septembris vsq; ad Calen. Nouembris, & a medio Februario, vsque ad Calen. Maij cuiuslibet anni, quęlibet persona Nouariæ, & suburbiorum possit, sine aliqua licentia, ducere, & duci facere, & portare, & portari facere in curia Nouariæ ad seminandum, & pro seminando semen cuiuslibet generis, & absque eo quòd impediri possit per aliquem. Et si impediretur, & iurauerit quòd portabat, vel ducebat, vel duci, vel portari faciebat pro seminando, per impedientem permittatur ire ad seminandum. Et vltra prædictam curiam, duci, & portari possit semen pro seminando dictis temporibus, vsque ad tria miliaria; dummodo habeant bulletam a domino potestate. Et si reperiretur aliquem in prædictis fraudem commisisse, vel deerasse, quòd cadat in pœnam librarum decem imperialium.

## De victualibus prohibitis vel concessis.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd aliqua persona masculus siue fœmina nõ ducat, nec duci faciat, nec portet, nec portari faciat extra ciuitatem, aut suburbia ciuitati coniuncta, vel extra iurisdictionem Nouarię, aut per episcopatum Nouariæ de loco ad locum, vel per aliquam partem iurisdictionis Nouarię, nisi per stratam rectã, directè ad ciuitatẽ Nouarię veniendo, panellos, oleum aliquod, nuces castaneas, sepum, formagium, seracium, carnes freschas, vel salatas, pisces freschos, vel salatos, panem, farinam brenum, pistum, boues grassos, vel macros, vel vachas grassas, vel macras, vitulos vel vitulas grassos vel grassas, macros, aut lactantes, montonos grassos, vel macros, oues, capras, irchos, agnellos, capretos, porcos, vel porchas, magnos vel magnas, aut paruos. Sonziam, capones, gallinas, pollastros, oua, anseres, annatres, fasanos, perdices, ligna grossa, vel minuta, vel lignamen, vel aliquas saluaticinas, vel volatilia, vel victualia, siue fenum, vel victualia, siue fœnum, siue candelas, sine licentia domini potestatis Nouariæ. Et qui contrafecerit, quęcunq; persona sit, seu vndecunq; sit, & cuiuscunq; conditionis existat, amittat vetita, & quælibet vetitorum, & res & bestias & plaustra, siue vehiculum, cum quibus, & super quibus ducent, vel duci facient, seu ducerentur. Et insuper soluat pro banno duplum rei vetitæ.

Saluo eo quòd pro saluaticinis,& caponibus, & volatilibus, & ouis, nõ amittatur plaustrum,nec bestiæ. Et saluo eo quòd liceat hominibus Nouariæ & districtus duci facere suos boues,& vachas sibi pertinentes,vel sibi præstatas sine fraude ad laborandum, & sua negocia faciendum,& ducere suas bestias,quæcunque sint,ad pasculandum siue stãdum. Et quælibet persona Nouariæ,& districtus Nouariæ,quæ duxerit Nouariam suas bestias ad vendendum,possit eas reducere retro domum. Et saluo eo quòd liceat cuilibet de Nouaria & districtu Nouariæ, obedienti communi Nouariæ, ducere,vel portare starios tres breni,imperiales sex panis,& vsque ad soldos tres panis, casei,vel seracij, & medium quarterium carnium bouinarum,& quarterium vnum carnium porchinarum, & medium montonum, mediam capram,mediam pecudem,vnum agnellum,seu capretum,& tres soldos piscium & fœnum ad liberam voluntatem super plaustris,vel quocunque modo volunt,sine pœna: dummodo non ducant,vel duci faciant extra iurisdictionem Nouariç, & panellos decem octo,& libras decem olei,& starium vnum nucum, & starium vnum castanearum,libras sex sepi,libras quatuor sonziç,capones,gallinas,pollastros,oua,anseres,annates,fasanos,perdices,volatilia,& saluaticinas, extra ciuitatem Nouariæ,& suburbia,& per episcopatum Nouariæ de loco ad locum. Et hæc omnia & singula,dummodo ducere,vel portare non videantur extra iurisdictionem Nouariç ad inimicos,vel non obedientes communi Nouariç arbitrio domini potestatis,seu rectorũ communis Nouariæ qui nunc sunt,vel per tẽpora fuerint. Et lignamen & ligna pro suo dispendio,dummodo non videantur ducere extra iurisdictionem Nouariç, vel ad inimicos,vel non obedientes communi Nouariç,arbitrio dominorum potestatis,seu rectorum cõmunis Nouariæ. Et saluo quòd liceat potestati,vel rectori dare licentiam vsq; ad soldos quinq; panis. Hoc addito quòd prædicta locum habeant, nisi soluisset pedagium de his,de quibus debet solui, & habuerit bulletam a pedagerio,& de his de quibus non soluerit pedagiũ,nisi habuerit licẽtiam a domino potestate, vel eius vicario,quam dare possit. Et hoc addito,quòd venientes Nouariam cum bobus,& alijs bestijs,possint eas retroducere,& exire districtum Nouariæ, dũ tamen pedagiarijs pedagiũ soluant,si soluere debent. Et hoc addito,quòd de trabibus,lignis,& lignamine, tam laboratis,quàm non laboratis,quæ ducuntur de extra ciuitatis Nouariæ iurisdictionem,pedagium non soluatur,de filo,cauitijs,& telis,quç super spatulas,vel in capite,vel super personam ad ciuitatem Nouariæ, Et de carnibus mortuis, quç portantur vel ducuntur ad vendẽdum,vndecunq; ducantur,& etiam per quemcunq;, si super plaustro,vel equo ducentur,pedagium non soluatur. Et quilibet ciuis,& etiam districtualis ciuitatis Nouariç,faciens contra prædicta,vel aliquod prædictorum,perdat solum res vetitas,& non vltra,non obstantibus alijs quæ in dicto statuto continentur. Et nihilominus condemnetur in duplo valoris rei vetitç,nisi duceret,vel duci faceret,aut portaret,vel portari faceret prçdicta, vel aliquod prædictorum extra iurisdictiotem Nouariç.

*Quòd potestas, & eius collateralis non possint dare licentiam ducendi bladum extra districtum.*

ITEM quòd dominus potestas Nouariæ,seu aliquis eius collateralis, vel assessor,vel famulus ipsius,qui sunt,vel erunt per tempora,non possint dare licentiam alicui personæ ducẽdi extra districtum Nouariæ frumentum,sichalem,milcum,panichum,vel auenam,seu aliqua legumina sub pœna ipsi qui daret licẽtiam,librarum decem imperialium pro quolibet modio. Et si esset a modio infra,ipsa pœna præstetur pro rata, quç pœna applicetur communi Nouariæ.

*Ne molinarij ducant blauam vel victualia contra vetita.*

SI quis molinarius inuentus fuerit ducere, vel duxisse blauam,vel victualia, in fraudem, contra statuta cõmunis Nouariæ condemnetur in duplum eius de quo condẽnaretur alia persona quæ duceret contra vetitum.

*Quòd molinarij debeant intrare, & exire per portas mastras.*

OMNES molinarij,& menatores teneantur,& debeant intrare,& exire cum blaua,& leguminibus,pisto,& farina per portas portæ sancti Gaudentij, sancti Agabij, & sancti Stephani, & non per aliã aliquam portam & pusternam ciuitatis Nouariæ,& qui contrafecerit, amittat blaua,legumina, & pistum,& bestias,cum quibus ducerent aliquid de prçdictis. Et insuper soluat pro bãno communi Nouariæ,pro quolibet stario soldos viginti imperialium, & qui.

& quilibet posſit accuſare, & capere, & detinere, & habeat medietatem omnium prædictorum. Et nihilominus teneantur prędicti mollinarij, & menatores reddere, & reſtituere blauam, & legumina illis quorum ſunt.

*Vt caualcatores mittantur ad cuſtodiam, ne victualia ducantur contra vetitum.*

POTESTAS, ſeu rector communis Nouariæ, & eorum vicarij, & quilibet eorum poſſint mittere, ſicut eis videbitur caualcatores, & aliam ſocietatem, ſicut viderint expedire, ad cuſtodiendum, ne blada, legumina, victualia, ſiue aliquid aliud ducatur contra vetitum, vel portetur, & ad capiendum blauam, & beſtias, & ea quæ contra vetitum ducerentur prout per pręſidentes fuerit prouiſum.

*Vt poſſit quilibet accuſare, & robbare res quæ cadent in commiſſum.*

LICEAT cuilibet accuſare quoſlibet qui facerent, vel feciſſent contra prędicta ſtatuta, & ordinamenta: & robbare res quæ caderent in commiſſum, & accuſator habeat medietaté rerum, & condemnationum, & alia medietas ſit communis Nouarię. Hoc addito quòd officialis, nec famulus habeatur pro accuſatore.

*Vt nullus emat, vel appellet blauam, quam miſerit ad vendendum.*

ALIQVA perſona non audeat, nec pręſumat, poſtquàm miſerit blauam ſuam vel legumina ad vendendum, ipſam vel ipſa emere, vel emi facere, nec appellare ad vendendum vllo modo. Et qui contrafecerit amittat ipſas blauam, & legumina, & ſoluat pro banno communi Nouarię qualibet vice libras decem imperialium, quilibet ſit accuſator, medietas cuius blauę & banni ſit communis Nouarię, & alia accuſatoris.

*De blaua, & leguminibus de aliena iuriſdictione licitè ducendis, & quòd non poſſit impediri.*

QVILIBET vndecunque ſit, dum tamen non ſit bannitus communis Nouarię de maleficio & malexartia, poſſit, & ſibi liceat ducere blauam, & legumina de aliena iuriſdictione ad ciuitatem Nouariæ in broreto communis Nouarię ad vendendum. Itaquòd non poſſit impediri, nec ſaximentum aliquod ei de dicta blaua, & beſtijs ducétibus ipſam blauam fieri.

*Vt auena, ſpelta, ordeum, farrum, &c. menſurentur ad culmum.*

ITEM ſtatutum eſt & ordinatum quòd auena, ſpelta, ordeum, farrum, cepæ, nuces, brenum, caſtaneę, rapæ, & farina cuiuſlibet grani, cinis, & omnia alia menſurabilia his ſimilia, menſurentur ad culmum. Exceptis contentis in ſtatuto infraſcripto.

*Vt blaua menſuretur ad raſum.*

ITEM ſtatutum eſt & ordinatum quòd frumentum, ſichalis, milium, panichum, piſtum, milicha, linoſa, & quæcunque legumina menſurentur ad menſuram raſam, ſecundum veterem menſuram communis Nouarię.

*Vt molinarij de quolibet ſtario blauæ dent ſtarium vnum cumulum in farina.*

OMNES molinarij ciuitatis Nouariæ & diſtrictus, teneantur, & debeant dare domino blauę de quolibet ſtario blauæ venſe ſtarium vnum cumulum. Itaquòd ſit ille ſtarius cumulus in farina, cùm fuerit farina aburatata, & qui contrafecerit condemnetur domino in duplum, defectus, & iterum in ſoldis quinque omni vice.

*Vt contra molinarios adhibeatur fides dominis, & famulis ſuis.*

ADHIBEATVR fides dominis, ſeu famulis ſuis, & cuilibet eorum contra molinarios, in prædictis omnibus, & ſingulis caſibus, & licitum ſit eis impunè robbare, & tenere beſtias, quouſque dicti molinarij reſtituerint eis prædicta damna. Et quòd ipſi domini ſi conqueri voluerint de aliquo molinario, conqueri poſſint infra menſem. Et ſi infra menſem dominus non conqueſtus fuerit, molinarius ipſo facto ſit abſolutus.

*Vt molinarij non debeant ſedere ſuper farinam.*

QVICVNQVE molinarius inuentus fuerit ſedere ſuper farina, vel ſuper grano, condemnetur omni vice in ſoldis quinq; imperialium, & impunè poſſit per quęcunq; de beſtia deijci & verberari, dum tamen ſanguis non exeat,

### *De menſuris, & ſtarijs adequandis.*

TENEATVR poteſtas cogere omnes perſonas iuriſdictionis Nouariæ vendere & emere bla
uam, & vinum ad illam menſuram, qua emunt & vendunt homines ciuitatis, & nihil acci-
piatur pro menſuris adequandis, qui contrafecerit componat pro banno ſoldos ſexaginta
imperialium pro qualibet vice. Et quilibet poſsit accuſare, medietas banni ſit communis,
& alia accuſatoris.

### *De eodem Et de vendentibus ad falſam menſuram.*

QVI ad falſum ſtarium, vel libram, ſeu menſuram falſam vendiderit, det bannum ſoldos ſe-
xaginta imperialium. Et ſi fuerit vna vncia tantùm ſoldos quinq; imperialium. Et ſi fue-
rint duæ vnciæ ſoldos decem imperialium. Et ſic pro rata libræ de vncia in vnciam, aſcen-
dendo, & diminuẽdo pro parte libræ, ſecundum quòd reperta fuerit eſſe falſa. Et teneatur
poteſtas eum palam in contione condemnare. Et poteſtas teneatur facere coequari paſ-
ſos, & libras, & ſignari. Et quilibet poſsit accuſare. De quibus medietas ſit communis, &
alia medietas ſit accuſatoris. Saluo quòd officialis non habeatur loco accuſatoris.

### *De eodem. Et ne quis ponderet ad ſtateram, niſi vt infra.*

OMNES ſtatere debeant taliter adequari, quòd vna nõ ſuperet aliam vllo modo, & quòd ali
qua perſona non ponderet ad aliquam ſtateram, niſi aſcendat ad vncias vigintiocto pro
qualibet libra groſſa, & vncias duodecim pro qualibet libra minudula. Et qui contrafe-
cerit componat pro banno pro qualibet vice ſoldos ſexaginta imperialium. Et nullo tem-
pore poſsit eſſe peſator. Et quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem, & teneatur ſecre-
tus, & alia communis Nouariæ.

### *Vt quilibet vendens ad pondus teneat peſam per cordulam, nec tangat languetã.*

ITEM ſtatuerunt & ordinauerunt, quòd quilibet vendens ad pondus, ſiue peſam, teneatur
quando ponderat tenere peſam per cordulam, abſque eo quòd tangat manicum, ſiue lan-
guetam. Et ſi contrafecerit puniatur pro qualibet vice in ſoldis quinque imperialium,
quorum medietas ſit communis Nouariæ, & alia accuſatoris. Et credatur accuſatori cum
ſacramento, dummodo ſit homo bonæ opinionis, vocis, & famæ.

### *De bilancijs, ſtateris, & ponderibus rectis & ſignatis habendis.*

ITEM quòd qualibet perſona debeat habere rectas bilantias, & ſtateras, & libras, & vncias
& pondera, quibus aliquid ponderatur, & quæ libræ pondera, & vnciæ ſint ſignata ſigno cõ-
munis Nouariæ. Et ſi contrafecerit ſoluat pro banno communi Nouariæ, ſoldos ſexaginta
imperialium, & quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem, & teneatur ſecretus.

### *Vt negociationes prohibitæ captæ ducantur in broreto.*

ITEM qui ceperit aliquam negociationem, vel merchantiam, vel aliam rem quæ duceretur
contra vetitum, prohibitam per commune Nouariæ, cuiuſcunque ſit, quòd illam ducat in-
continenti, vel quantocitius poterit in broreto communis Nouariæ, & eam manifeſtare po
teſtati Nouariæ, vel militi, vel iudici, & eorum parabola, vel alicuius ipſorum eam ibi vẽ-
dere, præſentibus duobus ex procuratoribus, vel raſonerijs communis Nouariæ, ad minus.
Et qui contrafecerit det pro banno libras tres imperialium.

### *De caſeo, & ſeracio ducendo in broreto communis.*

ITEM ſtatutum eſt quòd totus caſeus, & ſeracium quod ducetur de cetero a Gaudiano, Ro-
magnano, Burguticino ſuperius ad ciuitatem Nouariæ, vel ſuburbia debeat duci in bro-
reto. Et ſi duceretur in mane vſque ad horam tertiam, debeant ibi ſtare in aperto ipſa die
tota, vt omnes videant, & emere poſsint vnum & plus, ſi emptor plus voluerit. Exceptis
venditoribus caſeorum, vel aliquis qui non videatur emere ad vſum ſuum. Et ſi duceretur
ab hora tertiæ inantea, debeat ibi ſtare ad alium diem vſque ad tertiam. Et qui aliter duxe
rit, vel receperit in domo ſua, vel a broreto remouerit, ſoluat pro bãno qualibet vice ſoldos
viginti, & amittat caſeum, & quilibet ſit accuſator, dum tamen ſi homo bonæ opinionis,
& famæ, & habeat medietatem caſei, & condemnationis, & ſit præciſum. Hoc addito quòd
non habeat locum in aliquo officiali, nec aliquo de familia domini poteſtatis, qui tenẽtur
ex eorum officio prouidere.

*Vt cuilibet liceat ducere, & vendere caseum, & seracium vbique.*

ITEM statutum, & ordinatum est quòd quęlibet persona possit impunè, & ei liceat vendere ad menudulum caseum, & seracium vbiq; in ciuitate Nouariæ, & suburbijs, dum tamen non vendat, nec vendere possit in broreto communis Nouariæ. Exceptis mulaterijs Vallissicidę, & merchatoribus Nouarię, & Blandratæ, & merchatoribus Ossole, & Ripparie, & alijs personis ducentibus formagium ad vendendum super carrum, & quamlibet aliam bestiam sommariam, quibus liceat vendere seracium, & formagiũ in diebus quibus venerint, & in die sequenti, statuto, vel statutis in contrarium loquentibus non obstantibus. Et non possint vllo modo impediri, molestari, nec inquietari per aliquam personam, corpus, collegium, & vniuersitatem, si prędicta facient. Et quòd ipsi venditores non possint de prędictis, vel aliquo prædictorum condemnari, nec eisdem possint in contrarium præcepta fieri publicè vel priuatim, tacitè vel expressè. Et si quis contrafecerit, si fuerit corpus, vniuersitas, vel collegium, componat bannum pro qualibet vice soldos sexaginta imperialium. Et si fuerit alia specialis persona soldos viginti imperialium. Et credatur cuilibet accusatori, dum tamen sit homo bonæ opinionis, & bonę famę, arbitrio domini potestatis, vel rectoris communis Nouariæ, & habeat accusator medietatem banni, & condemnationum. Saluo quòd nullus de familia domini potestatis possit dici accusator nec tanquã accusator possit partem condemnationum consequi, sed ipsa pars, quæ daretur alteri accusatori, applicetur cõmuni Nouarię. Et idẽ intelligatur in omnibus alijs statutis loquẽtibus de pœna applicanda accusatori, quòd nõ habeant locum in officiali domini potestatis, facienti inuctiones, sed ipsa pars applicetur communi, vt supra, & talis officialis teneatur talem partem, quę aliàs daretur accusatori, si sit res quę cadat in commissum, consignare canepario communis Nouariæ, sub pœna quadrupli valoris rei.

*De eodem.*

ITEM quòd aliquis non audeat vel præsumat emere caseum, vel seracium, vel vendere, de quo supradictum est in pręcedenti statuto, nisi prius ductum fuerit in broreto, vt supra dictum est. Et quòd aliquis venditor casei, vel seracij, vel aliqua persona, quæ non videatur emere caseum vel seracium ad vsum suum tantùm, arbitrio domini potestatis, non emat ipsum caseum vel seracium per totum diem, quo stare debet in broreto, nec facere inde merchatum sub pœna pro qualibet vice soldorum viginti imperialium pro quolibet, & quilibet sit accusator, dummodo sit homo bonæ opinionis, vocis, & famæ, & habeat medietatem, & sit præcisum. Saluo vt supra.

*De reuenditoribus casei & seracij.*

ITEM quòd omnes, & singuli merchatores, & venditores casei, & seracij incontinenti, postquàm discargauerunt eorum caseum, vel seracium, debeant extrahere de sachis, & ipsum caseum, & seracium teneant, & tenere debeant discopertum, & vendere ad menudulum cuilibet personę Nouarię & districtus, vsq; ad horam nonę suprascripti diei sequentis: & non possint nec debeant ipsi merchatores vendere dictum caseum & seracium, nec facere merchatum de suo caseo vel seracio, vsque ad horam nonæ suprascripti diei, alicui formagiario, nec eorum familiaribus, nec alicui alij eorum nomine, modo aliquo qui dici vel excogitari possit. Et qui contrafecerit det & soluat pro banno communi Nouariæ pro qualibet vice soldos sexaginta imperialium. Et vltra hoc amittat caseum & seracium de quo fecerint merchatum. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem casei, & seracij, & condemnationis, quæ inde erunt factæ. Saluo vt supra.

*De eodem.*

ITEM quòd nullo modo possit vendi caseus, nec vinum ad menudulum ad tabernam, nec carnes salatę, sonzia, oleum, pisces salati, vel anguillæ, nec aliquę alię carnes, a capite porticus sancti Ambrosij vsque ad completam stationem magistri Simonis Cazami, quę nunc est Antonini Rauizoni quondam Petrini, ab vna parte porticus, nec ab altera, in pœna, & banno librarum decem imperialium pro qualibet vice: nec predicta possint teneri in domibus nec super banchis sub ipsa porticu. Et quòd porticus marzauolorum non intelligatur venisse in ipso statuto. Et quòd rizolus qui fuit quondam domini Petri Sauij non intelligatur venisse in pręsenti statuto.

Vt

*Vt Potestas militem suum mittat vbi venditur caseus.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd bis in ebdomada, scilicet, die lune, & die martis, dominus potestas teneatur, & debeat, suum iudicem vel militẽ mittere in broreto vbi vẽditur caseus, ad videndum & inquirendum, ne possit committi fraus aliqua in caseo, vel per venditores, vel emptores casei causa reuendendi.

*De merchatoribus extraneis, vbi vendere debeant negociationes eorum.*

ITEM statutum est & ordinatum quòd liceat omnibus merchatoribus qui veniunt in Nouaria de extraneis partibus vendere negociationes suas in ciuitate Nouariæ, & suburbijs, vbicunque voluerint, excepta blaua & caseo, quas vendere teneantur & debeant in broreto communis Nouariæ, aut in merchato.

*Quod liceat merchatoribus habere sua loca ad vendendum in burgis.*

ITEM statutum est quòd liceat omnibus merchatoribus ciuitatis Nouariæ, & suburbiorum habere, & tenere in burgis episcopatus Nouariȩ sua loca, & stallos causa vendendi omnes suas merchantias in ipsis locis & stallis, eo modo sicut soliti sunt hactenus, & antiquitus per se, & merchatores suos predecessores vendere, & habere, & tenere in locis memoratis, & hoc sine aliquo impedimento.

*Vt venientes ad aliquem burgum iurisdictionis Nouariæ cum negociationibus, possint ipsas ducere retro.*

ITEM quòd si aliquis venerit ad aliquem burgum iurisdictionis Nouariæ cum aliqua negociatione ad ducendum, & ipsam ibi vendere nequiuerit, quòd liceat ei ipsam reducere retro sine aliquo signo habendo, statuto aliquo in contrarium non obstante.

*Contra illos qui emunt pisces, pullos, & similia, ante nonam causa reuendendi.*

STATVTVM est quòd non liceat alicui emere, causa reuendendi, pisces, pullos, oua, saluaticinas ante nonam, ordeum, auenam, & speltam per totum diem, & qui aliter fecerit, nisi fuerit albergator, vel homo habens equum, teneatur potestas auferre ei bannum soldorum viginti imperialium pro vnaquaque vice: nec de prædictis aliquid debeat emi a miliario vno prope ciuitatem, nisi in Nouaria, & in burgis coherentibus ciuitati. Et quilibet homo bonæ opinionis possit accusare, & detur ei fides per potestatem, & habeat medietatem, & sit prȩcisum. Saluo vt supra.

*De pollarolis & reuenditoribus, vt non emant certis diebus.*

ITEM quòd aliquis reuenditor gallinarum, pullorum, & ouorum, vel saluaticinarum, vel castanearum, vel fructuum; siue quòd sit reuenditor prȩdictorum, vel alicuius eorum, siue sit cruda, siue sit cocta, nihil ex prædictis emat, nec emi faciat, sicut oua, pullos, anseres, anatres, vel aliquam saluaticinam, vel volatilia, vel castaneas, nuces, poma, vel fructus aliquos vllo modo. Et hoc die mercurij a nona in antea, diebus iouis, & dominica per totam diem, similiter nec in festis principalibus, vel sanctȩ Mariæ, vel apostolorum, vel in feria aliqua. Et qui contrafecerit componat pro banno qualibet vice soldos decem imperialiũ, & amittat prohibita. Et quilibet homo bonæ opinionis sit accusator, & habeat medietatem, & sit prȩcisum. Saluo vt supra.

*De eodem.*

ITEM quòd supr ascriptis diebus prohibitis, vel aliquo prædictorum, aliqua persona non emat, nec emi faciat, vel præsumat aliquid ex prædictis, nisi ad suum vsum tantùm, & non causa reuendendi, arbitrio domini potestatis. Et qui contrafecerit, vel præsumpserit, soluat pro banno pro qualibet vice soldos decem imperialium, & amittat prȩdicta. Et quilibet homo bonȩ opinionis sit accusator, & habeat medietatem. Saluo vt supra.

*De eodem.*

ITEM quòd aliqua persona reuenditrix, vel similis reuenditori, vel quȩ non videatur ad vsũ emere, arbitrio domini potestatis, non vadat obuiam illis qui portauerint aliquid de prædictis aliqua vice, vel aliqua die, vel alicubi, infrascriptis diebus in statutis prohibitis. Et qui cõtrafecerit soluat pro banno pro qualibet vice soldos decem imperialium, & amittat pro-

prohibita quilibet homo bonę opinionis sit accusator, & habeat medietatē. Saluo vt supra

*Vt reuenditores non stent in merchato diebus prohibitis.*

REVENDITORES pullorum, ouorum, saluaticinarum, & fructuum, qui non vadunt extra ciuitatem cum cauagnis in spatulis, pro emendo pullos, oua, & saluaticinas, non stent in merchato prædictarum rerum in diebus sabbati, nec die iouis, nec diebus dominicis debeant vendere, nec emere per se, nec submissas personas, sub pœna soldorum decem imperialium omni vice, & insuper perdant res. Et quilibet possit eos robbare impunè, saluo vt supra.

*Vt reuenditores nulla die emant ante nonam.*

ITEM quòd in alijs diebus ipsi reuenditores, per se, vel submissam personam non emant ante horam nonę aliquid de prædictis rebus, nec aliqua persona eas vendat ante prædictam horam. Sed ponentes ipsas res in merchato ad vendendum, per se vendant vsque ad prædictam horam, sub pœnis prædictis pro quolibet, pro qualibet vice: & quilibet robbare possit impunè vt supra. Et saluo vt supra, prædicta pręconizentur pluries, prout videbitur potestati.

*De baylia iudicis contra pollarolos, reuenditores, & piscatores contrafacientes.*

IVDEX, vel miles potestatis per se teneatur ire ad inquirendum, si reuenditores pullorum, & piscatores, seu vendentes pisces, fecerint, vel faciūt contra prędicta statuta, vel aliquod statutorum, & ex officio suo possit procedere, & punire, & condemnare, & adhibeatur fides his quæ dixerit ipse iudex, vel miles. Prædicta verò statuta solummodo debeant seruari, & ipsis deficientibus consuetudines communis, & ipsis deficientibus secundum iura communia, prout in statuto communis Nouarię continetur.

*De securitate facienda per communia, & piscatores, & mercatores, & reuenditores casei & alios.*

ITEM quòd omnia communia, tam burgorum, quàm villarum, & vniuersitatum iurisdictionis Nouariæ, teneantur, & debeant, & cogātur facere bonam & idoneam securitatem, quòd non permittent duci extra eorum burgum, vel locum, vel per eorum merchatores aliquid de prędictis prohibitis, nisi directè veniendo ad ciuitatem Nouarię. Similiter omnes alij, qui videbuntur esse vtiles facere securitatem, pro prędictis melius distinguendis, & melius obseruādis pro habēda meliori copia prædictorum. Exceptis formagiarijs, qui non teneantur facere aliquam securitatem. Hoc addito quòd ipsi piscatores, & communia locorum in quibus habitant promittere & satisdare teneantur, De piscibus non portandis extra iurisdictionem Nouarię, nec vendendis alicui, qui ipsos pisces extra iurisdictionem ducere vellet, vel portare.

*De non tenendis apertis fenestris, & stationibus in festiuitatibus.*

ITEM statutum est quòd merchatores pannorum, marzagoli, pelliparii, callegarij, ferrarij, & alij vendentes ad stationam, seu fenestram, apertas habere & tenere non debeant in diebus dominicis, festiuis principalibus, festis beatæ Mariæ virginis, & alijs solemnitatibus festiuis, quę communiter per populum ciuitatis Nouariæ celebrantur, hostia verò domorum vbi sunt stationes, per quę itur, & redditur in ipsas domos & stationas possint aperiri, & per inde iri, & rediri sine pœna. Linum, & telas, & filum in diebus festiuis, præterquā in die iouis, in platea communis, vel in atrio sanctę Mariæ, portare, vel tenere non debeant ad vendendum. Contrafacientes cōdemnentur pro quolibet & qualibet vice in soldis quinq; imperialiū. quilibet possit accusare, medietas banni sit accusatoris, & reliqua cōmunis Nouarię. Saluo vt supra. Et in introitu cuiuslibet regiminis de prędictis fiat crida ex parte domini potestatis. Saluo quòd speciarij & medici possint tenere suas fenestras apertas, & vendere omnibus diebus, & horis, & etiam omnes vendentes alia victualia possint tenere stationes apertas, dum tamen super fenestris stationum nihil teneatur.

*De piscatoribus, vt portent pisces omnes super banchis.*

STATVTVM est quòd piscatores piscium recentium debeant portare, ostendere, & ponere super banchis omnes pisces, quos habuerint in ciuitate Nouarię, vel suburbijs. Et si retinuerint in cauagnis, vel capijs, vel in domo aliqua, perdant pisces, & dent pro banno soldos

dos quinque imperialium pro qualibet vice, de quibus medietas ſit accuſatoris & alia medietas in communi veniat, & quilibet poſſit accuſare, dummodo ſit homo bonæ opinionis & famæ. Saluo eo quòd ſi quis portauerit, vel duxerit piſces ab hora veſperi inantea, quòd poſſit eos gubernare in domo vſque in mane diei ſequentis. Hoc addito quòd accuſator eſſe non poſſit aliquis officialis, vel famulus domini poteſtatis.

*De eodem.*

VENDENTES piſces portent, ſeu portari faciant, & ponant, ſeu poni faciant ſuper banchũ, vel bancham in paſquario ad aerem omnes piſces quos habuerint ſtatim cùm venerint ad merchatum, ſeu piſchariam, abſque eo, quòd teneant in aliqua cauanea, vel vaſe, vel alibi gubernare. Et quòd teneātur incidere ad tranſuerſum omnes illos piſces quos vendere voluerint pro maiori precio quàm taxabitur per conſilium priuatum. Et qui contrafecerit amittat piſces, & condemnetur in ſoldis decem imperialium, omni vice. Et quilibet poſſit accuſare & robbare impunè. Saluo vt ſupra.

*De eodem.*

SI piſces non fuerint venditi vſque ad horam nonæ, licitum ſit cuilibet impunè, cum licentia domini poteſtatis, vel eius vicarij, ipſos piſces rapere, & ſibi habere. Item quòd piſces qui ſemel portati fuerint in paſquario pro vendendo, & non fuerint venditi, ſi iterum illi portati fuerint, incidant in commiſſum, hoc eſt quòd cuilibet ſit licitum, vt ſupra, ipſos piſces accipere, & habere ſine aliqua pœna. Et vltra hoc puniatur ille cuius fuerint piſces pro qualibet vice in ſoldis decē imperialium. Hoc addito quòd ad domum poteſtatis portari piſces, & vendi non poſſint, ſub pœna prædicta, & ſub pœna, domino poteſtati auferenda, librarum decem imperialium applicandarum cameræ communis Nouariæ.

*Per quos debeant vendi piſces.*

ITEM quòd aliquis non vendat piſces, niſi ille qui eos portauerit a Ticino, vel a Ceradano, vel a lacu, ſub pœna & banno pro qualibet vice ſoldorum viginti, quilibet homo bonæ opinionis ſit accuſator, & habeat medietatem, ſaluo vt ſupra.

*Vt vendentes piſces vel gambaros non habeant coadiutorem.*

NVLLVS venditor piſcium, vel gambarorũ ſecũ habeat, vel teneat aliquē coadiuuatorē, qui eum adiuuet ad vendendum, ſed per ſe vendat, & vendere debeat. Et ſi contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in ſoldis decem imperialium. Et ſi coadiuuatores, condemnentur in ſoldis viginti imperialium omni vice: & quilibet poſſit accuſare, & robbare piſces, & gambaros, quos habuerint facientes contra prędicta. Saluo vt ſupra.

*Vt piſces & gambari non teneantur in viuario.*

NVLLVS teneat piſces vel gambaros in viuario, exceptis anguillis, nec gubernet ipſos piſces vel gambaros in alio hoſpitio: ſed eos portet ad merchatum pro vendendo, vt ſupra. Et ſi contrafactum fuerit amittantur dicti piſces, & gambari, & ille cuius fuerint cōdemnetur omni vice in ſoldis viginti imperialium. Et quilibet poſſit accipere & robbare. Et ille in cuius hoſpitio fuerint gambari condemnetur in ſoldis viginti imperialium omni vice, & quilibet poſſit accipere & robbare.

*Vt quilibet poſſit accuſare & robbare facientes contra prædicta.*

LICITVM ſit cuilibet accuſare, & robbare prædictas omnes res inuentas, & quamlibet earum, & factores contra prædicta. Et medietas condemnationum ſit accuſatoris, & alia communis: ſaluo vt ſupra.

*Vt piſces vendantur ad pondus, & quantum vendi debeant.*

ITEM ſtatutum eſt quòd omnes piſces recentes, tam groſſi quàm menuduli, vendantur, & vendi debeant ad pondus, & non aliter, ſecundum metam imponendam per dominos de conſilio priuato, iuxta exigentiam temporum. Et quòd venditores piſcium teneantur vendere, & tradere cuilibet emere volenti, ad quantitatem in arbitrio emere volentium; ad pondus balantiæ, & non ad pondus ſtateræ; pro illo præcio quod taxatum fuerit per ſapientes, vt ſupra, ſecundum tempora. Et quilibet in aliquo contrafaciens, & vendens contra metam prędictā condemnetur in amiſſione piſcium, diſpēſandorum pijs perſonis, & vltra

ad

ad computum soldorum duorum imperialium pro qualibet libra piscium. Declarantes quòd gambari similiter debeant vendi secũdum metã dandã per ipsos deputatos sub pœna pra dicta. Quę pœnæ totiens committentur, quotiens contra uentum fuerit. Et quòd quilibet posit accusare domino potestati, & eius officialibus, quo casu medietas dictarum pœnarum fiendarum ex accusatione, vtsupra, sit dicti accusatoris. Et quòd dominus potest is, & eius iudex, & miles, de prædictis, siue ex officio, siue ex accusatione, teneantur inquirere, & delinquentes punire.

*Quòd nullus officialis possit licentiam dare alicui vendendi pisces vltra metam imponendam, vtsupra.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd dominus potestas, & cęteri officiales, sint qui velint, cogere non possint aliquos vendentes pisces, vel gambaros, ad ipsos vendendum pisces, vel gambaros, pro aliquo minori prætio, quàm ordinatum fuerit in prouisione, sub pœna cuilibet officiali librarum decem imperialium pro quolibet, & qualibet vice, ducali cameræ applican.

*De consilio fiendo de copia piscium habenda.*

ITEM quòd potestas Nouariæ, suo sacramento, pręcisè circa principium quadragesimæ, teneatur exponere in consilio generali, vel saltim priuato, ciuitatis Nouarię, in introitu mensis de habenda copia piscium, & de bono foro habendo de ipsis piscibus, quod si potestas cõtrafecerit, vel non obseruauerit, componat pro banno & amittat de suo salario libras decẽ imperialium qualibet vice. Et quòd potestas teneatur dicto tempore facere dari metam piscibus, & gambaris pro dicta quadragesima, & similiter ad pascha, & alijs temporibus opportunis, saltim de tribus mensibus in tres menses, sub pœna prædicta applicanda vtsupra.

*De piscibus, non capiendis a piscatoribus.*

ITEM statuerunt quòd dominus potestas, nec aliquis alius officialis suus, non possint accipere alicui piscatori aliquos pisces, tamquàm marcidos, nisi dicti pisces fuerint prouisi per duos ex deputatis tunc ad negocia communis. Et quòd in condemnationibus inde fiendis teneatur mentionẽ fieri facere de nominibus illorũ deputatorũ cũ quibus participauit.

*De non mentiendo in carnibus.*

ITEM quòd aliquis non audeat nec pręsumat vendere vnam carnem pro altera, vel dicere aliquam carnem, nisi sicut rei veritas fuerit, sub pœna & banno pro qualibet vice soldorum viginti imperialium. Quilibet sit accusator, dum tamen sit homo bonę opinionis, & bonę famę, & habeat medietatem, & teneatur priuatus.

*De vendendo bonas carnes.*

QVILIBET vendens carnes teneatur vendere, & occidere bonas carnes, & bestias sanas, & netas, & sine iecure. Exceptis agnellis & capretis, & non vendere carnes morbosas, vel gramenosas, vel cum rognonis impletis, nec suffiare, nec boffare in carnibus, nec sconfiare carnes, nec vẽdere fœminas pro masculis, nec carnes moltoni cogliuti pro castrato, nec aliquã aliã fraudem, vel malitiam facere in ipsis carnibus occidendis, vel vendendis. Et qui contrafecerit, perdat carnes, & condemnetur in soldis quinque imperialium: & pro carne morbosa condemnetur in soldis cẽtum imperialium omni vice, pro carne morbosa, vel gramenosa vendita, & amittat carnes. Et condemnetur in soldis quinque imperialium in alijs carnibus, & quolibet prædictorum pro qualibet vice. Et eodem modo puniatur quilibet super cuius bancha, seu becharia inuentę fuerint carnes prædictæ.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd nullus becharius possit emere in palatio, vel alibi in Nouaria, vel suburbijs aliquas carnes mortuas seu sbaffatas. Et qui contrafecerit componat pro banno soldos centum imperialium pro qualibet vice, & perdat carnes, & quilibet homo bonæ opinionis & famæ possit accusare, & ei detur fides.

*De eodem.*

ITEM quòd nulla persona possit, nec debeat vendere ad menudulum aliquas carnes mortuas, nisi eas interfecerit, seu interfici fecerit, nisi in becharia, vel alio loco vbi

vendantur carnes sub pœna prędicta. Et quilibet posit accusare, & detur ei fides vt supra.

*Vt becarij non vendant gambas cum pedibus, & vt ipsi, & quilibet vendens ad pondus, non vędat ad stateras, sed ad balancias, & pondera signata.*

QVILIBET becharius teneatur incidere gambas cuiuslibet bestię, tam grosse, quàm minudule ad zinogium inclusiuè, exceptis capretis, & illas gambas cum pedibus detrahere, & dimittere cum pedibus, & aliquo modo non vendere ipsas gambas cum pede, etiam de capretis, cum carnibus. Et teneantur, & debeant vendere carnes ad balancias, & non ad stateras & habere posint libram, mediā librам, quarteriū, & pondera vsque ad libras vigintiquinque, & vncias de ferro tantùm, signatas signo communis Nouariæ, bene, & legaliter, & fideliter. Et quilibet alius vendēs ad pondus, licet non sit becharius, teneatur vendere ad balancias, vt supra. Saluo quòd si id quod vendetur ascenderet ad rubū, vel a rubo supra, possit vendere ad stateram communis Nouariæ. Et quilibet contrafaciens cōdemnetur in soldis decem imperialium qualibet vice & pro quolibet, & fiat crida de dictis statutis bis in quolibet regimine, & quilibet posit accusare. Medietas sit accusatoris & alia communis. Et quòd dictæ balanciæ habeant temonem rectum, & cordas equales ab vtraque parte. Et teneatur quilibet becharius sub pœna prædicta tenere omnes carnes in aperto mortuas, & non alibi. Et de eis dare cuilibet petenti, & de illa parte bestiæ quam petierit, si petierit libram, vel a libra supra, excusatione aliqua non obstante. Et quòd non posint becarij carnes vendentes aliquam adiūctam dare ementibus inuitis, sub pœna soldorum decem imperialium pro qualibet vice. Et quòd nullus becharius Nouariæ, & districtus non audeat, vel præsumat habere, nec tenere aliquam stateram, nec vti statera in ponderando carnes sub pœna soldorum viginti imperialium pro qualibet statera & qualibet vice, & perdendi staterā & carnes. Et quòd dominus potestas posit cōpellere bescharios ciuitatis, & suburbiorum Nouariæ, modis omnibus quibus crediderit conuenire, ad faciendum carnes ad sufficiētiam.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd nullus becharius districtus Nouarię audeat, vel præsumat vendere aliquas carnes ad stateras. Et quòd de carnibus quas vēdent non accipiant vltra metam ordinatam, vel quę ordinabitur per sapiētes ciuitatis Nouariæ, & qui cōtrafecerit cōponat pro bāno pro qualibet vice soldos decē imperialiū, & vltra amittat carnes.

*De castronis, qui non sint rasi, non vendendis.*

ITEM statutum est quòd in ciuitate, & episcopatu Nouariæ, dominus potestas teneatur facere publicè proclamari in principio sui regiminis, quòd non sit aliqua persona vendens carnes ad bechariam, quæ audeat vel præsumat vendere aut vendi facere ad eorum becharias, nec in aliqua alia parte ciuitatis Nouarię, aliquas carnes castronorū, nisi ipsi castroni sint perfectè rasi, sub pœna amittendi tales castronos, seu valorem ipsorum.

*Vt vendentes vinum ad menudulum habeant mensuras signatas siigno cōmunis.*

OMNES personę Nouarię, & episcopatus Nouariæ, volentes vendere vinum ad menudulum, habeant & habere debeant mensuras, videlicet, cietum, seu zanam, & bochale tenutæ vnciarum vigintiocto, & mezinum tenutæ vnciarum quatuordecim, signatas signo communis Nouariæ, prout videbitur domino potestati. Et qui contrafecerit componat pro banno soldos viginti imperialium pro qualibet vice.

*Vt vinum detur in recta mensura in vase capaci.*

ITEM quòd aliqua persona, quę voluerit vendere vinum ad menudulum, teneatur & debeat dare illud vinum, & mensurare ad rectam mensuram, in tali vase quòd capiat & teneat totam illam mensuram quam ceperit emptor, & non aliter. Et qui contrafecerit componat & det pro banno qualibet vice soldos viginti imperialium. Et hoc idem intelligatur, quando vinū ponitur in vase ipsius tabernarij. Saluo quòd posint dare duos medios quartinos pro vno quartino.

*De eodem.*

ITEM quòd si aliqua persona petierit vinum sibi dari, & mensurari ab aliqua persona vendenti vinum ad menudulum,& ipse venditor noluerit sibi dare, vel non dederit ad mensurā rectam,vt supra,possit accusare,& detur ei fides,si fuerit homo bonę opinionis & fidei, arbitrio domini potestatis,coram quo ipsorum delata fuerit accusatio.

*De accusatoribus palesiis eligendis super prædictis.*

ITEM quòd potestas communis Nouariæ,cum cōsilio generali,vel priuato,habeat fortiam, & virtutem ponendi,& eligendi accusatores palesios, quibus data sit,& detur fides contra prędicta omnia,& singula statuta de victualibus loquentia, facientes.Qui accusatores sint de ciuitate Nouarię,& homines bonę opinionis,& habeant,& habere debeant medietatem bannorum,& condemnationum accusationum,quas fecerint.

*De officialibus eligendis super victualibus,& salario eis deputando.*

ITEM quòd liceat,& licitum sit sapientibus consilij priuati ciuitatis Nouariæ, ac etiā ipsi sapientes teneantur & debeāt eligere vnam,siue duas personas bonas,& valētes, & legales, quarum officium sit,inquirere & inuestigare victualia,& facere officium victualium,& habeant illam eandem auctoritatem, iurisdictionem, arbitrium, & bayliam circa victualia, quam habet vel habent collaterales domini potestatis Nouarię. Ita & taliter quòd ipsi tali ter eligendi,tam simul,quàm separatim,& tam præsentibus collateralibus,quàm absentibus,vel cum eis,vel sine eis existentibus,possint,& debeant inuentiones facere contra quascunq; personas,quicquam committentes contra formam statutorum communis Nouariæ facientium mentionem de victualibus,& in illis mensuris & ponderibus,stateris,& de alijs quæ ad officium victualium pertinent,& quę exercentur per collateralem,seu collaterales domini potestatis. Saluo quòd nō possint facere inuentiones contra repertos ire de nocte. Et inuentiones quę per eum,seu sub eos fient,portare debeant in scriptis ea die,vel sequenti,domino potestati, sub pœna soldorum viginti imperialium cuilibet ipsorum omittentium portare, & qualibet vice communi Nouariæ applican. Et super ipsis inuentionibus procedatur,& fiant condemnationes,prout fierent si reperti fuissent per aliquem collateralem, seu collaterales domini potestatis. Et eis,& cuilibet eorum detur plenissima fides,de his,quæ inuenerint,& dixerint se inuenisse in suis inuentionibus,statuto in aliquo non obstante.Qui quidem eligendi debeant iurare in principio sui officij, de eorum officio bene, & legaliter exercendo. Et eorum officium duret per vnum mensem ad minus. Saluo quòd possint confirmari, si videbitur sapientibus. Quæ quidem confirmatio nō se extendat vltra sex menses. Et saluo quòd pro vno,& eodem delicto sufficiat vna condēnatio tantùm,nisi per statuta communis Nouarię loquentia super,& de victualibus aliter caueatur,videlicet,in ea parte in qua dicitur pro quolibet & qualibet vice: Quo casu statuta, & inuentiones locum habeant, & executioni mandentur. Et quòd dicti sapientes,tempore electionis talium officialium, debeant taxare eis salarium, quod tamen debeat solui de denarijs condemnationum, quę fient ex inuentionibus quas facient, & non aliter,nec de alijs.

*Vt potestas possit inquirere contra prædicta facientes.*

ITEM quòd suprascriptus dominus potestas habeat plenam formam,& virtutem inquirendi per se,& eorum iudices,& milites,& quemlibet ipsorum contra prædicta facientes. Et plenissima fides detur eis, & cuilibet eorum iudicum & militū, statuto aliquo nō obstāte.

*Vt fiant condemnationes de prædictis infra quindecim dies.*

ITEM quòd dominus potestas de his omnibus, quæ inuenta fuerint per aliquem iudicem, vel militem domini potestatis communis Nouariæ,esse facta contra prædicta,vel aliquod prædictorum,vt superius ordinatum est. Et de illis accusationibus,quæ delatæ & factæ essent per accusatores,vel electos,vt in pręcedenti statuto cōtinetur,de prędictis,vel aliquo prædictorum,teneatur,& debeat facere, & legi facere condemnationes in plena contione infra quindecim dies proximos,a die inuētionis, seu accusationis prædictorum,vel alicuius prædictorum. Et quòd condemnationes taliter factas teneatur, & obligatus sit dominus potestas, qui per tempora fuerit, consignare camerario communis Nouariæ, ea met die qua lectæ fuerint,subscriptas,& solemniter annotatas.

*Vt condemnationes quæ fient de prædictis exigantur in denarijs numeratis.*

ITEM quòd omnes condemnationes, quæ fient de prędictis, vel aliquo prędictorum, fiant, & fieri debeant, & exigantur, & exigi debeant in denarijs numeratis. Statutis in contrariũ loquentibus in aliquo non obstantibus. De quibus condemnationibus factis, & accusationibus fiendis per accusatores, medietas sit communis Nouariæ, & alia medietas sit accusatoris, vel accusatorum. Saluo quòd officialis non habeatur loco accusatoris.

*Vt fides adhibeatur accusatoribus super tabernis & bisghiazijs*

ITEM quòd omnes accusatores, qui fuerint electi, tam super tabernis, quàm super bisghiazijs, omnes simul, vel separatim, & vnus solus per se possit & sibi liceat accusare, & accusationes facere, & eis, & cuilibet eorum simul, separatim, vel sigillatim detur fides, statuto aliquo non obstante.

*Vt vendentes vinum dent illud ad bocale & zanam, & si de vino spansum esse dicetur, & de guaghionibus.*

ITEM quòd quælibet persona Nouariæ, vel districtus, quæ vendiderit vinum, teneatur, & debeat dare illud vinum bene mensuratum ad bocale, & cietum, seu zanam, & ad illam mensuram, & pręcium quæ & quod ordinatum est per commune Nouarię, & ordinabitur per tẽpora. Et qui contrafecerit det & soluat pro banno soldos quinq; imperialium pro qualibet vice. Et quòd aliqua persona, quę vendet vinum ad menudulum, non possit, nec bebeat vinum vendere post sonum campanæ custodiarum, nisi ad portandum viam in alieno vase, & hoc sub pœna & banno, & sit præcisum. Hoc addito, si bocale reperiretur minus habere de vino, & dicat ille qui portat spansum esse de dicto vino, vel bibitum post mensuram sibi traditam, stetur eius sacramento, aliàs condemnetur venditor tanquàm de vino male mensurato. Et si aliqui fuerint guaghioni ad notificandum vendentibus aliquo modo, vel signo, quòd veniat familia potestatis, cõdemnetur quilibet guaghionus in soldis decem imperialium. Et venditor, qui ipsam habebit in soldis decem imperialium.

*De cãdelis sepi certo præcio uẽdẽdis, & de sepo extra iurisdictionẽ Nouariæ nõ ducẽdo.*

ITEM statutum est quòd sepum aliquod duci, seu portari extra iurisdictionem Nouariæ non possit, & de ipso ducendo, vel portando extra iurisdictionem licentia dari non possit per potestatem, vel aliquem de sua familia, vel per pedagerium, vel per aliquam aliam personam. Candelæ verò duci non possint extra iurisdictionem Nouarię. Et quòd vẽdantur eo præcio, quo fuerit ordinatum per metam, & prouisionem per sapientes ciuitatis Nouarię dandam. Et vltra dictam metam nouariensibus vendi non possint, & fiant bonę candelæ de bono sepo, sine aliqua mistura & fraude. Saluo colore, quem dare possit candelis, & candelæ debeant esse bene ronzatæ vsq; ad pauerum. Et quilibet contrafaciens condemnetur pro qualibet libra candelarum in soldis quinq; imperialium pro qualibet vice, & qualibet libra sæpi quod extra ducetur in soldis quinq; imperialium, & sepum cadat in cõmissum. De prædictis potestas teneatur inquirere, & cõtrafacientes punire, quilibet possit accusare, medietas cõdemnationis, & sepi commissi, sit accusatoris, seu captoris, & reliqua cõmunis Nouarię. Et quòd candelæ de sepo nõ possint occultari in domo cãdelarij, vel extra, sed teneantur in aperto ad stationam ad sufficientiam. Et qui contrafecerit condemnetur pro qualibet vice in soldis viginti imperialium, & in amissione candelarum, quę fuerint occultatæ, nisi habuerit in aperto saltem libras vigintiquinq; candelarum sepi. Et nulla persona audeat gubernare alicui candelario aliquas candelas, sub pœna prędicta. Et potestas, & quilibet eius iudex, vel Miles debeant de huiusmodi fraudibus inquirere. Et miles eiusdem potestatis singulis hebdomadis debeat ire in domibus candellariorum, & inuestigare, & quęrere vbi tenent candelas prædictas.

*De candelis de cera, & cereis cum pauerio de bombice fino fiendis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd omnes speciarij, & quæcunq; alię personę facientes, seu facere volentes candelas de cera, seu cereos pro vendendo, teneantur & debeant facere candelas ipsas, & cereos cum bono pauerio de bombice fino, sub pœna cuilibet contrafacienti soldorũ quinq; imperialiũ pro qualibet vice. Et quòd nõ audeãt nec præsumãt vẽdere aliquas candelas, seu cereos factas, seu factos de cera veteri, nisi ante vẽditionem fiat pro

testatio per vendentem,sub pœna soldorum decem imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et quod etiam non audeant,nec præsumant in ipsis candelis,seu cereis ponere, seu miscere aliquam laresinam,sub pœna soldorum centum imperialium pro quolibet, & qualibet vice.Et credatur de prædictis,& quolibet prædictorum accusatori ,qui sit bonæ opinionis & famæ,cum sacramento.

*De lignamine non ducendo extra iurisdictionem Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd nō liceat alicui personæ ducere,vel duci facere lignamen aliquod extra iurisdictionem Nouariȩ, nec potestas possit licentiam dare de ducendo lignamen aliquod per duo miliaria prope fossatū pauesium, & prope iurisdictionem Vercellarum, & prope Ticinum. Et si aliquis reperiretur contrafacere in aliquo,condemnetur in soldis centum imperialium qualibet vice. Et insuper boues,lignamen,& plaustrum,cum quibus dictum lignamen duceretur amittantur,medietas banni sit accusatoris,& alia communis. Et quilibet vendens alterius iurisdictionis , & quilibet emens de aliena iurisdictione componat pro banno pro qualibet vice soldos viginti imperialium . Saluo quòd per hoc non prȩiudicetur statutis pedagiorum in lignamine quod duceretur a Lacubus supra,a Lacubus infra statutum vendicet sibi locum,in principio.

*Ne quis ducat extra ciuitatem Nouariæ letamen,pullinā,columbinā,vel similia.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona,vndecunq; sit , & cuiuscunq; conditionis existat nō audeat, vel prȩsumat ducere,vel duci facere de ciuitate,vel suburbijs Nouariȩ letamē, pulinam,colūbinam,ruxiam,cimaturam,vel scarnaturam corium extra districtum Nouariȩ. Contrafaciens,tam ducens,quàm duci faciens condemnetur,& puniatur pro quolibet & qualibet vice,in soldis sexaginta imperialium. Et quilibet possit accusare.Et bestias, & plaustrum impedire,& capere,& in fortiam communis deducere,sine pœna,medietas cuius condemnationis sit accusatoris & captoris,& alia communis.

*Ne foueæ fiant causa letaminis.*

ITEM statutum est quòd in vijs publicis ciuitatis & suburbiorū Nouariȩ intra rotas portarū, & pusternarum, vel in pasquario sanctæ Mariȩ quod est communis Nouariæ ,vel in broreto vel in ortello non liceat alicui facere foueas, vel factas tenere ad faciendum letamen, nec liceat alicui tendere , seu tendi facere in prȩdictis locis , vel aliquo prædictor um,paleas brugum, vel stramen, causa letaminis faciendi. Et contrafacientes componant pro pœna, & banno soldos viginti imperialium.

*De pœna proijcientium sanguinem, vel turpitudinem in vijs publicis.*

EODEM modo non liceat alicui in prædictis locis,vel aliquo prædictorum, nec alibi intra ciuitatem proijcere aquam multicinorum, vel sanguinem monitorū hominum,vel bestiarum,vel aquam calcinariorum,vel columbinam,nec aliam aquam putridam, nec aliud turpe,vel horribile,nec pelles recentes,nec etiā pelles de proximo tractas demulticio. Et quilibet contrafaciens componat pro banno cōmuni Nouariȩ,soldos quinq; imperialium pro quolibet & qualibet vice . Saluo quòd equi & bestiȩ senaxari & minui bene possint intra rotas prope murum rotarum,& non in medio,possint etiam ad veneratorem hoc idem facere. Et teneantur ferrarij omni die in sero purgari facere loca prædicta vbi sanguis esset effusus.Fangum & paltam intra ciuitatem,& non extra, cum artificio ligni possint colligere,seu colligi facere singulis hebdomadis.Et de prædictis teneātur milites domini potestatis,qui nunc sunt, vel per tempora fuerint inquirere de prȩdictis,sub pœna soldorum quinq; imperialiū pro qualibet vice, si negligentes fuerint in obseruatione prȩdictorum . Et quòd nulla persona permittat aliquem suum filium , seu filiam cacare in vijs publicis , sub pœna soldorum trium imperialium,pro qualibet persona,prope cuius hostium inuenta fuerit talis inhonestas,& caput domus teneatur pro pueris minoribus.

*De fetia,& carnibus animalibus,non proijciendis in vijs ciuitatis,& burgorum.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona non audeat nec prȩsumat in rugiam veterem , seu nouam , vel in fossatis , vel circhis ciuitatis ,seu burgorum coherentium ciuitati ponere, vel proijcere, vel immitere fetiam, seu portari , vel dischargari facere , nec carnes equorum,vel bestiarū,vel aliorū animalium. Et quȩlibet persona contrafaciens cōdemnetur in soldis viginti imperialiū pro quolibet,& qualibet vice.Et quȩlibet persona possit accusare

medietas sit accusatoris, & reliqua communis Nouariæ.

*De letamine, & fretia non comburendis in ciuitate Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd aliquis de ciuitate Nouarię, vel suburbijs coherentibus ciuitati Nouariæ, nec aliunde non possit, nec debeat comburere freciam, vel letamen in ciuitate, nec suburbijs coherentibus ciuitati, nec per vnum miliare prope. Et qui contrafecerit componat pro bāno pro qualibet vice soldos quadraginta imperialium pro fretia. Et pro letamine soldos decem: & quilibet possit accusare, medietas sit accusatoris, & alia communis. Addendo quòd aliquis non possit vngere pelles, nec vnctas tenere in stratis publicis, sub pœna prædicta. Saluo in strata noua prope murum ciuitatis.

*Ne oleum fiat in ciuitate.*

TENEATVR potestas cogere eos qui faciunt oleum de linosa, vel de nuce ad torcular, seu ad maciam, vel faciunt fieri oleum de linosa, vel de nuce ad torcular siue ad maciam, si facere voluerint illud, faciant extra ciuitatem, & non in Nouaria. Et qui contrafecerit teneatur potestas ei auferre pro vnaquaque vice soldos decem imperialium.

*De corijs non conficiendis in Nouaria.*

ITEM quòd non possint corea confici in ciuitate Nouariæ, nec aliqui conficientes ibi manere, sub pœna soldorum centum imperialium pro qualibet vice.

*De porcijs expellendis, & taliandis.*

ITEM statutum est quòd potestas & eius familia prohibere teneantur ne porcus, vel porci, vadant per ciuitatem, vel suburbia coherentia ciuitati Nouariæ, per vias publicas, vel loca publica, sine bona custodia. Quę bona custodia intelligatur arbitrio domini potestatis. Et persona quæ miserit, vel ire permiserit suum porcum, vel porcos, sine tali custodia, de qua dictum est, vt supra, componat pro banno & pœna communi Nouarię, soldos decem imperialium. Et quilibet possit accusare, medietas pœnæ sit communis, & reliqua accusatoris. Et si sine aliqua custodia reperti fuerint, possint, & debeát impunè taliari per familiā, seu soldatos domini potestatis. Et ceritoni aliqui vlterius non teneantur in Nouaria ciuitate, vel suburbijs Nouariæ. Et loco ceritonorum dentur fratribus sancti Antonij libris decem imperialium, arbitrio domini potestatis, & consilij generalis, & non vltra, dum tamē aliquem porcum non teneant in ciuitate, vel suburbijs. Et hoc statutum in ceritonis expellendis, & non tenendis in ciuitate & suburbijs, & dictis libris decem imperialium dandis fratribus sancti Antonij, solùm vendicet sibi locum a Calendis Decembris in antea. Et quòd quælibet alia persona possit similiter eos taliare impunè.

*Ne bubulci stent super carro.*

ITEM statuerunt ne aliquis bubulcus audeat, vel præsumat stare super carro, vel carriola per ciuitatem Nouariæ, vel burgos coherentes ciuitati, nec eundo per ciuitatem, vel suburbia. Et qui contrafecerit componat pro bāno pro qualibet vice soldos decem imperialiū, in denarijs numeratis. Et quilibet possit accusare medietas sit accusatoris, & alia communis Nouariæ. Et quilibet bubulcus teneatur, ducendo per ciuitatem, & suburbia plaustrum, ire iuxta, & prope, & antea boues, sub eadem pœna.

*De qualeis non capiendis.*

SI quis qualeas, perdices, vel fasanos aliquo modo, vel ingenio cæperit nisi cum canibus, & vxellis, componat pro banno pro qualibet vice soldos quinq; imperialium, quilibet possit accusare, & habeant medietatem banni. Et insuper potestas inquirat, & cogat illos, qui fuerint suspecti talia facere ad securitatem faciendam de prædictis attendendis.

*De columbis non capiendis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd aliquis de Nouaria, vel districtu Nouarię, vel aliūde, non debeat capere, nec capi facere aliquem columbum, vel columbos, aliquo genere venationis, vel aliquo modo. Et qui contrafecerit, det & soluat pro banno communi Nouariæ, libras decem imperialium. Et si ipsam soluere non poterit, vel non soluerit infra decē dies post condemnationem, quòd detineatur in carceribus communis Nouariæ, & detentus teneatur vsq; ad sex menses. Et camparij qui erunt per tempora teneantur & debeant ipsos

con-

contrafacientes accusare. Et quilibet homo bonæ opinionis possit, & debeat ipsos accusa-
re. Et non possit habere officium ille qui contrafecerit vllo modo. Et accusatori bonę opi-
nionis detur fides suo sacramento, & quilibet eis possit auferre retia, & alia artificia, cum
quibus caperentur, & ipsas scarpare, & cum pugnis, vel baculis ipsos verberare sine pœ-
na, citra sanguinis effusionem, & citra mortem, vel membri mutilationem, vel mangagna
tionem. Et consules burgorum, vel villarum capientes, vel de capiendo suspectos, domi-
no potestati notificare teneantur. Et consules locorum districtus Nouarię non denuntian-
tes infra octo dies, condemnari debeant in soldis viginti imperialium pro quolibet consu-
le & qualibet vice, Commune verò burgi, seu loci condemnetur, & puniatur in soldis cen-
tum imperialium pro quolibet & qualibet vice. Camparij verò non denuntiantes prædi-
cta infra octo dies prædictos, condemnentur & puniantur in soldis decem imperialium
pro quolibet & qualibet vice. Et potestas teneatur sub vinculo sacramenti bis in quoli-
bet regimine legi facere dictum statutum in arengo publico. Et nihilominus ad petitioné
cuiuslibet requirentis, mittere seruitorem ad faciendum cridam in locis de quibus requiri
tur de obseruantia pręsentis statuti. Et hoc expensis communis Nouarię. Et quilibet emés
columbos, qui non sint pipioni, puniatur in soldis duobus imperialium pro quolibet co-
lumbo & qualibet vice. Et quilibet possit accusare, & teneatur secretus; cuius pœnæ medie
tas sit accusatoris, & alia communis Nouariæ. Et nihilominus potestas teneatur ad denun
tiationem cuiuslibet inquirere contra hospites & alios quoscunq; suspectos de emptione
vel captione columborum. Et quòd vxellatores, quocunque modo de ciuitate vel districtu.
Et suspecti de capiendo columbos, debeant cogi per dominum potestatem, seu eius vica-
rium, ad petitionem cuiuslibet conquirentis, ad iurandum & satisdandum de non capien-
do columbos, sub pœna librarum decem pro qualibet vice, & in quolibet regimine.

*De eodem.*

ITEM quòd quilibet possit tutè & securè ire de die, seu de nocte ad domum cuiuslibet vxel-
latoris, seu hospitis, vel dantis ad comedendum pręcio vel mercede, pro inueniendo retia
apta ad capiendum columbos. Et si ipsa inuenerit, ipsa possit exportare de domo, vel domi
bus, vbi inuenerit ipsa retia & columbos, & consignare teneatur infra tertium diem in
præsentia domini potestatis, vel alicuius de assessoribus suis. Et ipsis pręsentatis credatur
inuentori cum sacramento. Et dominus potestas teneatur illum, in domo cuius inuenerit
condemnare infra mensem, in libris decem imperialium. Cuius medietas sit accusatoris,
& alia communis Nouarię. Et teneatur pater pro filio, frater pro fratre, consan-
guineus pro consanguineo, dummodo habitent simul ad vnum panem & vnum vinum. Et si
aliquis volens querere, prohibitus fuerit per vxellatorem, vel hospitem, vel dantem ad
comedendum, vt supra, vel per aliquem de eius familia intrare domum habitationis ipsius.
Quòd tunc habeatur pro confesso, & condemnetur in libris decem imperialium, vt supra,
& omnes denunciatores seu accusatores pro prædictis columbis non capiendis teneantur
secreti.

*De eodem.*

ITEM quòd nulla persona, vndecunque sit, audeat nec præsumat proijcere, nec trahere cum
balista, terreta, vel cum manu vel cum alio instrumento, vel aliò modo ad aliquam colum-
bariam, nec ad aliquos columbos lapides, vel aliquid aliud. Et hoc sub pœna soldorũ quin-
que imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et quilibet possit accusare: Cuius pœnæ
medietas sit accusatoris, & alia communis Nouariæ, & accusator teneatur secretus.

*De fractis non faciendis ad sponsas.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona in Nouaria, vel burgis coherentibus ciuitati, vel epi
scopatu non audeat, vel præsumat facere aliquas fractas, vel fractam, modo aliquo, quan-
do sponsæ ducentur ad maritum, nec prohibere ipsas sponsas modo aliquo, seu illos qui e s
sent cum sponsa, ire & redire, nec eis facere aliquod impedimentum. Et qui contrafecerit
componat pro banno pro qualibet persona soldos viginti imperialium, pro vicinantia sol-
dos centum imperialium. Et quilibet possit accusare, & habeat medietatem condemnatio
nis. Et potestas, & sui iudices teneantur, & debeant de prædictis inquirere quoquomodo, si
ad ipsius notitiã peruenerit. Et omnes denarios datos vel receptos restitui faciat ei qui
dedit. Et stãtes ad portas, seu fractas nihil inde accipiant, sub pœna prędicta. Quod statutũ

non habeat locum in sponsis, quæ duceretur extra iurisdictionem Nouariæ. Et in quolibet regimine cridetur istud statutum.

### *Ne quis vadat in burgis, vel villis ad festa.*

Item statutum est & ordinatum quòd aliquis homo Nouariæ, & iurisdictione Nouariæ, non possit nec debeat ire in aliquo burgo vel, villa, vel loco ad festum illius burgi, loci, vel villæ in vigilia, nec in festo, nec in die subsequenti ipsum festum, nisi esset nuntius potesta tis, vel etiam assessoris eius, vel consul iustitiæ Nouariæ, vel nisi haberent terras, & pos sessiones in loco, vel eius territorio. Et quòd aliquis homo alterius burgi, vel villæ in prædi ctis diebus prohibitis, non audeat dare bibere nec comedere alicui homini, qui non habi tet in dicto burgo, villa, vel loco cum familia, nec eũ hospitari. Et quòd aliquis becarius, qui non sit de ipso burgo, vel villa, vel loco, non debeat ire causa faciendi carnes in prædi- ctis diebus in aliquo burgo, vel villa, vel loco iurisdictionis Nouariæ. Et qui contrafece- rit det & soluat pro banno communi Nouariȩ qualibet vice soldos viginti imperialium. Et istud statutum non védicet sibi locum in burgis, episcopatus Nouariæ, in quibus cõsue uerũt, & possunt fieri ferię, seu merchata, scilicet, in festo, in quo fuerint ibi feriæ, seu mer catum, nec in die sequenti, nec in præcedenti.

### *De modo tenendo in exequijs mortuorum.*

Liceat vnicuique, tam masculo, quàm mulieri, ire ad domum mortui, pro honorando fu nere ipsius, & solum masculi sine mulieribus associare possint mortuum a domo ad eccle siam, & redire ab ecclesia statim, non expectato officio cum parentibus mortui ad domum quondam defuncti: nec mulieres possint associare dictum mortuum ad ecclesiam: Sed ex- portato corpore a domo statim mulieres recedere debeant a domo, absque eo quòd tan- gant manus vxori defuncti, vel matri, vel alijs coniunctis personis, exceptis filiabus, matre, sororibus, nepotibus, consanguineis germanis, & cognatis, & soceribus, & nurubus, quæ pos sint stare in domo, & ibi prandere. Et si aliqua mulier contrafecerit componat pro banno de dote sua communi Nouariæ soldos viginti imperialium. Et vir teneatur soluere pro vxore. Et quòd soluerit computet in dotem. Et quòd nulla persona succedens defuncto cuiuscunque conditionis existat, audeat vel presumat facere portari, vel permittere portari post defunctum, vel ante defunctum, cum portatur ad ecclesiam, vltra quatuor ce- reos de media lipra: & pro quolibet: & vltra libras duas candelarum paruarum de cera. Et heredes defuncti qui contrafecerint, vel fieri permiserint, dét pro banno communi Noua- rię soldos centum imperialium pro qualibet vice, & quòd nullus homo debeat ire ad ele- uandum aliquam dominam a libitina seu barra, sed dominæ se elleuent inter eas. Et qui contrafecerit det pro banno soldos decem imperialium, pro quolibet & qualibet vice. Et quilibet possit accusare prædicta cuius medietas sit communis, & alia accusatoris. Et li- ceat dicere loco regratiationis, ite in nomine Domini, & non vltra, sub pœna soldorum vi ginti imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et potestas teneatur mittere pro arenga- tore, & auferre ei antequàm discedat soldos viginti imperialium. Et quilibet possit accu sare, & denuntiare. Et quilibet potestas teneatur facere cridare predicta voce præconia in principio sui regiminis, & sit præcisum, & de prędictis inquirere sine accusatione.

### *De non eundo ad septimas, vel trentesimas.*

Item statuerunt & ordinauerunt obseruandum inuiolabiliter in futurum, quòd nullus masculus Nouariæ, vel aliunde in ciuitate Nouariæ, vel episcopatu, vadat ad septimas de cætero trentesimas, vel annuale alicuius personę defunctę ad ecclesiam, vel domum de functi, siue defunctæ, siue heredum eius. Et qui contrafecerit componat pro banno cõmu- ni Nouarię soldos sexaginta pro qualibet vice, & quilibet bonę famæ, & bonę opinionis possit accusare. Medietas cuius banni, & condemnationis sit accusatoris, & alia commu- nis Nouarię.

### *De non portandis vestibus de nigro pro morte alicius.*

Item quòd si aliqua persona induerit se de nigro propter mortem alicuius, ipsas vestes nõ possit, nec debeat portare, nisi vsque ad triginta dies. Et qui contrafecerit componat pro banno communi Nouariæ pro qualibet vice, libras decem imperialium, & quilibet possit accusare & teneatur secretus. Et potestas teneatur de prædictis inquirere, & condemna- re. Et

re. Et medietas dictæ condemnationis sit accusatoris,& alia sit communis Nouarię.

*Ne liceat alicui mouere terram fossatorum.*

Item statutũ,& ordinatũ est,quòd non liceat alicui auferre,vel portare,nec auferri,vel portari facere aliquid de terra cresta fossati ciuitatis Nouariæ,& suburbiorũ, intra fossatũ ciuitatis seu suburbiorũ,intra dicta fossata deuersus ciuitaté,& deuersus suburbia. Extra verò dicta fossata nõ posit amoueri de terra creste dictorũ fossatorum, sine licentia domini potestatis, & duorum sapientum ciuitatis Nouariæ,quam licentiam dare posit dictus dominus potestas cum dictis duobus sapientibus,de terra amouenda extra dicta fossata tantùm. Et qui contrafecerit puniatur in soldis sexaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et quilibet homo bonę opinionis posit accusare , & ei credatur. Medietas verò banni sit accusatoris,& alia communis Nouariæ.

*De lignario fassinarum non habendo in ciuitate Nouariæ.*

Item statutum est quòd aliqua persona nõ audeat, nec pręsumat tenere intra muros ciuitatis Nouariæ,aliquod lignarium fassinarum,vltra centonaria sex fassinarum. Et qui cõtrafecerit amittat fassinas,& vltra condemnetur in soldis viginti imperialiũ. Et quilibet posit accusare,& habeat medietatem fassinarum,& condemnationis.

*De tecto palearum non habendo in ciuitate.*

Item statutum est quòd in ciuitate Nouariæ, non liceat alicui habere & tenere tectum de paleis. Et contrafaciens puniatur,& condemnetur in libris decem imperialium, vltra motionem tecti. Quilibet posit accusare. Medietas condemnationis sit accusatoris, & alia communis.

*De igne non faciendo sub tecto de paleis.*

Item statutum est quòd in burgis coherentibus ciuitati Nouarię, scilicet,a turriono sanctę Margaritæ, Et a turriono strate nouæ,burgi sancti Gaudentij. Et a territorio stratæ de arzeno,stratę de Veuera, stratæ de Camero, Burgi noui,& sancti Andreæ, Et a turriono burgi sancti Agabij,& a turriono nouo,quòd appellatur de Mombello,burgi portę nouæ. Et a turriono burgi,seu portæ sanctæ Marię inclusiuè,versus ciuitaté, ignis sub tecto de paleis fieri non posit,nec debeat. Et contrafaciens, puniatur in soldis viginti imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et parochiani dictarum parochiarum de foris inquirere debeãt de prædictis,& notificare domino potestati.

*De tectis, de paleis non habendis iuxta murum communem, vel proprium.*

Item statutum est quòd aliqua persona non audeat,nec pręsumat, habere, vel tenere tectũ de paleis in aliqua parte ciuitatis vel districtus Nouarię, iuxta murũ propriũ alterius consortis per duos pedes aliprandos, nisi consors super ipso muro communi , vel iuxta murũ communem,vel proprium tectum haberet de paleis. Et quælibet persona contrafaciens , vel habens, condemnetur in soldis sexaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et nihilominus suis expensis tectum amouere teneatur. Et dominus potestas,& sui iudices iuris remedijs posint,& debeant compellere sic habentem , seu tenentem ad dictum tectũ de paleis amouendum, & condemnare vtsupra. Et habeat locum , tam in hedificiis factis, quàm fiendis.

*De fortilitijs non faciendis in episcopatu.*

Item statutũ & ordinatũ est quòd nõ posit fieri aliqua fortilitia in episcopatu Nouariæ, sine licentia potestatis Nouariæ,& duarum partium consilij generalis ciuitatis Nouariæ, cridati ante duos dies ante dictum consilium. Et qui conlrafecerit det & soluat communi Nouarię,pro banno soldos centum imperialium pro qualibet vice, & quilibet posit accusare. Medietas cuius condẽnationis sit accusatoris & alia communis. Et potestas de hoc habeat cognitionem. Et habeat locum istud statutum in casibus futuris. In castris verò , seu fortilitijs factis hinc retro,vel modo inceptis,non vendicet sibi locum in aliquo pœna huius statuti,vel similium non comprę hensa in hoc statuto. Salua voluntate Illustriss. D. D. nostri D. Mediolani, Nouariæ &c. Imperialis vicarij generalis,& Domini Ioannis Galeaz.

De

*De buscho non habendo prope stratas.*

QVONIAM sepe contingit merchatores & viatores robbari, & etiam interfici prope buschos, existentes iuxta stratas publicas, & multa maleficia iuxta stratas fieri. Ideo statuimus nemini licere habere, vel tenere suo nomine, vel alieno, per se, vel per alium, buschum, vel riparias facientes buschum, quòd si habuerint riparias simplices, ad pœnam statuti non teneantur. Et habentes duplices, statutum teneantur obseruare iuxta stratas publicas per centum perticas mẽsuratorias terræ prope ipsas stratas, sed omni modo debeant ipsi buschi esse taliati, & quolibet modo talientur. Et quòd post proclamationem, seu monitionẽ factã de ipsis buschis taliãdis, habẽtes buschum iuxta ipsas stratas, iuxta triginta dies teneantur dictos buschos incidere, vt supra. Nomina autem ipsa stratarum, iuxta quas non liceat habere buschum proprijs vocabulis duximus exponendum. Primo strata Mediolani a Nouaria vsque ad Ticinum. Strata Olegij & Burgiticini a Nouaria vsque ad territorium Aronę, per stratam Olegij eundo superius per Maranum: rursus strata francisca a Nouaria vsque in domum Ossole, per quam itur Mommum, & a Mommo vsque in Burgum maynerum, & a Burgo maynerio Vemeniam, & a Vemenia vsque in domum Ossole: & etiam strata Romagnani, a Nouaria vsque in Romagnanum, Et a Romagnano vsque in Vallem sicidæ. Item strata Casalegij a Nouaria vsque Casalegium: item strata Blandrena, a Nouaria vsq; ad turrionum stratę Blandratę: item strata Vercellensis, a Nouaria vsque Olfengum: item strata qua itur Granotium a Nouaria vsque in Paliate, & Paliate vsque Granotium: & strata qua itur a Nouaria Guilengum, & a Guilengo Terdubiatę, & a Terdubiatæ Grauaronã: Item strata qua itur a Nouaria Ceradanum, & a Ceradano vsque ad Ticinum, eundo ad portum Ceradani, & ad portum Cassioli veteris, vbi fuit pons. Statuentes insuper & ordinantes quòd nullus audeat vel pręsumat contra prædicta facere, vel venire. Et si quis contrafecerit, & prædicta non obseruauerit, si fuerit singularis persona, quæ buschum habuerit prope stratam, componat pro banno pro qualibet vice libras decem imperialium. Et si fuerit villa libras quindecim. Et si fuerit burgus libras vigintiquinq; imperialium. Et quilibet sit accusator, medietas cuius banni sit accusatoris, & alia communis Nouarię, & liceat cuiq; sine pœnę metu a prędicto termino inantea accipere de prędictis buschis & ligna. Et potestas suo officio teneatur inquirere bis in dimidio anno per se vel familiam, si prædictum statutum fuerit diligentissimè obseruatum, sub pœna librarum quinquaginta imperialium, quas amittat pro salario suo, si hoc non fecerit. Quæ pœna sibi remitti non possit etiam per consilium ciuitatis Nouariæ. Et si remissio fieret non valeat ipso iure. Nihilominus qui arengauerit de pœna remittenda puniatur in libris decem imperialium. Et istud statutum legatur ter in concione publica ante exitum regiminis potestatis. Et qui alieno nomine conduxisset, vel tenuisset hinc retro aliquem buschum prope dictas stratas, infra dictum terminum, centum pertícharum, possit dictum buschum dimittere, & a dicta cõductione recedere, dũmodo recedat a dicta cõductione infra vnũ mẽsem a tẽpore publicationis huius statuti. Quę renuntiatio fiat in præsentia domini potestatis, vel eius vicarij.

*Ne stipendiarij stantes ad portas, vel ad fractas, aliquid auferant alicui contra suam voluntatem.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd nullus stipendiarius, vndecunq; sit, de iurisdictione Nouarię, vel extra, audeat extra formam sui officij stantis ad portas ciuitatis Nouarię nec ad portas fractarum suburbiorum Nouariæ, ligna, fenum, vinũ in brentis, fructus, vel vuas, vel quascunq; alias res, cuiuscunq; conditionis existant, petere, accipere, vel auferre ab aliquo, vndecunq; sit, contra suam voluntatem, quicquid sit illud quod acceperit. Et si contra fecerint cassentur, & cassati sint ipso iure a stipẽdio. Et perdant stipendium illius mẽsis, & perueniat in communi Nouariæ. Et quilibet possit accusare, & credatur accusatori cum sacramento, si sit bonæ famę, & conditionis, arbitrio domini potestatis. Et quòd dictus dominus potestas teneatur dare sacramentum ipsis stipendiarijs habentibus soldum, de non extorquendo, vel accipiendo aliquid, vt supra dictum est. Sed suo stipendio, & soldo, sint contenti. Idem in omnibus, & per omnia statutum est de officialibus datiorum, stantibus ad portas.

*De statutis burgorum, vel villarum, per quæ ius auferant alicui non faciendis.*

STATVTVM est quòd aliquis burgus, villa, vel locus Nouariæ, vel episcopatus, seu commune

ne alicuius burgi, loci, vel villæ, non possit nec debeat vllo modo facere aliquod statutum vel ordinamentum, vel instrumẽtum publicum, vel priuatum, per quod vel quę ius aliquod, vel condictio auferatur, vel auferri possit, vel intelligatur alicui ciui vel nobili Nouariæ, & episcopatus, & si contrafecerit, ipso iure sit nullum, & pro nullo habeatur. Et insuper teneãtur potestates auferre pro banno cuilibet communi burgi, vel villæ, vel loci qui contrafecerit pro qualibet vice libras triginta imperialiũ. Et cuilibet speciali personę de ipso burgo, villa, vel loco, quę contrafecerit, libras decem imperialium, & sit precisum.

*De eodem.*

Item statutum est quòd per consules, vel commune, vel homines episcopatus, seu districtus Nouarię, non possit nec debeat fieri aliquod conuentum, statutum, seu prohibitio, ne homines laborent, macinent, panem coquant, & alia laboreria faciant ciuibus, vel nobilibus habentibus facere in loco, vel territorio alicuius burgi, villæ, vel vniuersitatis, nec possint consules, vel vniuersitates imponere aliquod bãnum, seu pœnam, nec exigere a vicinis suis pro eo quòd laborarent, macinarẽt, vel alia seruitia facerent alicui ciui, vel nobili, nec possint consules vel vniuersitates aliquem ciuem vel nobilem disuisinare, vel abhominare: quòd si consules, vel communia locorum, per suam audaciam, contra prędicta, vel aliquod prædictorum faciant, potestates vel eorum iudices præsentes & futuri teneãtur, & debeãt condemnare consules, & quemlibet consulum dicti loci, in libris decem imperialium. Et commune illius loci in libris vigintiquinq; imperialium pro qualibet vice, dandis & soluendis communi Nouariæ.

*De eodem.*

Item quòd aliqua communitas, homines, seu vniuersitas alicuius villæ, loci, vel castri, burgi, cassinalis, seu loci districtus Nouarię, modo aliquo, vel ingenio, non possint aliquod bãnũ, seu pœnã, nec quicquã aliud imponere vicinis suis, nec ab eis exigere, pro eo quòd laborarent, vel aliquã laboreria, vel seruitia fecissent, vel facerent alicui domino, seu nobili vel ciui, habẽti facere in dicto loco, vel territorio, nec aliquem desuisinare, nec impedire, vel vetare furnum, molandinum, barbaritiam, vel aliquid aliud sibi necessarium, quòd si fecerit contra prędicta. vel aliquod prædictorum, puniantur, & condemnentur, & ipso iure, & facto incidãt in pœnam consules dicti loci in libris decem imperialiũ pro quolibet & qualibet vice. Et cõmune illius loci, burgi, vel villæ, &c. in libris vigintiquinq; imperialiũ pro qualibet vice, communi Nouariæ dandis, & soluendis. Et quòd de prædictis detur fides illi domino, nobili, siue ciui, cui dictus vicinus fuerit prohibitus laborare, vel macinare, vel barbarizare, vel panem coquere, vel quid aliud facere necessarium, si bãnitus, vel exactus laborasset, vel seruitia exhibuisset, & credatur eidem per suum sacramentum, nisi dederint laboratores eis iusto pręcio, & alia seruitia fecerint, vt supra. Et ducant consules dicti loci, & commune, & homines laborantes ad laborandum illis qui habent terras in eodem loco, vel territorio ad expensas dicti communis, & consulum, si noluerint dare ad expensas domini petentis, sub pœna & banno librarum decem imperialium pro quolibet communi, & soldorum centum imperialium pro quolibet consule.

*De eodem.*

Item quòd aliquod commune, seu vniuersitas, & homines alicuius loci, castri, villę, burgi, seu cassinalis districtus Nouarię non possint quicquam statuere, ordinare, vel facere per quod laboratores, & quęlibet alia subsidia vicinorum illius loci subtrahentur, vel denegentur dominis, seu nobilibus, vel ciuibus habentibus facere in ipso loco, vel territorio. Et si contrafecerint puniantur ipso iure, & facto, & incidant in pœnam consules ipsius loci pro quolibet ipsorum & qualibet vice in libris vigintiquinq; imperialium, communi Nouarię dandis, & soluendis.

*De eodem.*

Item quòd aliquod commune, seu vniuersitas, & homines alicuius castri, villę, burgi, vel cassinalis districtus Nouariæ contra prædicta statuta quicquam ordinare, vel statuere non possint directo, vel per obliquum, vel quocũq; colore quęsito, sub pœnis prædictis. Et prędicta quinq; statuta locum habeant etiam in terris, vel villis, vbi non fiunt consules. Ita quòd habitantes in eis, si in aliquo prædictorum contrafecerint, vel fieri passi fuerint, condemnẽtur

demnentur pro qualibet focolari in libris tribus imperialium.

*Vt nullus debeat prohiberi venire Nouariam pro iustitia petenda.*

ITEM statutum est & ordinatum, quòd aliquis potestas, siue consul, siue dominus alicuius burgi, loci, vel villę iurisdictionis Nouariæ, vel alia persona, non possit, nec debeat aliquo modo, vel aliqua causa prohibere, seu impedire, vel prohiberi, seu impediri facere aliquā personam, collegium, vel vniuersitatem iurisdictionis Nouariæ, quo minus faciat iustitiā, & quominus veniat Nouariam ad iustitiam faciendam, & iustitiam petendum coram potestate, & consulibus iustitię Nouariæ. Et qui contrafecerit, potestas Nouarię teneatur ei au ferre pro qualibet vice, & pro banno, soldos sexaginta imperialium. Saluis iurisdictionibus concessis per dominum &c.

## CAPITVLA DE COMPOSTVRIS, SEV DE DAMNIS DATIS.

*Ne quis ingrediatur in alienam vineam, ortum, pratum, vel possessionem.*

IN primis statutum est & ordinatum, quòd aliqua persona masculus vel fœmi-
na Nouarię, & districtus, vel aliunde, non intret, nec intrare debeat in alienam
vineā, ortum, campum, pratum, buschum, vel zerbium, vel aliquam terram alie
nam, sine licentia domini, vel ad eius ad quem vtilitas fructuum pertinet, de
qua licentia appareat scriptura publica, facta ante dictum ingressum, vel per
testes, vel per sacramentum domini, de licentia data ante introitum. Et qui contrafece-
rit componat pro banno de introitu vineę, & orti, & nemoris, & prati, & terræ seminatæ,
soldos quinq; imperialium. Et pro introitu terrę zerbiæ, vel vacuę soldos duos. Et hoc si
aliquam claudendam non rupit. Et si cesam, vel claudendam rupit, soluat pro banno pro
qualibet vice soldos decem imperialium. Et hoc si aliud damnum non fecerit. Et si dam-
num fecerit in prædictis, vel aliquo prędictorum, teneatur in duplo suprascriptæ pœnæ, &
insuper damnum emendet duplicatum. Et credatur de introitu, & damno, & quantitate
damni domino rei, in qua introitus, siue damnum datum, & factum fuerit, & illi ad quem
vtilitas fructuum pertinet, & filijs eorum maioribus quatuordecim annis, iurantibus eis,
seu altero eorum præsente introeunte, vel citato semel. Et quòd fiat citatio dicto accusa-
to, vt compareat in termino sibi statuendo per iudicem super hoc deputatum, ad facien-
dum suam defensionem super de eo data accusatione, & ad videndum iurare accusatorem,
secundum formam dicti statuti, se damnum facientes vidisse prædictos introeuntes, seu dā
num facientes, dummodo sint ipsi accusatores homines bonę famæ, & bonæ opinionis, ar-
bitrio domini potestatis. Et prædicta intelligantur, quando sine carro, & sine bestijs intra
uerit in prædictis. Et similiter credatur campario constituto ad hoc, de introitu, & damno
dato. Et quòd si aliqua persona extirpauerit aliquam cesam, puniatur in soldis viginti im
perialium. Item quòd credatur dicto accusatori de dominio & possessione rei, de qua fiet
accusatio, & in qua damnum datum fuerit, cum iuramento accusatoris, quò ad ipsam accu
sationem, & ad puniendum, & condemnandum accusatum. Quò ad alia verò non fiat ali-
quod preiudicium veris dominis, & possessoribus. Et si damnum factum fuerit de nocte, pœ
na duplicetur ipsi damnum inferenti. Et condemnationum inde fiendarum tertia pars sit
domini rei, & aliæ duæ partes sint communis Nouarię. Et si accusatus, vel alius suscipiens
iudicium pro eo, comparuerit in termino defensionis datæ, & coram ipso iudice damnorū
datorum fuerit agitatum iudicium possessorij, vel petitorij. Et super ipso iudicio fuerint
factæ probationes hinc inde, tunc per dictum iusdicentem fiat ius, secundum allegata &
probata. Quæ sententia pariat ius illi pro quo lata fuerit.

*Ne quis cum carro & bobus ingrediatur in alienam vineam, & possessionem.*

ITEM statutum est quòd si aliqua persona Nouariæ, & districtus, vel aliunde, masculus, vel fœmina, intrauerit cum carro, vel barocia, & bobus, vel vachis, vel equo ducentibus ipsum carrum, vel barociam, in alienam vineam, vel ortum, vel nemus, vel pratum, vel campum seminatum, componat pro banno soldos decem imperialium, & pro campo vacuo & pro zerbio soldos quinque imperialium. Et insuper damnum emendet duplicatum domino rei, vel illi, ad quem vtilitas fructuum pertinet, & spectat, & credatur de introitu, & damno, & quan-

quantitate damni domino rei, in qua introitus, siue damnum factum, & datũ fuerit. Et illi ad quem vtilitas fructuum pertinet, & filijs eorum maioribus quatuordecim annis, iurantibus eis, vel altero eorum præsente introeunte, vel citato semel, & damnum faciente, se vidisse prędictos introeuntes, & damnũ facientes; dummodo sint ipsi accusatores homines bonæ famæ, & bonę opinionis, arbitrio potestatis. Et similiter credatur campario ad hoc constituto de introitu, & damno dato. Medietas quarum condemnationum sit communis Nouariæ, & alia dominorum.

*De bestijs facientibus damnum.*

ITEM statutum est quòd si aliquæ bestię inuentæ fuerint in aliena vinea, vel orto, nemore, vel prato, vel campo seminato, vel non seminato, vel zerbio, quòd teneatur ille in cuius custodia fuerint ipse bestię, dare & soluere pro pœna pro quolibet boue, siue vacha, vel alio animali grosso soldos duos imperialium; & pro qualibet oue, & quolibet montono, castrono, & agnello imperiales quatuor, & pro qualibet capra, & pro quolibet becho imperiales duodecim: Item pro equo, & equa, mulo, vel mula, porcho, vel porcha, soldos duos imperialium. Et insuper teneatur restituere illi cui datum fuerit damnum extimationem dicti damni duplicatam. De qua inuentione credatur domino rei, & illi ad quem vtilitas fructuum pertinet, vel filijs eorum, maioribus quatuordecim annis, & campario constituto ad custodiam prædictarum rerum, & de dãno & quantitate damni credatur domino, & illi ad quem vtilitas fructuum pertinet, vel filijs eorum maioribus quatuordecim annis: & hoc iurantibus ipsis dominis, vel illis ad quos vtilitas fructuum pertinet, seu filijs eorum maioribus quatuordecim annis, seu eorũ cãpario pręsente introeunte, & damnũ faciẽte, vel semel citato, se vidisse introeuntem, & damnum facientem, dummodo sint homines bonę famę & bonæ opinionis, arbitrio potestatis. Medietas quarum condemnationum sit communis Nouariæ, & alia dominorum. Saluo quòd in campis vacuis, & in stobijs non guilfatis locum non habeat istud statutum, sed statutum quod est sub rubrica de pascuis.

*De pascuis in certis locis concessis.*

LICEAT hominibus Nouariæ pasculare cum suis bestijs in terris vacuis curiæ Nouariæ. Hoc idem liceat facere in villis episcopatus Nouarię, & curijs villarum hominibus Nouarię, & rusticis habentibus seu tenentibus sedimen, vel terras, & laborerium in ipsis villis. Ità quòd eis non liceat rumpere claudendas, seu cesas, seu deriuare fossata, & nisi fuerint terrę illę guilfatæ sine fraude.

*Vt cuilibet liceat pasculare in terra sua, vel conducta.*

ITEM liceat vnicuique, quolibet tempore anni, pasculare in sua terra propria, vel conducta, non obstante conuentu contrario facto per commune illius loci, vel vniuersitatis, in cuius territorio fuerit prædicta terra.

*Qualiter liceat dominis pignorare pasculantes cum bestijs.*

ITEM staturum est quòd in villis, territorijs, & burgis iurisdictionis Nouariæ, non possint aliqui homines cum eorum bestijs pasculari, vel pasculare, vel pascere, nec ducere bestias in pratis alienis post Calendas Martij, aliquo tempore, vsque ad Calendas Nouembris, & a Calendis Nouembris vsque ad Calendas Martij, licitum sit hominibus habitantibus in locis vbi fiunt dicta prata pasculare cum bestijs. Et possint prohiberi & pignorari damnum facientes a Calendis Martij vsque ad Calendas Nouembris per dominos pratorum, seu per eos ad quos vtilitas fructuum pertinet, & accusari, & per potestatem Nouariæ condemnari. Saluo iure omnium personarum & vniuersitatum.

*Quòd damna facientes possint pignorari.*

ITEM statutum est quòd si aliquis inuenerit aliquam personam damnum facientem suis manibus, vel cum bobus, vel bestijs, quòd possit ille in cuius terra dãnum factum fuerit, vel ad quem vtilitas fructuum pertinet pignorare, & pignus accipere sine metu pœnæ & banni; verberare tamen, seu ferire, vel percutere non liceat. Et idem intelligatur in campario. Et quòd talis pignorans teneatur pręsentare illud pignus quod acceperit dicto domino iudici infra tres dies post dictam pignorationem.

## *De eodem.*

Item statutum est quòd si aliqua accusatio facta fuerit de dãnis datis, & pro composturis, & quæstio fuerit inter dominum rei,& accusatos, vel dominos accusati de possessione rei in qua damnum dicetur datum, quòd talis accusa possit remitti, condemnatione nõ facta,ad petitionem domini rei,super qua damnum dicetur datum. Et ad petitioné eius ad quem vtilitas fructuum pertinet.

## *Vt gattarij,qui veniunt ad pasculandum satisdent,quòd ignem non imponent.*

Item statutum & ordinatum est inuiolabiliter obseruari debere ,quòd omnes gattarij, seu venientes ad pasculandum cum eorum bestijs in episcopatu Nouarię,teneantur,& debeát satisdare quòd ipsi non imponent ignem in aliquibus nemoribus, pascuis, seu zerbis, nec alibi,per quem detur damnum in terris zerbis,vineis, plantaminibus, seu nemoribus,nec alibi. Et si quis de prædictis,seu alia persona imposuerit ignem, totum damnum reddant, & restituant damnum passo,& vltra quòd dabunt & soluent pro pœna communi Nouariæ lidras decem imperialium.Et si prędictam securitatem prædicti gattarij non fecerint, teneantur domini seu illi in cuius,& quorũ sediminibus,& domibus albergauerint,restituere damnum. Et vltra hoc soluant pro pœna communi Nouarię libras decem imperialium.Et nihilominus teneantur suprascripti gattarii,& gattarius ad suprascriptam pœnam solué dã cõmuni Nouariæ;si ille dominus,seu domini soluerint, teneãtur ipsi gattarij,seu gattarius ad restitutionem ipsis dominis,seu domino faciendã,de dicta pœna per ipsũdominũ, seu dominos soluta,vt supra.Et non possit aliquis gattarius venire ad aliquem locũ ad pasculandum cũ suis bestiis in episcopatu,& districtu Nouariæ sine voluntate duarum par tiũ ciuium,& nobilium habentiũ facere in dictis locis,vel territorijs episcopatus, & districtus Nouariæ. Et teneatur massarius,vel fictualis,qui albergauerit sine voluntate & licencia domini,seu dominorum dictos gattarios,& qui contrafecerit,ad dictam securitatem, & non dominis,seu domini ad prædicta. Et idem in omnibus,& per omnia intelligatur,& obserue tur in fachinis,Bergamaschis,& porchariis. Et ad hoc ne fraus aliqua committi possit in pręiudicium duarum partium ciuium,& nobilium habentium facere in locis episcopatus & districtus Nouariæ.Ordinauerunt quòd si de cetero reperiatur aliquod datũ,vel alienatio factum & facta alicui ciui,vel nobili,vel alij personæ ciuitatis & districtus Nouarię, de aliqua pecudum, vel aliarum bestiarum quãtitate,quæ quantitas reperiatur, vel sit in aliquo loco iurisdictionis Nouarię pro pasculando,seu ad pasculandum;tale datum , vel alienatio factum & facta de aliqua pecudum,seu aliarum bestiarum quantitate,virtute præsẽtis statuti intelligatur,& sit fraudulosum,& fraudulosè factum,& sit,& esse debeat nullius valoris & momenti.Et hoc per respectum ad contenta in dicto statuto.

## *De estinguendo igne imposito,vel euagato.*

Si ignis impositus fuerit,vel euagauerit in aliquo loco,vel territorio iurisdictionis Nouarię,homines de dicto loco,& homines quatuor locorum confinium,& proximiorum prædicto loco,in quo dictus ignis impositus fuerit, vel euagauerit,teneantur,& debeant ire ad dictum ignem , & ipsum extinguere , & toto posse dare operam cum effectu ad ipsum ignem extinguendum . Et qui non iuerit , & opus non dederit ad extinguendum dictum ignem,condemnetur arbitrio domini potestatis vsque ad soldos viginti imperialium . Et qui ignem imposuerit,& alteri damnum dederit per ignis impositionem in aliquo loco, burgo,villa,vel cassinali,habitatis, condemnetur arbitrio domini potestatis a libris viginti quinque imperialium vsque ad libras centum imperialium,considerata qualitate personæ delinquentis,& quantitate,& modo damni sequuti ex dicto igne.Et si ex dicto igne imposito aliqua persona cõbusta fuerit,vel perempta,tunc ille qui imposuerit dictum ignem pœnis legitimis puniatur, & in omnem casum teneatur ad restitutionem damni rei cõbustę,nec possit de carceribus relaxari,donec satisfecerit damnum passo,seu passis. Et quilibet possit accusare,& ipsum ignem imponentem conducere,& pręsentare in fortiam domini potestatis sua propria auctoritate.Et medietas cõdemnationis sit accusatoris,& alia medietas sit communis Nouariæ . Et consignans in fortiam domini potestatis Nouarię malefactorem,seu malefactores,habeat,& habere debeat de here communis Nouariæ libras decem imperialium.Et teneatur potestas prædicta omnia,& singula semel quolibet mense cridari facere in locis vbi cridæ consueuerunt fieri.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd qui ignem imposuerit in aliquo territorio iurisdictionis Nouarię extra loca habitata puniatur a libris decem vsq; ad libras quinquaginta imperialium arbitrio domini potestatis Nouarię, considerata qualitate personę delinquentis, & quantitate damni sequuti ex dicto igne. Et nihilominus teneatur restituere dãnum illis personis quibus datum fuerit ex dicto igne. Et quòd supradictum est de accusatione, & captione personæ, locum habeat in casu pręsenti.

*De robarijs & damnis emendandis in burgo vel villa factis.*

ITEM statutum est quòd omnes robarię, & omnia furta, damna, & guasta, quæ fierent de cætero in aliquo burgo, vel villa, vel loco, vel cassinali iurisdictionis Nouarię, siue in territorio alicuius ex ipsis burgis, villis, cassinalibus, vel locis, exceptis furtis, damnis, vel guastis, quæ fierent per multitudinem gentium, quibus resisti commodè non possit, vel per euagationem ignis, debeant, & teneantur emendari, & restitui illi, vel illis, cui, vel quibus datum, vel factum fuerit furtum damnum, vel guastum, vel robbaria facta, vtsupra, videlicet, furtum, damnũ, vel guastũ per homines & personas habitantes in ipso burgo, villa, vel cassinali, vel loco in quo, vel cuius territorio infrascripta proximè dicta, vel aliquod prędictorum factum, vel facta fuerint. De qua emendatione, vel restitutione teneantur nobiles, & ciues, & vicini pro numero personarum tam nobilium, quàm ciuium, & vicinorum habitantium in ipso burgo, vel villa, vel cassinali, pro vna medietate, & pro alia medietate ipsi ciues, nobiles, & burgenses, & rustici, secundum extimationem, qua fuerint extimati tũc in libro facultatum cõmunis Nouariæ, exceptis viduis, & orfanis, & absentibus causa peregrinationis, vel carceris, siue exercitus, vel ambasciatæ per commune Nouariæ sibi impositæ. Et hoc locum habeat, nisi commune dicti loci, in quo vel cuius territorio dictum damnum fuerit datum, infra duos menses, a tempore damni dati, consignauerit in fortiam communis Nouarię malefactorem, seu malefactores. Quo casu dictum commune remaneat absolutum. In robarijs verò, & captionibus factis in territorio alicuius burgi, vel villæ, vel cassinalis, extra loca inhabitata, teneantur ad emendationem, vel restititutionem prędictæ robarię, vel captionis, nobiles, & ciues burgenses, & rustici, habitantes in quatuor proximioribus locis, vel loco, vbi facta fuerit dicta robaria, vel captio. Et hoc pro modo extimationum ipsorum nobilium, ciuium, burgensium, vel rusticorum. Saluo quòd si stremita facta fuisset, vel fecerint ipsi de dictis locis eorum posse, remaneant arbitrio domini potestatis. Et hoc locum habeat, nisi commune dicti loci, vel communia prædicta, vel aliquod prædictorum, infra duos menses, a tempore dictę robarię, vel captionis commisse, cõsignauerint in fortia domini potestatis Nouarię, malefactorem seu malefactores. Quo casu dicta cõmunia, seu habitantes in eis, & quolibet eorum remaneant absoluti. In robarijs verò, vel captionibus factis in loco habitato alicuius burgi, vel villæ, vel cassinalis, teneantur emendare tantummodo habitantes in dicto burgo, vel villa, vel cassinali, tam nobiles, seu ciues, quàm burgenses, vel rustici pro rata, vtsupra in emendatione furtorum, damnorum, & guastorum dictum est.

*De modo procedendi in damnis datis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd dominus potestas & sui iudices possint, teneantur, & debeant, breuiter, & summariè, & sine strepitu, & figura iudicij, procedere in causis dictorũ damnorum, & ipsa damna & guasta facere extimari per duos extimatores, qui non sint de illo loco in quo, vel in cuius territorio datũ fuerit dãnum, pręstito per eos sacramẽto de extimando damnum datum fideliter, & bona fide, & facta condemnatione facere emendari dictum damnum infra mensem per eos per quos fieri debet, secundum formam pręcedẽtium statutorum illi, vel illis, cui, vel quibus restitutio fieri debet. Et si dãnum quod petitur emendari, non ascendat vltra valorem, vel extimationem soldorum quadraginta imperialium, quòd in eo casu credatur ei qui petierit emendationem dicti damni, cum sacramẽto, si fuerit homo bonæ opinionis, & bonæ famæ, sine aliqua extimatione. Et facto dicto sacramento potestas facere sibi emendari damnum iuxta formã statuti præcedentis infra mẽsẽ.

*De damno dato in curia Nouariæ emendãdo per commune Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd omnia damna, & guasta, quæ fierent in curia Nouariæ extra ciuitatem, vel suburbia Nouariæ, fossata, seu burgos, damna, vel guasta data,

vel facta incisione, vel segatura, vel scoratura, vel igne, vel alio quocunque modo, quòd cõmune Nouariæ teneatur, & debeat illud damnum, vel guastum emendare illi cui damnũ factum fuerit, si ipsum damnum extimatum fuerit per tres bonos homines & legales, eligendos per potestatem. Qui potestas debeat ipsos tres bonos homines & legales cogere ad faciendum extimationem prædictam infra octo dies, postquàm denuntia facta fuerit ipsi domino potestati. Et potestas teneatur facere restitutionem dicti damni de here cõmunis Nouarię infta mensem, post extimationem, ita tamen quòd in ipsis dãnis, & guastis non intelligantur damna & guasta, quæ fierent per commune, aliquo tẽpore, vel per multitudinem gẽtium, vel barueriorum publicè facientium, iurante petente, restitutionẽ damni, ad sancta Dei Euangelia se nescire qui dictum damnum sibi dedit. Et si iurare noluerit, vel sciuerit qui damnum dederit, nullam emendationem habeat. Saluo quòd ille qui recipit damnum, anteqàm emendationem ipsius damni recipiat, teneatur iurare quòd nescit qui fuerit ille qui sibi damnum dederit. Et si damnum & guastum factum fuerit, quod ascẽdat vsque ad soldos quadraginta imperialium, vel abinde infra in curia Nouariæ, tunc illi de burgo, in cuius curia dictum damnum datum fuerit, debeant dictum damnum emendare, secundum quòd extimabitur damnum per potestatem cãpaniæ illius burgi in cuius curia datum fuerit damnum, cum duobus vicinis alterius burgi. Et credatur illi cui datũ fuerit damnum, de dicto damno cum eius sacramento.

*De eo qui inciderit, vel stropauerit arborem.*

QVI inciderit, vel excoriauerit, vel stropauerit, vel scauauerit arborem alienam fructiferam, excepta vite, vel insedata, componat domino earum pro vnaquaque arbore soldos viginti imperialium, & det pro bãno cõmuni Nouariæ soldos viginti imperialium, & damnum insuper emendet, & idem intelligatur in mandante, vel fieri faciente prędicta, vel aliquod prædictorũ.

*De eodem.*

SI quis damnum fecerit in buschis, vel riuerijs, vel aliunde, vel taliando, vel exportando, vel ducendo aliquam arborem, vel aliquod lignamen, quòd sit grossum a scalino carri inferius, si duxerit super carro, componat pro quolibet & qualibet vice domino vel illi ad quẽ vtilitas fructuum pertinet soldos decem imperialium, & communi Nouariæ soldos decẽ imperialium. Et si portauerit vel portari fecerit in fasso super spatulis, componat domino soldos tres, & communi Nouariæ soldos tres. Et si inciderit, vel excoriauerit aliquam arborem abinde superius cõponat pro qualibet arbore, seu planta, si fuerit quercus, vel vlmus, domino soldos decem, & totidem communi Nouariæ: & si fuerint pibiæ, salices, vel alię arbores non fructiferæ, componat domino soldos quinque, & totidem communi Nouariæ. Et nihilominus dãna emendare teneatur domino, vel illi ad quẽ vtilitas fructuum pertinet. Et quilibet, tam dominus rei, quàm alij, & cãparij possint accusare, & eis credatur cum sacramento, dummodo fuerint homines bonę opinionis arbitrio potestatis. Et prædicta locum non habeant in buschis & riuerijs iuxta stratas existentes, quę secundum formam aliorum statutorum debent incidi.

*De sarris non portandis.*

QVI sarros viridos, vel siccos, vel furigonos, seu scarglionos portauerit intra ciuitatẽ vel villam, nisi fuerit cum carro, & equis, portonarius, siue camparius teneatur ipsum tenere, & sarros, & dictum lignamen ei auferre, & insuper det pro banno communi Nouarię, qui portauerit dictos sarros, vel furigonos soldos quinque imperialium, in denarijs numeratis, qui non possint compensari. Et idem intellligatur de fasfinis sermentarum, & tronchis vitum, vel tronchis altinorum, & de quibuscunque alijs lignis.

*Qualiter custos portarum & fractarum teneãtur detinere personas portantes ligna, vel alia illicita, & de sacramento per ipsos super prædictis faciendo.*

ITEM statutum est quòd custodes portarum, & pusternarũ, & fractarũ ciuitatis Nouarię, sacramẽto speciali, teneãtur detinere quãlibet personã de prędictis aliquid portantẽ, si de eo suspitio fuerit, quòd res quã portat sua nõ fuerit, secũdũ male ablata rẽ illã sibi auferre & psonã cũ rebus ablatis præsẽtare potestati, vel eius assessoribus, vel saltim denuntiare quòd res ablate domino restituantur. Et quòd custodes p̃dicti teneãtur & debeant iurare omni

omni mane in manibus parochianorum suorum quòd bona fide, sine fraude accusabunt
dicto domino iudici, omnes & singulas personas portatantes ligna, palos, sarros, seu ali-
quid aliud prohibitum portari, secundum formam aliorum statutorum in burgis vel ciui
tate Nouariæ. Et quòd parochiani prædicti teneantur, & debeant omni mane deferre sa
cramentum prædictis custodibus de accusando & faciendo accusas prędictas bona fide,
sub pœna cuilibet parochiano pro qualibet vice soldorum quinque imperialium, & cuili
bet custodi nolenti, & recusanti facere dictum sacramentum, pro qualibet vice soldorum
quinque imperialium. Quæ pœnę applicentur communi Nouarię.

### *De eodem.*

ITEM quęcũque persona quæ de prædictis, vel alijs rebus, in domo sua receperit, vel habue
rit, si de ea persona suspitio similiter fuerit, quòd res illa sit in domo sua in qua habitat,
vel malo modo eam habuerit, debeat permittere rem illã in domo sua querere; Et si prohi
buerit querere volentẽ, teneatur ac si fecisset, & si ibi inuenta fuerit, teneatur ille in cuius
domo inuenta fuerit manifestare, & ostendere eum a quo eã habuerit. Alioquin teneatur
dare bannum factum, & compositionem pręstare, & damnum restituere, ac si ipsemet rem
illã in propriam personam abstulisset, Et si non habuerit vnde componat prædicta, siue
ille qui fecerit, siue ille in cuius domo inuenta fuerit, teneatur potestas auferre soldos vi
ginti imperialium, nisi fuerit minor quatuordecim annis, qui ad berlinam siue catenã po
natur, & nisi mentecaptus fuerit, de quo nõ teneatur potestas. Et idem intelligatur in ali
is furtis & damnis, quantum ad inquirendum.

### *Contra incidentes arbores & plantumina.*

ITEM quòd nullus audeat vel præsumat incidere, vel incidi facere aliquam vitem, vel alti-
num in curia Nouarię, vel districtu non suam. Et qui contrafecerit teneatur dare, & solue
re cõmuni Nouarię soldos sexaginta imperialiũ pro qualibet planta, altino, seu vite. Et
vltra hoc ponatur in carceribus cõmunis Nouariæ, de quibus nõ possit exire toto tẽpore
regiminis illius potestatis, in cuius regimine captus extiterit. Eodẽ modo puniatur & cõ
dẽnetur quilibet dicẽs vel receptãs. Et hoc tam in pręteritis casibus quã in futuris. De qui-
bus pœnis detur, & soluatur dãnũ passo pro restitutione dãni soldos decẽ imperialiũ pro
qualibet plãta, altino, seu vite. Et si prædictæ pœnæ non sufficerẽt ad satisfaciẽdũ dãno da
to, quòd dominus potestas cũ his sapiẽtibus, quos secũ habere voluerit, habeat fortiam &
bayliã restitutionẽ fieri faciendi dãnũ passo, secundũ quod eis videbitur expedire. Et quòd
dominus potestas teneatur facere cridari. Quòd quilibet damnũ passus publicè vel priua-
tim veniat corã eo conqueri de dãno dato. Et in eadẽ pœna cõdemnẽtur stropantes vineas
vel ramponatas. Et si pœnam soluere non poterint, quòd si pœna fuerit librarum quinqua
ginta imperialium, & si a libris quinquaginta infra, & soluere non poterint, quòd teneãtur
in carceribus per annum. Quo elapso teneãtur ad catenã, & deinde ralaxentur. Et si pœna
ascẽderit a libris quinquaginta imperialium exclusiuè supra, & soluere non poterit, vel nõ
soluerit infra mensem, postquàm venerit, vel fuerit in fortia potestatis, & post condẽnatio
nem, quòd tunc amputetur ei manus dextra. Et quòd si aliqua persona, cuiuscunque condi
ctionis existat, de cetero inciderit aliquam, seu aliquas quatias, sen tendelias, seu trecias
alicuius vitis non suę, componat pro banno pro qualibet quatia, tendelia, seu trecia soldos
decem imperialium, & ad restituendum damnum passo teneatur in duplũ: & vltra si perue
nerit in fortia domini potestatis & cõmunis NOVARIÆ, quòd ponatur in carceribus dicti cõ
munis, de quibus nõ possit relaxari per vnũ annũ tãtùm. Et quilibet possit accusare, cuius
pœnę medietas sit accusatoris, & alia communis, considerata qualitate facti, & persona
rum.

### *De eodem.*

ITEM quòd dominus potestas per se, & familiam suam, & quos voluerit, teneatur inquirere
de damnis olim datis in vineis, vel plantaminibus, & procedere contra taliantem, & con-
tra eum qui duxerit vel reduxerit illud damnum, & eos punire, & condemnare, vt supra in
proximo præcedenti statuto.

### *De eodem.*

ITEM si quis de cetero inuẽtus fuerit bis prædicta mala cõmittere, quòd tertia vice cõdẽ-
netur in libris quinquaginta imperialiũ in pecunia numerata. Et si eas non soluerit infra

quindecim dies proximos post cōdēnationē factā. Et postquā peruenerit in fortia domini potestatis,& communis Nouariȩ,amputetur ei vna manus, ita quòd separetur a brachio.

*De camparijs villarum & eorum officio.*

ITEM statutum est quòd camparij villarum & burgorum iurisdictionis Nouariæ,teneantur custodire tam vineas,prata, & nemora hominum & nobilium ciuitatis, quàm illa hominū villarum,& burgorum in quibus habitant,& accusare eum potestati,vel eius assessoribus,in fra octo dies postquàm sciuerit illos,siue illum,quos inuenerit damnum fecisse illi homini ciuitatis,vel nobilium,ad quos vinea,prata,nemora, seu terra pertinuerit, & credatur accusatori. Et quòd prȩdicti camparij teneantur,& debeāt infra infrascriptū terminum accu sare prædicto domino iudici omnes & singulas personas,& quamlibet earum,quas reperie rint capiendo,vel venando ad columbos,& retia tendendo in quocunq; loco curiȩ, & districtus Nouariȩ. Et si reperiretur quòd camparij non facerent ipsam accusam infra terminū præ dictum,teneātur de suo proprio emendare damnum illi cui datum fuerit, siue factum, soluente ciue Nouariæ camparitiam pro rata, nec ab isto sacramento accusationis possit camparius absolui. Et nobiles,seu ciues soluentes camparitiam,pro rata cum burgensibus vel villanis habeant suam partem compostur arum, & bannorum, seu prȩstarum pro rata, sicut & alij vicini,& quodlibet cōmune burgi,castri,villȩ,quæ,& vbi nō sit cōmune, nobiles & habitatores episcopatus Nouariæ,teneantur,& debeant omni anno de mense Ianuarij fa cere duos camparios ad minus,quorū officium duret per totum annum, quod si facere ne glexerit puniatur & cadat in pœna commune burgi soldorum centum imperialium, Com mnneq; villæ,vel castri in soldis sexaginta imperialium,totiens committenda,quotiens cō trauentum fuerit. Et quòd nihilominus cogantur per iuris remedia ad faciendum dictos camparios. Et quilibet consul burgi,vel villȩ puniatur,& condemnetur in soldis viginti im perialium,& quilibet possit accusare. Medietas condemnationis sit communis Nouariæ, & alia sit accusatoris.

*De camparijs dominorum, & eorum officio constituen.*

ITEM statutum est quòd camparij possint poni in villis,& burgis,si placuerit illi,& illis qui habent ibi ad faciēdum,siue sint ciues,siue sint rustici,siue sint nobiles,vel ciues,ad expen-
sas illorum quorum sunt terræ & sint homines bonæ opinionis, quibus debeat credi & da-
ri fides,& accusare debeant potestati, vel eius assessoribus, & coram eis iurare. Ita quòd
vnus solus dominus,vel nobilis possit ordinare, & habere camparium.

*De camparijs & ordinamentis per certos homines pro conseruatione bonorum fiendis.*

ITEM quòd homines habentes facere in curia Nouariȩ, possint pro conseruatione campa-
riȩ imponere camparios, statuta, & ordinamenta facere ad eorum liberam voluntatem,
pro conseruatione bonorum omnium,quæ sunt in eorum portis & territorijs,& ea omnia,
& singula,quæ per eos dicta,& ordinata fuerint,sint firma,& rata,& quod sex de habitanti-
bus in ciuitate de qualibet porta,& totidem de habitantibus in burgo, possint,& eis liceat
facere cāparios,& statuta,& ordinamēta,& alia, quȩ eis vtilia videbuntur pro cōseruatio-
ne dictorū bonorū. Et quòd dictus dominus potestas & eius assessores,& milites, & familia
teneantur,& debeāt quod per dictos ordinabitur facere bona fide, & executioni mandare,
& idem intelligatur in dominis nobilibus,& vicinis burgorum,& villarum,& castrorū epi-
scopatus Nouariȩ,& quòd ciues habentes facere in dictis locis possint adesse, si voluerint,
& quod ordinabitur per maiorem partem credentiæ,cū maiori parte dominorum, & nobi
lium habitantium in dictis villis,burgis,vel castris,ratum,& firmum sit,& obseruetur,vt su
pr adictum est.

*De eodem, & de damnum facientibus, & receptatoribus.*

ITEM statutum quòd dominus potestas,ad requisitionem quatuor hominum bonȩ famæ &
opinionis,& fide dignorū,cuiuslibet portȩ,possit,& debeat,si de hoc fuerit requisitus per
ipsos,facere iurare in illa quantitate hominum,prout placuerit dicto domino potestati,&
hominibus habentibus facere in territorijs portarum, & curia Nouariæ, quòd camparij
nominabuntur,qui eorum sacramento per eos præstito in prȩsentia dicti domini potesta-
tis, vel eius vicarij,debeant iurare de accusando, & quòd accusabunt, & in scriptis dabunt
dicto domino potestati omnes quos viderint portare blauas grossas, vel menudulas, her-
bam

bam,fenum,ligna,sicca,vel virida,fructus,vuas,verzias,porros,& alia ortiga,dummodo ipsi accusatores videant,& cognoscant ipsos prædicta damna facientes, non portare de suis terris. Et dummodo ipsi tales talia facientes,sint homines suspecti de damnis faciendis. Et quòd quilibet receptans talia damna,& emens,& dans dictis damnificantibus auxiliũ, consilium,vel fauorem, condemnetur prout in statutis communis Nouariæ continetur. Et quòd dominus potestas receptatoribus dictorũ damnorum, & damnificantium, faciat dare bonam securitatem de restituendis prædictis sic ablatis. Et quòd illi qui receptauerint de nocte in cassinis,vel domibus suis,similiter condemnentur tanquàm illi qui dicta damna faciunt.

*De terris non laboratis, & domibus, seu nemoribus, & pratis non goditis.*

SI quis habuerit domos, terras, possessiones, seu prata, vel nemora in aliquo loco, seu territorio alicuius loci,& domus,seu terrę,vel possessiones vel prata,vel nemora,quę non fuerint habitatę, cultæ,vel laboratę,& goditæ,propter superbiam, vel terrorem, vel minas, vel fortiam alicuius specialis personæ, vel communitatis, si denuntiatum fuerit, per potestatem,vel eius vicarium,vel assessorem,vel nuntium eorum, vel alterius eorum communi loci prædicti, vt dictam domum habitari faciat, vel dictas terras laboret, vel laborari faciat,vel godiri faciat dicta prata,vel nemora, & inde commune dicti loci non fecerit habitari dictam domum,vel non laborauerit dictam terram, vel prędicta godiri nõ fecerit,vel non obseruauerit,teneatur commune loci dare ei cuius fuerit dicta domus, vel terra,vel pratum,vel nemus,vel ad quem vtilitas eorum pertinuerit,tantum quantum extimatum fuerit per duos bonos homines,eligendos per dominum potestatem, vel eius vicarium de dicta domo,terra,prato,& nemore si goditum fuisset,vel perceptum si fuisset habitata dicta domus,& terra laborata,& prata & nemora godita. & vniuersitas,vel cõmune terrorem,vel minas inferens,ne suprascripta fiãt,cõdemnetur,si fuerit burgus,in libris quinquaginta imperialium. Et commune villæ,vel terrę in libris vigintiquinq; imperialiũ. Et si fuerit specialis persona,ciuis,vel nobilis,burgensis,vel rusticus,in libris vigintiquinq; imperialiũ. Cõmune verò,denũtiationi domini potestatis,vel assessorũ eius,vel nũtij eorũ non parens puniatur,& cõdemnetur ad emendationẽ dictæ extimationis,& in libris vigintiquinq; imperialiũ,si fuerit burgus:& si fuerit villa, in libris decẽ imperialiũ. Si verò dictę denuntiationi paruerit,dictũ commune habeat partem fructuũ prouenientium ex terris, pratis,& nemoribus,quæ communiter datur,& dari solet in illo loco de similibus terris,& possessionibus,& pensiones domus integræ persoluantur domino domus, vel illi ad quem vtilitas fructuum pertinet,in extimatione duorum bonorum hominum eligendorum vt supra. Saluo quòd si potestas cognosceret quòd terræ prædictę non laborarentur propter potentiam nobilium habitantium in dicto loco, tunc non cogat vicinum ad laborandum, sed ipsum nobilem sic potentem, & alios nobiles ibi habitantes, & super minis, prohibitione, terrore, superbia, vel fortia, quæ fierent verbo, vel facto. Et super dependentibus, & connexis a prædictis, & quolibet prædictorũ potestas,& eius iudex maleficiorũ teneantur & debeant,ad denuntiationem cuiuslibet inquirere,& punire quos viderint,seu inuenerint culpabiles,secundum formam dicti statuti.

*De damnis datis per non subditos personis subditis, communi Nouariæ.*

ITEM statutum est quòd si aliquis de aliena iurisdictione dederit damnum alicui homini vel personæ iurisdictionis Nouarię,incidendo,taliando,pasculando, segando, vel quouismodo damnum inferendo,vel aliquibus terris, vel possessionibus alicuius personæ districtus Nouarię,quòd dominus potestas,iudices,& assessores teneantur, & debeant condemnare prædictum damnum dantem secundum formam statutorum loquentium de damnis datis,& de composturis,videlicet,ad restitutionem damni duplicati. Et credatur domino rei,qui sit bonæ opinionis,& bonæ famæ,& campario,seu illi,ad quem vtilitas fructuũ pertinet cum iuramento. Et hoc tam super damno,quàm qualitate damni, & quantitate damni. Et facta condemnatione potestas teneatur mittere litteras potestati,vel rectori,vel vicario illius terrę,de qua fuerit ille qui damnum dederit, in quibus contineatur qualiter ipse condemnauit talem in tanta quãtitate,tali de causa. Et quòd ipse faciat soluere dictam condemnationem infra quindecim dies,aliàs quòd ipse procedet cõtra homines dictæ terræ,secundum quòd plenè continetur in hoc statuto. Et si non fuerit soluta condemnatio infra suprascriptum terminum,tunc teneatur potestas compellere ad soluendum tam prędictos

eos condemnatos qui damna intulerunt, quàm alios habitantes in locis in quibus habitāt prędicti condemnati. Et hoc si reperti fuerint in ciuitate Nouariæ, seu in burgis, seu in districtu Nouariæ diebus feriatis, & non feriatis. Ita quod eos posfit, & debeat detinere donec satisfecerint. Saluo quòd non possint compellere ad soluendum, seu detinere aliquem non condemnatum, qui veniat ad ciuitatem Nouariæ cum victualibus, seu blado, nec in die iouis, nec tempore nundinarum, siue veniat cum victualibus, siue non. Et prædicta pœna duplicetur in personis non subditis, facientibus damnum in personis, vel rebus subditorum communis Nouarię. Et quòd dicti non subditi possint citari ad lapidem arangherię communis Nouariæ ad omnes eorū defensiones faciendas & ad omnia alia quę citādi erūt. Et quòd talis citatio perinde valeat, ac si in ciuitate Nouarię citati essent legitimè.

*Magnifico fratri nostro carissimo Antonio Vicecomiti gubernatori Nouariæ.*

MAGNIFICE frater carissime. Auditis his, quę dicta, producta, & allegata fuerunt, tam pro parte nostri communis illius Nouarię, quàm pro parte etiam communium terrarum nostrarum Galiate, & Terchate, coram consilio nostro secreto, super materia statuti illic vigentis, super damnis datis per forenses, disponentis in effectu, quòd ex forensibus vnus pro altero teneatur &c. Deliberauimus tandem hunc modum de cetero superinde seruari debere, videlicet, Quòd si, & quotienscunque amodo vlla damna per dictos forenses alicui iurisdictionis Nouariæ dari contingat, preuia informatione, & seruata etiam forma dicti statuti inter cætera relegentis quòd credatur domino rei, qui sit bonæ opinionis, & famæ, & campario, seu illi, ad quem vtilitas fructuum pertinet cum iuramento. Et hoc tam super damno, quàm qualitate & quantitate damni. Ordines quòd potestas dictæ nostræ ciuitatis Nouarię condemnetur dictum damnum dantem secundum formam dicti statuti. Et facta huiusmodi condemnatione denuntiet per literas suas potestati, vel rectori dictarum duarum terrarum nostrarum, de qua fuerit ille qui damnum dederit, sicuti condemnauerit talem, in tanta quātitate, tali de causa Et quòd perinde cogat eum per omnia iuris remedia ad resarciendum tale damnum, damnum passo, infra viginti dies; vbi statutum solummodo quindecim dies relegere videtur, infra quem terminum viginti dierū, nisi fuerit tale damnum integrè resarcitum, isto casu, compellat ad soluendum tam huiusmodi condemnatum qui damnum intulerit, quàm homines habitantes in altera dictarum terrarum, siue aliquo loco supposito terræ, de qua, siue quo fuerit, siue erit talis damnum inferens. Et vt præmittitur condemnatus. Et hoc si reperti fuerint in ciuitate Nouarię, seu in suburbijs. Ita quòd eos possit & debeat obinde detinere, donec satisfecerint. Saluo quòd non possint compellere ad soluendum, seu detinere aliquem non condemnatum, qui veniat ad mercatum, siue ad ciuitatem Nouariæ cum blado, seu victualibus, nec in dię iouis, nec tempore nundinarum, siue veniat cum victualibus, siue non, prout recitat dictum statutum circa finem. Et ita ordinem prędictum seruet formaliter prout iacet. Aduertēdo bene ne procedat ad coactionem nec detentionem talium condemnatorum, vel quòd condemnari continget, nisi per prius facta denūtiatione prædicta. Et excepto etiam per dictos viginti dies limitados, vtrum talium damnorum resarcio fiet, vel né. Dat. Papiæ die quintodecimo Martij. 1417.

*Qualiter iudex compostur arum teneatur facere iurare quatuor proximiores quorumlibet fractarum, ne permittant aliquid illicitè portare.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd prædictus dominus iudex, & qui per tempora erit teneatur, & debeat mittere pro quatuor vicinis propinquioribus suprascriptis fractis burgorum, & cuiuslibet earum, videlicet, pro duobus pro qualibet porta fractarum, & cuiuslibet earum, & eisdem & cuilibet eorum, & familiaribus, & familiæ eorum, maioribus quatuordecim annis, deferre sacramentum, quòd bona fide, & sine fraude, accusabunt omnes, & singulas personas portantes farros, palos, seu aliquid aliud prohibitum portari, secundum formam aliorum statutorum, in burgis, & ciuitate Nouarię, sub pœna cuilibet domino domus soldorum duorum imperialium pro qualibet vice.

*De spigolatoribus non habendis per totum mensem Iunij.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd aliquę personæ, cuiuscunq; status, & conditionis existant, & vndecunque sint, de cętero non audeant, nec presumant intrare aliquem campum seu vineam non suum, vel suam causa spigolandi aliquod granum, seu bladum per totum mensem Iunij, sub pœna soldorum duorum imperialium cuilibet personæ contrafacienti

&

& qualibet vice, & quælibet persona possit accusare, & auferre ei spigolezios, qui perueniāt & sint, & esse debeant accusatoris, & nihilominus dictus accusator habeat medietatem pœnæ prædictę.

*Quòd tempore vindemiarum vuæ non portentur ad vendendum in mercato.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd prędictus dominus iudex, qui nunc est, & per tempora erit, vinculo sacramenti teneatur, & debeat omni via, modoq;, quibus melius poterit prohibere, quòd tempore vindemiarum aliquę vuę in corbellis non portentur ad vendendum de districtu, & curia Nouariæ ad ciuitatem, & suburbia Nouariæ. Et si reperirent aliquam personam, seu personas iurisdictionis Nouariæ, vel aliunde portantem, seu portantes de districtu, seu curia Nouarię, aliquam corbellam, seu corbellas vuarum dicto tempore ad vendendum, quòd teneatur & debeat describi facere nomen illius personæ, seu personarum, quæ portarent modo prædicto, & tempore suprascripto vuas ad vendendum, & eisdem debeat assignare terminum trium dierum ad faciendum omnem earum defensionem, & ad sese excusandum ab inuentione prędicta. Quo termino elapso, teneatur illam personam, seu personas sic inuentas condemnare secundum formam aliorum statutorū. & quòd dictus dominus iudex, qui nunc est, & per tempora fuerit, teneatur vinculo sacramenti de prædictis facere fieri cridam tempore vindemiarum.

*De salario seruitorum seruientium iudici compositurarum.*

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd dictus dominus iudex, qui nunc est, & per tempora fuerit, habeat, & habere debeat duos seruitores pro suo officio exercendo, ex seruitoribus communis Nouarię, qui habeant, & habere debeant de here communis Nouariæ omni die imperiales duodecim pro quolibet seruitore. Et quòd per præsens statutum non fiat, nec fieri intelligatur aliquod prǽiudicium ipsis seruitoribus in perceptione mercedis taxatæ in statuto posito in volumine statutorum notariorum dicti domini iudicis.

*De salario iudicis quando pernoctat extra ciuitatem, & suburbia, pro eius officio exercendo.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd si contingerit ipsum dominum iudicem, qui nunc est &qui per tempora fuerit, ire extra ciuitatem Nouariæ pro suo officio exercendo, habeat & habere debeat de here communis, si pernoctauerit extra ciuitatem & suburbia soldos decem imperialium pro quolibet equo. Et quòd non possit ducere secum nisi equos duos tantùm, & non vltra. Et quòd pro prædictis soldis decem imperialium pro quolibet equo teneatur ire suis sumptibus & expensis, & non expensis alicuius communitatis, vel singularis personæ.

*Quòd iudex non exeat ciuitatem pro eius officio exercendo, nisi parabola sapiētum.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd suprascriptus dominus iudex qui nunc est, & per tēpora fuerit, non possit, nec valeat ire extra ciuitatem, & suburbia per districtum Nouarię pro officio exercendo, sine licentia domini potestatis Nouariæ, & dictorum sapientum, vel surrogatorum, seu maioris partis ipsorum sapientum. Et si iuerit exra ciuitatem & suburbia per districtum Nouariæ pro dicto officio exercendo, sine licentia prædicta, nihil percipiat a communi Nouarię, seu ab alia persona, vel communitate, pro eius salario, & eorum quos secum duxerit, de qua licentia appparere debeat per scripturam, inde fiendam per vnum ex notarijs domini potestatis & communis Nouariæ.

*De pœna frangentium pontes lapideos, & ligneos.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si aliqua parsona fregerit malitiosè aliquem pontem de lapidibus, vel lignamine, si pons fuerit communis, cadat in pœnam soldorum viginti imperialium si fuerit de lignamine: & si fuerir de lapidibus, cadat in pœnam soldorum sexaginta imperialium: & si fuerit singularis personę, cadat in pœnam soldorum decem imperialium, si fuerit de lignamine: & si fuerit de lapidibus cadat in pœnam soldorum viginti imperialium. Et in quolibet casu teneatur ad restitutionem damni, fiendam communi vel singulari personæ, cuius fuerit pons prædictus sic fractus. Et quælibet persona possit accusare, cui credatur cum sacramento, dummodo sit ętatis annorū quatuordecim, & bonę opinionis & famæ. Cuius pœnę medietas sit accusatoris, & alia communis Nouarię: dummodo non sit dominus pontis fracti, quo casu dominus debeat habere tertiam partem pœnę

nę. Et vltra hoc damnum sibi emendetur.

## *Quòd rustici inter sese possint facere statuta super composturis, & de ipsis statutis obseruandis.*

ITEM statutum & ordinatum est; ad tollendum omnem ambiguitatem verborum; quod burgenses burgorum, & rustici villarum districtus Nouariæ, inter eos tantùm, pro conseruatione fructuum locorum, in quibus habitant, & territorium ipsorum locorum, posśint camparios eligere, & ordinamenta, & statuta facere super composturis, & damnis datis, quæ ordinamenta, & statuta obseruentur per dominum potestatem, & commune Nouarię. Et quòd camparij Nouariæ, & curię Nouariæ habeant, & habere debeant de accusis, quas facient, & de condemnationibus, quæ inde sequentur, tertiam partem condemnationum, & aliæ duæ partes veniant in communi. Et si contingerit camparios burgorum, vel villarum dare vel facere aliquas accusas coram suprascripto domino officiali. Quòd ipsi camparij habeant tertiam partem omnium condemnationum, quæ fierent, nõ obstantibus aliquibus alijs statutis in contrarium loquentibus, dummodo non faciant in damnum ciuium & nobilium ibi agere habentium.

## *Quòd pater teneatur pro filijs in damnis datis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd in causis damnorum datorum pater, vel dominus teneatur pro filijs seu familia secũ habitãtibus. Et quòd licet accusetur filius, vel alius de familia, & processus fiat, citato patre, vel domino, & contra eos patrem & dominum fiat processus, & feratur sententia, & contra eos fiat executio.

## *De accusis non recipiendis a forense, satisdatione prius non prestita.*

ITEM statutum est quòd dominus iudex damnorum datorum non posśit, nec debeat recipere aliquam accusam, quę porrigatur per aliquẽ non subditũ iurisdictioni suæ, nisi per prius in scriptis penes acta banchi damnorum datorum dederit satisdationem bonam, de expensis, & damnis restituendis, si succubuerit, vel ipsam accusam non fuerit prosequutus.

## *Quotquot sint accusæ quòd non fiat nisi vnica solutio.*

ITEM sequentes formam aliàs datam notarijs accusarum, de receptione salarij per literas dominorum magistrorum intratarum ducalium de anno 1434. die sexto Octobris. Statuerunt, & ordinauerunt, quòd per accusatum in eius defensione, etiam si plures datę essent accusæ per accusantem vna vice tantùm, ex eo quia diceret, in accusa se inuenisse talem dantem damnum, vel eius familiam pluribus vicibus, quòd non fiat solutio datiario banchi accusarum nisi pro vna accusa, quotquot sint accusæ, vnica vice datæ sub pœna notario recipienti, vltra debitum, quadrupli eius quod accipiet, applican. pro medietate accusatori, & pro alia medietate communi Nouariæ.

# LIBER QVINTVS. DE RVGIIS, AQVIS, PONTIBVS, STRATIS, ET ALIIS.

## *De aquis fossatorum, seu rugiarum Ciuitatis.*

BONA fide operam dabunt, & dare teneantur Rectores, seu potestates ciuitatis Nouariæ, quòd tota rugia, quæ vadit per fossatum ciuitatis prædictæ, ex quo intrat, & si intrabit fossatum prędictum, quòd procedit retro castrum, nunc per intus Citadelam Nouariæ, quousq; exierit de ipso fossato, stare debeat expedita. Et quòd nullus in, vel super ipsa rugia habeat, vel ponat aliquem pontem, nec aliquod aliud impedimentum. Et qui contrafecerit potestas teneatur eum condemnare in soldis quinq; imperialium pro qualibet vice, & remoueri facere pontes & impedimenta, quæ essent super ipsa rugia. Et teneatur potestas per se, vel per assessorem, vel militem suos circuire, & inquirere dicta fossata, & facere scribere omnes qui habuerint impedimēta & pontes in & super ipso fossato. Saluo quòd liceat habentibus costas & ortos iuxta ipsum fossatum, habere pontes iuxta solitum, pro vsu ipsarum costarum, & ortorum.

## *De expensa facienda in torcularibus, ripis, & clusis Rugiæ nouæ.*

ITEM statutum est, & etiam fuit antiquis temporibus, vsq; de anno curso 1228. statutum, & prouisum per tunc cōsilium ciuitatis Nouarię, more solito conuocatum, & congregatum, nullo contradicente, prout inferius continetur, omni tempore firmiter obseruandum, Ita quòd non possit mutari, remoueri, seu etiam relaxari aliquo ingenio quod possit dici, vel excogitari per credentiam, vel arengum: Quod Guillelmus Mangaratus, cuius loco nunc est communitas Cerredani, debeat soluere taleam pro expensis faciendis a modo in antea in torcularibus, & in ripis rugię nouæ & clusa, & porta Aconiæ a Cerredano vsq; ad Aconiam in libris ducentis sexaginta tribus imperialium, pro ficto quod emit a communi in molandino Cerredani.

## *De eodem.*

ITEM quòd Iacobus Clapa debeat soluere pro prædictis expensis pro ficto quod emit a commune Nouariæ in molandino Sozagi de lib. centum imperialium; & quod molandinum extat nunc destructum, & est locus eius domini Vberti de Torniellis, vbi appellatur in campo magno, siue ad cassinam de Clapis.

## *De eodem.*

ITEM pro ficto quod emit idem Iacobus in molandino Pernati a commune Nouariæ de libris sexaginta imperialium, quod molādinum tenetur per spectabilem militem dominum Zanardum Torniellum. Et appellatur molandinum de prællis.

## *De eodem.*

ITEM quòd Odomarius Tritia, & eius loco nunc infrascripti, debeant soluere taleam pro prędictis expensis pro molandino, quod habuit a commune Nouarię de libr. sexdecim imperialium. Et declaratur quòd est molandinum magnum, seu sic appellatum, quod tenetur pro medietate per fratres Sancti Symonis, & per dominum Stefanum Rauizonum pro alia medietate, vt infra.

## *De eodem.*

ITEM quòd Guido Lauezius debeat soluere pro prædictis expēsis pro suo molandino, quod emit a commune Nouarię, de libris sexdecim imperialium, loco cuius Guidonis nunc est dominus Stefanus Rauizonus. Et iacet vbi appellatur vt supra, ad molandinum magnum.

## *De eodem.*

ITEM quòd commune Cerredani debeat soluere pro prædictis expensis pro suo molandino de lib. mille ducētis imper. quod molādinū declaratur esse prope portam Cerredani.

De

*De eodem.*

ITEM quod Vbertus Capitaneus de Sozago debeat similiter soluere pro prædictis expēsis de lib. ducētis imp. Et nūc eius loco est. Mag. D. Zanardus Torniellus pro molādino de prellis

*De eodem.*

ITEM quòd commune Pernati, debeat soluere taleam pro prędictis expensis de libr. ducē tis quinquaginta imperialum. Nunc eius loco sunt fratres sanctę Crucis, ad dictum molandinum sanctæ Crucis.

*De eodem.*

ITEM quòd Guido de Casalli, & Petrus Salesinus, & socij, loco quorum sunt modo fratres sancti Ioannis Ierosolimitanorum, hęredes domini Petri de Berghiochis, & hęredes Ioannis Languidis, necnon illi qui inde trahunt vtilitatem similiter debeant soluere pro prædictis expēsis pro molādino quod fuit quondā Geuerici porchę de libris ducentis imperialiū.

*De eodem.*

ITEM quod Iacobus Clapa, & Iacobus Salesinus, loco quorum est molandinum Ecclesiæ sancti Ioannis, & est vltra rugiā a parte de versus dictam Ecclesiam. Et tenetur per dominum ministrum caritatis, similiter debeat de prædictis expensis pro molandino, quod habent in rugia noua prope dictam Ecclesiam S. Ioannis de inter vineis, de libris octocētū imper.

*De eodem.*

ITEM quòd Guido de Casalli, cuius loco modo sunt fratres sancti Simonis, & Antonius Rauizonus Lafranchini, pro molandino quod est prope sanctum Petrum martyrem, debeant similiter soluere pro prædictis expēsis pro dicto molandino de lib. trecentis octuag. imper.

*De eodem.*

ITEM quòd Obicio Catia, cuius loco modo sunt spectabiles miles dominus Ioannes de la porta, ac Baptista, & Thomenus fratres de catijs, pro molandino sito subtus portam sancti Stefani, debeant soluere pro prædictis expensis pro dicto molandino de libris quatuorcentum sexaginta imperialium.

*De eodem.*

ITEM quòd Arditius de Trosello pro molandino nunc guasto, quod erat ad portā Citadellæ, si fieret ipsum molandinum, dominus eius soluere debeat pro prædictis expensis de libris centum septuaginta imperialium.

*De eodem.*

ITEM quòd Filippinus Missus, & Guidetus de Cabasijs pro molandino quod erat prope portam sancti Agabij, quod nūc nō est, si fiat, debeat loco ipsius dominus eius pro prędictis expen. soluere pro ipso molandino, si fiet, de libris centum quindecim imperialium.

*De eodem.*

ITEM quòd commune Nouariæ. Et nunc fratres sancti Simonis, & ipse dominus Stefanus Rauizonus, loco dicti communis, possit similiter pro prædictis expen. & pro molandino, quod fuit Odomarij Sicaliolę, & Odomarij Tricię, debeant soluere de libris trecentis imperialium. Et nullas expensas siue damna commune agnoscere teneatur.

*De eodem.*

ITEM quòd potestas teneatur precisè in medium mensem Septembris fecisse cum effectu, quòd rugia quę intrat in fossata ciuitatis Nouarię, vadat, & decurrat circumquaq; ciuitatē Nouaria, secundum quòd antiquitus decurrere consueuit.

*De aqua rugiæ burgi sancti Simonis.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd rugia quę est prope sanctum Simonē, ab introitu molandini illorum de Sichaliolis, vsq; prope sanctū Laurētiū, debeat teneri, & haberi ampla & ampliari sicut consueuerat esse. Et si aliqua persona, vel vniuersitas accepisset, vel occupasset, vel explanasset de ipsa rugia, siue alueo, vel ripa ipsius rugię, quòd debeat, & teneatur expediuisse, & expeditam tenere ipsam rugiam, & alueum dictę rugiæ. Et si aliqui habuerint ibi pontes super dicta rugia, teneantur, & debeāt ipsos pontes alzare, & in altum ponere, quòd aqua dictę rugiæ possit decurrere liberè sicut consueuerat. Et potestas qui per tempora fuerit teneatur prędicta inquirere.

De

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd potestas Nouariæ teneatur, & sit astrictus per assessores & milites suos inquiri facere omni mense rugiam communis Nouariæ, quę labitur iuxta sanctum Simonem, a molandiuo Sicaliorum, vsq; ad molandinum sancti Laurentij, & facere amouere omnes asides, trabes, & passonos, qui, & quæ sunt in dicta rugia, & códemnare ibidem tenentes prædicta in soldos sexaginta imperialium, pro quolibet & qualibet vice. Et teneatur facere spaciare dictam rugiam, & facere amouere omnia impedimenta dictæ rugię, tã impedimenta de muro, quàm impedimenta de ligno, & plantum inibus, & facere tenere dictam rugiam sic amplam, sicut esse consueuerat in pœna prędicta, & quilibet possit accusare medietas sit accusatoris, & alia communis.

Molino di S. Lorenzo

*De rugia Ceredani non splananda.*

ITEM statutum & ordinatum est quòd si aliquis, homo de Tercato, seu de alio loco circunstãti rugię quæ vadit Cerredanum, vel aliunde, fregerit, seu splanauerit ripam dictæ rugię ita quòd ibi possit trãsiri cum aliquo plaustro, seu aliqua bestia, componat pro banno qualibet vice soldos decem imperialium, pro quolibet qui fecerit aliquid de prędictis, in damnum ripæ dictæ rugiæ, seu fossati dictæ rugię. Et quilibet potestas teneatur infra dies octo, post introitum sui regiminis, denũtiare, seu denuntiari facere Communi & hominibus de Terchato, ne aliquid faciant contra prædicta statuta, seu aliquod prædictorum in damnum rugię suprascriptæ, seu fossati. Et si post dictam denuntiam eis factam, aliquis de dicto loco Terchati, inuentus fuerit transire dictam rugiam, seu fossatum, cum plaustro, seu aliqua bestia, cadat in pœnam soldorum decem imperialium, & nihilominus amittat dictum plaustrum, & boues, & bestias. Et medietas sit potestatis, & alia communis.

*De eodem.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd potestas ciuitatis Nouarię, debeat facere tenere, portas, & ripas factas ad bucham rugiæ nouæ, & ad flumen Aconiæ bene aptatas, & refactas, & conciatas ad expensas illorum hominum, & personarum, & molandinorum qui eas debent de iure tenere refectas & aptatas.

*De eodem.*

ITEM teneatur potestas, siue rector communis Nouariæ, quòd omni tempore, quotiens necesse fuerit, facere venire aquam Sicidæ per rugiam nouam, quæ modo facta est ad sufficientiam molandinorum Nouariæ.

*De eodem.*

ITEM quòd non concedet, nec permittet aliquem extrahere aquam de rugia noua communis Nouariæ, & si sciuerit aliquem extrahisse, vel extrahi fecisse, condemnabit eum in soldis sexaginta imperialium, pro qualibet vice. Medietas cuius condemnationis sit communis, & alia accusatoris, & accusator dictæ rugiæ eligatur ad breuia, & sortes in consilio generali, seu priuato, satisfacto prius illis qui camparitiam dictæ rugię conduxerunt a comuni.

*De eodem.*

ITEM quòd potestas & rectores communis Nouariæ, teneantur & debeant semel in mense ire personaliter, per se, seu per suũ assessoré, & circhare dictã rugiã nouam a Nouaria vsq; Brionam: Et a briona vsq; ad Romagnanum, & omnes extrahentes aquam a dicta rugia, vel tenentes ripam dictę rugiæ ruptam, vel fractam, & omnes contra prędictum, & infrascriptum statutum faciendo, condemnare, & punire in soldos sexaginta imperialium pro qualibet vice.

*De eodem.*

ITEM qui fregerit ripam rugię nouæ communis, vel fractam, seu ruptam tenet, vel aliquam clusam tenet ad vertendum dictam aquam, vel foramen aliquod in ripa dictæ rugię faciet, & habebit, seu aliquid traxerit de ipsa rugia, vel de riuolis factis de ipsa rugia ad habẽdum molandinum, vel aliqua de causa, nisi cui concessum est a communi per cartam attestatam det soldos sexaginta imperialium, & damnum quod faciet emendet. Et si emendare nequiuerit ponatur in banno. Et si captus fuerit, ponatur in carcere de quo non exeat infra tempus sui regiminis, nec postea nisi bãnum soluerit, & damnum vtsupra restituerit. Et sit pręcisum, qualibet alia defensione legitima cuiuslibet personæ semper salua.

Q De

*De eodem.*

ITEM statutũ est quòd aliquis, vel aliqua persona, nõ audeat nec præ sumat extrahere aquã de lecto rugiæ nouæ, a bucha Romagnani, vsq; ad Ceredanum, vel extrahi aquam facere, vel ripas dictæ rugiæ rumpere, vel rumpi facere non possit, nec debeat, sub pœna librarũ decem imperialium, pro quolibet & qualibet vice, nisi manifestè docuerit domino potestati se habere ius ducendi dictam aquam. Et illi qui splanauerint, vel splanabũt dictas ripas, ad emendationem & restitutionem, seu restaurationem teneantur, & compellãtur per dominũ potestatem. Et quilibet possit accusare, & credatur accusatori cũ iuramẽto, dũ tamẽ sit homo bonę opinionis, sine alia probatione, cuius cõdẽnationis, siue pœnæ medietas sit accusatoris, & alia cõmunis Nouarię. ripas verò dictę rugię Ceredani, a dicta clusa inferius, vsq; ad casinam Gladexij, releuare, & releuatas tenere cõmune Pernati, & cõmune Romãtini. Et a dicta cassina inferius, cõmune Ceredani teneatur. Non subditi verò venientes a districtu Nouariæ, damnum dantes, guastum facientes in dicta rugia, seu ripis rugię, vel in pratis, nemoribus, riuerijs, vel alijs terris existentibus in districtũ Nouariæ, possint impunè per subditũ, & subditos pignorari, etiam personaliter capi, & capti consignentur in fortia domini potestatis, & communis Nouarię. Et sic captus pignoratus, vel accusatus condẽnetur in sexaginta soldis imperialium, capienti, & pignoranti, vel accusanti credatur vtsupra, & dictę pœnæ habeat medietatem. Et si in fortia communis peruenerit, relaxari nõ possit, nisi soluta tota pœna in pecunia numerata. Et prædicti prędicta damna facientes condemnẽtur ad restitutionem damnorum, & ad restitutionẽ riparum ruptarum. Et quòd de carceribus relaxari non possint, nisi prius satisfecerint. Et si prædicta comittentes non caperentur, dominus potestas teneatur quoslibet alios, de locis non subditis, talium nõ subditorum commitentium capere pro damnis factis, de talibus cõtrafacientibus, & ipsos retinere quousq; dictas condemnationes soluerint, vtsupra, facta tamẽ monitione vicario, seu rectori ipsorum locorum non subditorum, vt continetur in vltimo statuto quarti libri.

*De nouo alueo fiendo.*

ITEM statutum est, & ordinatum quòd super alueo fluminis Sicidæ fiat vna bucha noua, & alueus rugiæ, pro ducendo aquam in rugiam nouã. Et quòd ipsa bucha, & alueus fiat pro medietate per commune Nouariæ, & pro alia medietate per dominos molandinorum recipiẽtium cõmodum, atq; iuxta taxam positam in statutis. Et quòd etiam purgetur, & remundetur alueus rugiæ quę fluit a sicida vsq; ad stronam, per habentes commodum rugiæ, & per commune Nouariæ vtsupra.

*Quòd non impediatur aqua defluens ad molandina Nouariæ.*

ITEM quòd non liceat alicui personę, communi, corpori, vel vniuersitati extrahere aquam ab Aconia, nec a rugia, siue rugijs deriuantibus a flumine Sicidæ quoquomodo, nec aliquo tempore anni, sed liberè permittatur labi ad molandina Nouariæ, sub pœna librarum quinquaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice, applican. pro medietate communi Nouariæ, & pro alia medietate accusatori. Saluo quòd si quis ipsam aquam ceperit pro adaquando prata, vel aliter, teneatur ipsam reuerti facere in dictam rugiam, siue Aconiam infra perticarum viginti terræ spacium. Ita tamẽ quòd dicta aqua continuè fluere possit ad molandina Nouarię, pro rouezijs quatuor, pro quolibet molandino, ad minus.

*Concessio facta per dominum Episcopum D. Francischino Tetono ducere aquam de rugia noua a molandino S. Crucis certis diebus & horis.*

CVM D. Francischinus Tetonus Miles vsus fuerit portas quę sunt in molandino S. Crucis superius vltra pontem, habere, facere, & tenere portã, & portas causa habendi aquam, & aquam de rugia accipere, & extrahere a die sabbati in vesperis, vsq; ad ortum solis diei lunæ sequentis possint. Item in aliis diebus, & temporibus, quibus dictum molandinum non macinabit, aquam extrahere, ac deriuare ad sua prata irriganda, & adaquanda possint, & valeant pro suo libito voluntatis.

diebus & horis, quæ descendit ad ipsas portas, pro suis pratis adaquandis, dictum vsum, & consuetudinem ex certa scientia approbantes, & etiam declarantes ne in posterum valeat in dubium reuocari. Statuimus & declarauimus præcisè, & inuiolabiliter obseruandum. Quòd ipse dominus Francischinus Tetonus, & sui successores liberè & impunè ibidem, vel

Quòd

*Quòd prædicta concessio non preiudicet dictis fratribus sanctæ Crucis.*

IOANNES Archiepiscopus Nouariensis & Comes, eiusdemq; ciuitatis & districtus Nouariæ dominus generalis. Carissimi, ex querela quorundã, & precipuè fratrum, & conuentus domus sanctæ Crucis Nouariẽsis, ordinis humiliatorum, & quorundam dominorum de Tetonis, percepimus quędam statuta facta fuisse ad petitionem domini Francischini de Tetonis de nostro beneplacito voluntatis, super vsu quarũdam aquarum, & portis super eisdem aquis fiendis in rugia, quę descendit ad molandinum, & prata dictorum fratrum, quę redundat in dictorũ, fratrũ, & dominorũ præiudiciũ, & grauamen. Nolẽtes autem alicui gratiam aliquam impartiri, quæ redundet in alicuius præiudicium, & grauamen. Nolumus dicta statuta, vel aliquas gratias, per nos factas eidem domino Francischino, in præiudicium dictorum fratrum, vel alicuius singularis personę, occasione suprascripta consistere in alicuius robore firmitatis, nec ex ipsis statutis, & gratijs, alicui aliquid pręiudicium generari. Vnde ipsa ex nunc, si & inquantum pręiudiciũ inferunt, prout superius est expressum, cassamus, & irritamus, & nolumus vllius existere firmitatis. Inquãtũ autẽ tãgant cõmune Nouariæ, & non singulares personas, dicta gratia suum sortiatur effectum. Dat. Mediolani die nono Iulij.

*Vt fiat crida de lecto Aconiæ.*

ITEM quòd potestas Nouariæ debeat fieri facere vnam cridam, & monitionem, & monere omnes homines & personas habẽtes in lecto, & alueo Aconię veteris, vel in lecto, seu alueo Aconię nouæ aliquam clusam, quam ibi de iure habere non debent, quòd clusam & clusas auferant & remoueant. Et quòd dictus dominus potestas debeat facere fieri vnam cridam, & monere omnes habentes clusam in lecto, seu alueo Aconiæ veteris, seu nouę, vt debeãt venire corã ipso domino potestate, & portare, seu exhibere coram ipso domino potestate omnes suas cartas, instrumenta & iura, quibus volunt vti, vel dicere se habere ius vtendi, & habendi clusas in lecto, & alueo Aconię veteris, seu nouę, & quòd potestas Nouarię debeat examinare iura omnium hominum habentium clusas in lectis, seu alueis prædictis, & illos, qui reperirentur non habere ius tenendi clusas ibidem, debeat cogere ad remouendas dictas clusas.

*De clusia, seu rosta Aconiæ.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona non audeat, nec præsumat rumpere, seu deuastare clusam, seu rostam Aconię, quæ est desuper diuisam in territorio Mathei, seu Aconiati, seu Camiliani, & si vi fluminis, vel alia de causa, in aliquo romperetur, etiam si ligna per impetum aquæ inducerentur, non liceat alicui personæ ipsum lignamen, vel ligna accipere, vel exportare, & quælibet persona contrafaciens in aliquo de prædictis condemnetur, & puniatur arbitrio domini potestatis. Idem sit de alijs lignis, seu lignaminibus pontium, & de ligno quod vi fluminis, seu inundatione aquarum, descendetur de loco vbi positum esset. Et in quolibet casu teneatur persona contrafaciens ad restitutionem lignorum, seu lignaminis domino, seu dominis faciẽdã. Et idẽ intelligatur de fractura seu ruptura aliarũ clusarũ.

*De aqua rugiæ veteris.*

ITEM statutum est quòd aliqua persona non possit, nec ei liceat a Cal. Aprilis vsq; ad Cal. Octobris extrahere, vel extrahi facere aquam de alueo rugiæ veteris, nisi diebus sabbati a nona in antea, vsq; ad diem lune ad ortum solis, & festis Apostolorum, & festis principalibus, & diebus, quibus non macinant molandina a curia Nouariæ inferius, & abinde supra, liceat similiter dictis temporibus, & etiam in aliis in quibus ius habent. Et qui contrafecerit componat pro banno pro qualibet vice soldos viginti imperialium. Et liceat dominis molandinorum, quę macinant ex ipsa aqua eligere debere camparium ad custodiendum dictã rugiam, & quilibet possit accusare cõtrafacientes, medietas pœnę sit communis Nouariæ, & alia camparij, reformatione aliqua in aliquo non obstante, dicta aqua, cùm descendit de pratis, in lectum rugiæ reuertente.

*De rugia quæ vadit Casalinum.*

ITEM statutum est, quòd quilibet, qui habet terram iuxta rugiam, quæ vadit Casalinum, siue ab vtraq; parte, siue ab altera, tamen teneatur plantare super ripam ipsius rugiæ, in tantum quantum tenet terra cuiusq;, plantumen de salicibus, & vnicis, vel pubijs. Et quilibet te

neatur facere tres gritias plantuminis ab vtraque parte rugiæ. Et si reperiretur terram aliquam super dictam rugiam scitam, fore communitatis alicuius loci, & nō esset alicuius specialis personę, teneatur communitas illa, seu vniuersitas plantare vtranque vel alteram ripam, secundum quòd superius determinatum est. Et insuper teneatur ipsum plantamen ipsi, & eorum heredes, & successores, tam vniuersales, quàm in rem illam, quorum terra fuerit alleuare, & custodire bona fide omni tempore, sicut determinatum est. Et ita quòd liceat illi, qui facere tenentur dictum plantumen, habere vtilitatem ipsarum arborum, & ipsas arbores incidere ad eorum voluntatem, a brachiis quatuor superius, ita quòd ripæ rugiæ non vastentur, nec deteriorentur. Et prædictum plantumen plantetur, ita quòd inter vnam plantam, & aliam non sit spacium plus vno brachio. Et qui contrafecerit, & ita plantatum non habuerit, & tenuerit, vt supra, det & soluat pro banno soldos quinque imperialium pro banno communi Nouariæ.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd nullus debeat passare dictam rugiam, & fossatum aliūde, quàm per pontem: & qui contrafecerit soluat pro qualibet vice soldos viginti imperialiū pro bāno, medietas cuius banni sit accusatoris, siue accusatorum, & alia communis Nouariæ, & quilibet homo bonę opinionis sit accusator, & teneatur potestas, siue rector prædictum bannū exigere, & dare medietatem accusatori, siue accusatoribus. Saluo eo, quòd vbi non erūt pōtes super ipsam rugiam, in illis partibus in quibus commune Nouarię debet & consueuit facere pontes, quòd perinde possit impunè transire ad guadum.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd commune quodlibet villarum attestantium ipsi rugiæ, debeat custodire, & custodiri facere ipsam ripam, siue ripas ipsius rugiæ, & fossati, & plantumen per camparios, qui camparii teneantur iuramento custodire rugiam, & ripam, & plantumen ipsius rugiæ. Et hoc in tantum quantum tenet rugia, siue territorium sui loci, siue villę. Et cōmune loci quod ita non obseruauerit, teneatur dare bannum communi Nouarię pro qualibet vice soldorum quinque imperialium.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd nullus debeat, vel possit habere, vel tenere, seu facere pontem, seu plancam siue aliquid aliud, per quod possit transiri dicta rugia, prętérquàm per potestatem concessum & per commune Nouariæ. Et ita quòd liceat cuilibet in cuius territorio est ipsa rugia, & illis de sancto spiritu habere pontem super ipsam rugiam, ita amplum, quòd possit tantùm bene transiri cum plaustro in eo loco, vbi ad maiorem vtilitatem villæ fieri poterit, arbitrio hominum habitantium in ipsa villa vel communis Nouariæ, si homines non conuenerent, & homines habitātes in ipsis locis teneatur habere suprascriptū pontē, & reficere, & refectum tenere suis expensis.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd si rugia prędicta, siue fossatum, siue ripæ rugię ruptæ, vel deuastatę fuerint in aliqua parte, preterquàm si deuestata fuerint inundatione aquæ, vel vi hostiū, quòd cōmune illius loci, siue villę, seu ipsa villa, in cuius territorio, seu curte ruptę, & deuastatæ fuerint ipsę ripæ, seu rugia, debeat eam, & eas reficere suis expēsis, & refectas tenere omni tempore. Saluo quòd liceat trahere hominibus habitantibus in villis, in quarum territorio est ipsa rugia, & qui consueuerunt habere molandina in rugijs desicatis, & destructis, aquam de prędicta rugia, scilicet a parte rugiæ quę est deuersus Nouariam ad molandina quæ habebant ante, & prata, antequàm fieret prædicta rugia, retornando aquam in prædicto alueo, & rugiam siue fossato. Et si inundatione aquarum, vel vi hostium, dicta rugia, vel ripa deuastatæ essent, teneantur denuntiare potestati Nouariæ de ipsa deuastatione infra octo dies, postquàm deuastata fuerit, & potestas teneatur ponere in consilio de ipsa rugia & ripis faciēdis, & eas refici facere, secūdū quòd placuerit maiori parti cōsilij.

*De eodem.*

ITEM statutum est quòd debeat dimitti, & fieri via vbi fuerit necessaria ab vtraque parte rugiæ, per quam possit iri cum equis, & plaustris, quę via sit facta, & expedita vsque ad

cal.

cal. Maij, & hoc locum habeat per territorium villarum, & non per inter villas & domos attestantes ipsi rugiæ.

*Ne aqua rugiæ quæ vadit Casalinum vendatur, vel alienetur.*

Item statuerunt, & ordinauerunt quòd aqua rugię quæ vadit Casalinum remaneat in cōmuni, & vendi, seu alienari non possit vllo modo, nec possit aliquis vti dicta aqua, nec aquam extrahere de ipsa rugia, nisi ille de quibus fuit pronuntiatus anno curso, M.ccc. secundo, & qui cōtrafecerit componat pro banno communi Nouariæ pro qualibet vice sol. sexaginta imperialium. Et ponatur super ipsa rugia cāparius vnus, qui eligatur ad breuia in consilio generali, vel priuato ciuitatis Nouariæ omni dimidio anno. Et qui possit accusare omnes & singulos facientes contra prędicta, vel aliquod prædictorum, quarum cōdēnationum, & accusationum medietas sit ipsius camparij, & alia communis Nouariæ, & credatur cāpario. E, potestas teneatur dare ipsam camparitiam quolibet dimidio anno.

*De aptando alueum Terdubij ad liuellum.*

Item statutum & ordinatum est, quòd potestas teneatur, & debeat facere, & curare cū effectu quòd alueus, seu fossatum, per quod labit Tardubium per territorium Pernati, & Romātini, versus Ticinum, & debeat aptari, & stopari, ita quòd aqua liberè, & sine aliquo obstaculo ad liuellum, & liuellando vsque in Ticinum decurrat, & labatur liberè. Et hoc expēsis communis Nouariæ. Et quòd fiat vna clusa, alta duobus brachijs & dimidio, in territorio Pernati, vbi aliàs fuit clusa.

*De eodem.*

Item statuerunt, & ordinauerunt quòd cùm dicatur in multis locis explanatum esse in fossatis, per quæ labitur aqua Tardubij versus Ticinum, quòd quælibet communia locorū super quorum territorijs dicta aqua Tardubij labitur, scilicet, Pernati, & Romantini teneātur amouere, & tollere explanationes, & obstacula, siue impedimēta, ita & taliter, quòd liberè ipsa aqua decurrere possit, & non inferat damnum circumstantibus. Et si contrafecerint puniantur arbitrio domini potestatis.

*De Tardubio, & eius aqua non tollenda, seu aduertenda.*

Item statutum est quòd aliqua persona, vel cōmune, seu vniuersitas, corpus, vel collegium cuiuscunque status, & conditionis existat, non audeat nec pręsumat aclusare Tardubiū seu clusas facere in alueo, seu lecto Tardubij, ad tollendum aquam, seu aduertendum aquam Tardubii de lecto suo, nec inde aquam trahere, vel fossata ad trahendum facere, quominus decurrat, & labatur per suum lectum, vel alueum. Saluo quòd si quis vteretur dicta aqua, ipsam in alueum, seu lectum Tardubii reducendo, hoc remaneat arbitrio domini potestatis. Et quęlibet persona contrafaciens in soldos sexaginta imperialium condemnetur pro quolibet & qualibet vice, & quælibet vniuersitatis, seu commune in libras viginti quinque imperialium pro quolibet & qualibet vice puniatur. Et dominus potestas de prędictis inquirere, & procedere teneatur. Quælibet persona possit accusare, medietas sit accusatoris, & reliqua communis Nouarię. Saluo iure omnium personarum.

*De aquis non ducendis ad transuersum vias publicas.*

Item statutum est, & ordinatum, quòd aliquis non possit, nec debeat ducere, vel menare aliquam aquam ad transuersum aliquam viam, vel stratam, rumpendo, vel rumpi faciēdo, vel deteriorando ipsam viam, vel stratam, nisi hoc fuerit sibi concessum per potestatem, & cōsilium, & commune Nouariæ. Et si alicui concessum fuerit, quòd ille cui fuerit cōcessum ducere dictam aquam, vt supra, teneatur & debeat facere, vel fieri facere vnam bonam & firmam voltam de lapidibus & calcina, longam tantum quantum erit ampla ipsa via, vel strata. Et ipsam voltam teneatut & debeat semper, & perpetuo habere, & tenere, & manutenere, & defendere de lapidibus & calcina suo here, & suis proprijs expensis. Et si contrafecerit, vel ea non obseruauerit, puniatur arbitrio domini potestatis vsque ad libras tres imperialium. E nichilominus dominus potestas teneatur cogere, per iuris remedia, ad dictum pontem faciendum de bonis lapidibus & calcina, illum qui duxerit aquam ad transuersum dictæ viæ, nulla pręscriptione obstante.

*De pontibus & vijs reficiendis, & inquirendis, & ne quis ponat aquam in stratis quæ decurrat in pratis.*

STATVTVM est quòd potestas Nouariæ teneatur reficere, & de nouo facere pontes stratarum, qui non sunt refecti, vel facti de bonis voltis lapideis, & vias, qui & quæ sunt in curia Nouarię ad expensas communis Nouariæ, illos pontes & stratas, qui & quæ debent fieri per commune Nouariæ. Et illos pontes & stratas, qui, & quæ non debent refici per commune Nouariæ, ad expensas illorum, qui illos pontes, & stratas de iure reficere, & facere tenentur, & debent. Et quòd quodlibet commune loci, seu villę teneatur similiter reficere, seu de nouo facere illos pontes de bonis voltis lapideis, & vias qui & quæ sunt super suo territorio, & illa communia quæ nunc vadunt, & veniunt per illas vias, & pontes pro maiori parte, communiter teneantur expensis factis & faciendis in ipsis vijs & pontibus aptandis & reficiendis, nulla exceptione, præscriptione, vel iuris contradictione, videlicet, in stratis publicis, & in pontibus stratarum publicarum, ita quòd nullus ponat aquam in pratis, vel alibi, quę intret vel decurrat in aliquam stratam publicam communis Nouarię. Et qui contrafecerit componat pro banno qualibet vice libras tres imperialium. Et quilibet possit accusare, quarum medietas sit accusatoris, & alia communis Nouariæ. Et dominus potestas teneatur facere singulis tribus mensibus pet superstitem & militem potestatis inquiri & videri illas vias & pontes, & quamlibet aliam personam, quę placuerit dicto domino potestati, & intelligatur a Burgomanerio inferius. Et a Romagnano inferius, & a Burgoticini inferius: & sit præcisum.

*De stratarum solatura fienda.*

STATVTVM est quòd vię quæ non sunt solatę, solentur per istos modos, primo quòd quilibet habens domos, seu accessum attestans vijs non solatis, faciat illas vias solari, quilibet in suo latere, vsque in medio rotarię suis expensis infra tantum quantum tenet, & extendit domus, & accessus cuiuslibet ipsorum. Et commune Nouariæ teneatur dare eis, & cuilibet eorum totum sabionum, & magistros, & carregium ad ducendum lapides a fornacibus. Et additum est quòd potestas teneatur facere solari omnis strata in ciuitate Nouariæ, quæ non sunt solatæ suo tempore.

*De stratis Ciuitatis reficiendis, & aptandis, & aptatas tenendis.*

ITEM statutum est quòd quilibet potestas Nouariæ, qui erit per tempora, tempore sui regiminis, teneatur & debeat facere refici ad expen. communis Nouarię, & refectas tenere omnes stratas communis Nouariæ, quę sunt in ciuitate per totam ciuitatem, & hoc tam illas stratas quę solatę sunt, quàm illas quæ de cætero solabuntur per homines Nouariæ, secundum formam superius capituli, & sit pręcisum.

*De strata quæ est de foris fossatum Nouariæ, qua itur ad pontem sancti Lucæ vsque ad Montruchum.*

ITEM statutum est quòd strata, qua itur a ponte sancti Lucæ, vbi consueuit esse strata deforis fossatum Nouariæ, vsq; ad Montruchũ Portæ Nouę sit ampla vbique per duas perticas. Et si dicta strata esset in aliqua parte destructa, teneatur inde qui habet possessionem attestantem loco vbi dicta strata est destructa, eam reficere, & tantum de terra dare dictę stratę quòd sit ampla per duas pertichas, vt supra dictũ est. Et dicta strata reaptata, & refecta nulla persona habens terras, vel possessiones attestantes dictæ stratę audeat, vel præsumat cauare, vel cauari facere aportando alibi terram, vel faciendo aliquas bosas prope dictam stratam per vnam perticam, sub pœna & banno soldorum sexaginta imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et quòd nullus audeat vel præsumat rumpere, vel destruere dictam stratam ad faciendum aquam decurrere in fossato nouo. Et quòd dominus potestas quolibet mense, per se, & suos assessores, vel milites teneatur inquirere, vel inquiri facere, & prædicta, & quodlibet prædictorum executioni mandare omnibus remedijs iure. Et dicti homines, & personæ teneantur prædicta fecisse, & dictam stratam refecisse infra tres menses, a tempore publicationis numerandos, & inchoandos.

*De fossatis, & crestis fossatorum circarum burgi sancti Andreæ, & sancti Stephani, & aliorum burgorum Ciuitatis.*

ITEM statutum & ordinatum est, quòd omnes homines & personæ, habentes domos & sedimi-

dimina & terras, quę attestent, & coherent fossatis & circhis fossatorũ circharum burgi san cti Andreæ, & sancti Stephani, debeant habere, & tenere palanchatum, siue sepes inspinatas super crestã, fossatorum, siue circharum ipsorum fossatorum vel circharum. Et quòd aliquis non posit super ipsis fossatis, & crestis fossatorum habere, nec tenere pontes, siue aliud per quod possit ipsa fossata transire. Et quòd aliquis non posit, nec debeat in ipsis fossatis, nec in crestis ipsorum fossatorum facere, nec habere aliquos scopellos, nec amouere crestæ terram ipsorum fossatorum, & potestates Nouariæ, qui pro temporibus fuerint, teneantur, & debeant, ad minus, bis in anno, per se, vel per aliquem de suis assessoribus, siue militibus, & cum alijs sapientibus hominibus, quos cum eis habere voluerint circuire dicta fossata, & facere, & curare quòd aliquis non faciat cõtra prędicta. Et si viderint aliquid reformandum in ipsis fossatis, & crestis, & meliorandum, faciant reformari, & meliorari. Et si reperiretur aliquid contrafactum esse, faciant illud reformari, & reaptari de consilio sapientum. Et condemnetur ille qui contrafecerit in soldos viginti pro qualibet vice. Et idẽ sit in alijs fossatis, & circhis fossatorum aliorum burgorum coherentium ciuitati Nouariæ, Et si aliqua persona quę non sit subdita communi Nouarię haberet domum, siue sedimen attestantem, habitator dictæ domus, seu sediminis, palanchatum siue sepem teneatur facere, & habere, aut habitationem dictæ domus, totaliter, vel sediminis, derelinquere, infra terminum per potestatem Nouariæ, vel eius vicarium ei assignandum, videlicet, quòd quælibet persona attestans ad circhas, & fossata burgorum Nouariæ, vel habentes domum, vel terram attestantem ad dicta fossata, teneatur, & debeat plantare, & plantatas, & allenatas tenere super crestis, & terragijs fossatorũ, quæ terragia sunt deuersus burgos, aliquas arbores, seu plantumina. Ita quòd dictæ arbores sint vna prope alteram, ad minus vnam perticam mensuratoriam. Et quòd potestas teneatur inquirere per familiam suam duabus vicibus in quolibet regimine, super obseruantia, & non obseruantia dicti statuti, & quemlibet contrafacientem punire suo arbitrio, vsq; ad soldos duos imperialium pro quolibet arbore non plantata.

*De eodem.*

ITEM statuerunt quòd a fracta sancti Lucæ, vsq; ad fractam de porta noua, non possit aliquis ducere, habere, vel tenere aliquos boues, vacchas, asinos, pecudes, vel porchos, seu equos, vel aliqua alia animalia ad pasculandum, vel etiam ad eundum a parte deintus, vel deforis. Et si quis contrafecerit, vel animalia aliqua ibi reperta fuerint, componat pro bãno pro quolibet equo, boue, & qualibet bestia grossa soldos quinq; imperialium, pro qualibet bestia minuta soldos duos imperialium. Et vltra hoc teneatur releuare id quod esset explanatum per ipsas bestias & animalia. Et quòd imponantur accusatores, qui habeant medietatem condemnationis de his quæ accusabunt, vltra alias pœnas in alijs statutis cõprehensas. Et similiter quilibet homo bonæ famę possit accusare contrafacientes, & habeat medietatem condemnationis, & accusarum vt supra. Et prędicta locum habeant in omnibus fossatis coherentibus ciuitati Nouarię.

*De eodem.*

ITEM prouisum est quòd prædictum fossatum circhæ releuetur ab vtroq; latere, arbitrio potestatis, & approbatorum super hoc electorum, tam super circha occupata per fratres minores, quàm alibi.

*De eodem.*

ITEM quòd accipiatur sic per terram occupatam per dictos fratres, quòd possit iri per circumquaq; super crestam fossati communis Nouarię.

*De eodem.*

ITEM quòd nullæ arbores debeant haberi, nec teneri super pendenti dicti fossati, vsque in aqua dicti fossati. Et si aliquę sint quòd extirpentur & incidentur. Et quòd potestas, & eius familia, & superstites teneantur, & debeant dictas arbores incidi facere, nec aliquod aliud laborerium possit ibi fieri, sub pœna & banno librarum quinq; imperialium pro quolibet ibi laborante, & laborerium faciente.

*De fossato Nouariense reficiendo.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd fossatum circhæ, quod appellatur fossatum Noua-



riense,

riense, quod factum fuit pro defensione guerrę publicæ. Et aliarum terrarum, quod incipit prope turrim scaldasolis, quod est desubtus Nouariæ, debeat remondari, & relargari per illos homines qui habent terram attestantem fossato prædicto, siue terra sit specialis personę, siue ecclesiæ, siue communitatis alicuius loci, vel villę. Et hoc teneantur facere sub pœna librarum decem imperialium pro qualibet vice. Et si aliquis contrafecerit, vel non obedierit, careat omnibus beneficijs communis, nec fiat ei iustitia in causis pecuniarijs. Et potestas teneatur hoc inquirere semel omni mense, sub pœna libr. quinquaginta imperialium de suo salatio.

*De vijs extra ciuitatem inquirendis.*

TENEATVR potestas infra mensem, post introitum sui regiminis, eligere duos homines, & vnum notarium, idoneos laicos, per potestatem quibus faciat iurare, quòd infra medium Aprilem proximum, debeant inquirere bona fide omnes vias publicas ciuitatis Nouariæ, per duo miliaria, si tantum curia extendatur, & per bonos apparentes terminos terminare. Et si amotos inuenerint, infra octo dies in scriptis potestati cõsignabunt. Eo saluo quòd sacramentũ detur possessori illius terræ, cui fuerit terminus appositus, si fuerit homo bonæ opinionis, arbitrio domini potestatis; quòd non extirpauit, nec extirpari fecit, nec scit qui extirpauerit. Eo saluo quòd si reperiretur aliquem habere fossatum super commune, quòd propter hoc debeat ei auferre bannum, & illud fossatum debeat facere super suum, & non super commune. Et quotienscunque illud fossatum remondauerit, seu remondari fecerit, debeat terram proijcere versus viam, & eam de via non remoueat, nec remoueri faciat. Et si contrafecerit, componat pro banno soldos decẽ imperialium. Et quicũq; terminos extirpauerit, det pro banno libras tres imperialium. Et campar ij teneantur accusare eum, vel eos, qui contra prædicta fecerint.

*De strata qua itur Vercellas aptanda & reficienda.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd strata recta, qua itur a ciuitate Nouarię Vercellas, debeant aptari, & releuari, & refici fossata ab vtraq; parte vię, remondari, & releuari a ciuitate Nouariæ, vsq; ad territorium Vercellarum. Et quòd potestas, & rector Vercellarum, & Nouariæ teneantur, & debeant præcisè, sine aliquo extrinseco intellectu, ipsam stratam Vercellensem facere aptari, & releuari, & facere remondari, & releuari fossata ab vtraq; parte viæ, in tantum quantum ipsa strata ascenderit super iurisdictione Nouariæ. Et quòd potestas speciali iuramento sit astrictus ad hoc. ita quòd potestas prædictus debeat facere incipi dictum opus dictę stratę infra Calendas Maij proximè venientis. Statuentes insuper quod omnes homines, & speciales personæ, & omnia communia locorum, qui, & quæ dederint, seu dant damnum ipsi stratę, ob eorum causam, vel aliquid damni inferunt ipsi stratę, propter ductum aquarum, vel alio modo, teneantur, & debeant reficere dictas stratas, eorũ proprijs expensis, in tantum quantum damnum dederint, & dant ipsi stratæ ob ipsorũ causam, & factum, vel propter ductum aquæ, vel aliquo modo, quod damnum debeat extimari arbitrio bonorũ hominũ per potestatem electorum, & potestas teneatur, & debeat ipsos homines, & speciales personas, & communia locorum, cogere de prędictis ad restitutioné prędictorum. Insuper statuentes, & decernentes, quòd potestas teneatur, & debeat facere incidere omnia nemora attestantia ipsi stratę. Quòd si prędicta neglexerit adimplere, cadat de suo salario, & amittat libras centum imperialium. Et quilibet possit dictum dominum potestatem accusare, si neglexerit prędicta, vel aliquid prędictorum. Medietas cuius pœnæ sit accusatoris, & alia communis Nouariæ.

*De eodem.*

ITEM statuerunt, quòd suprascripta strata Nouariensis, qua itur Vercellas, a strata sancti Lazari, vsq; ad ponté Aconiæ, sit & esse debeat semper via publica, seu strata, & ipsa debeat esse ampla perticas quatuor mensuratorias terrę, vel tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata ipsius stratæ, ab vtroq; latere dictę stratę, debeant esse lata per brachia quatuor, & crosa per brachia quatuor, & lata in fundo per brachium vnum.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsa strata, & fossata ipsius stratæ, debeant fieri, & refici per infrascripta communia, & vniuersitates infrascriptorum communium, burgorum, & villarum, & nobilium, dominorum, & castellanorum habitantium in ipsis terris & locis, & per illos de parochia sancti Gaudentij de foris, incipiẽdo a dicto territorio, & continuando vsq; ad Aconiam, & per communæ Nouariæ.

De

*De eodem.*

Item quòd ipsi de dicta parochia sancti Gaudentij, possint, & eis liceat imponere hominibus,& personis, tam de dicto burgo, quàm de ciuitate, & tam de personis ecclesiastibus, quàm secularibus,& aliunde quę sint de ciuitate & suburbio Nouariæ,habētes terras & possessiones,ad quas itur ad dictam stratam,ad soluendum ipsis de dicta strata,seu porta defosris auxilio refectionis illarum quæ eis taliabuntur, ad rationē imperialiū sex pro quolibet modio illarū terrarum,quas habent, & ad quas itur per ipsam stratam, quæ sunt super curia Nouarię,exceptis fratribus sanctę Marthæ,quos cōstringere non possint pro eo,quod ipsis debet taliari & sortiri de ipsa strata separatim ab alijs. Et quòd rectores Nouariæ quę sunt, & per tempora erunt, seu aliqui de eorum familijs teneantur, & debeant constringere summariè, sine strepitu, & figura iudicij prædictos ad soluendum prędicta.

*De eodem.*

Item quòd omnes personæ, quarum sunt terræ propriæ, ad quas itur ad, & per dictam stratam, teneantur tantùm ad dictam solutionem, & non illi, qui eas tenent ad fictum ab ipsis, nec qui eas laborant pro ipsis. Saluo quòd illi, qui tenēt aliquas ex prædictis terris, ad quas itur ad dictam stratam hereditario nomine, in perpetuum teneantur soluere de ipsis terris ad prædictam rationem denariorum sex pro modio, & non domini. Et quòd hoc saluo quòd illi qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum cogi possint ad soluendum pro ipsis, ad dictam rationem denariorum sex pro modio sumariè, & extraordinariè, & sine figura, & strepitu iudiciorum, de fictis redditibus, debitis, & debendis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, & eius familia, & futuri rectores, per eorū tēpora teneātur exigere & cogere illos clericos, & personas ecclesiasticas, pro quibus massarij soluissent, & ad faciendū eis cartam finis, & ad solutionē eis faciendam de eo quod soluerint ratione prędicta. Etsi clerici, vel religiosi nollent soluere, & nollent restituere ipsis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorum terras laborare, & quòd possint ab eis auferre molandina & alia subsidia laicorum. Ita quod omnibus iuris remedijs soluant partem eius contingentem, & refectionem viarum & pontium. Nomina quorum omnium vniuersitatum, qui tenētur ad refectionem, & constructionem dictæ stratę, & eorum fossatorum, secundum quod eis taliabitur per dictum dominum potestatem, & sapientes, quos secum habere voluerint sunt hęc.

Commune & homines Caltignacę.
Commune & homines Morghenghi.
Commune & homines Sologni.
Commune & homines Alexati.
Commune & homines Mommi.
Commune & homines Agnelengi.
Commune & homines Barengi.
Commune & homines Caualij.
Commune & homines Caualieti.
Commune & homines Fontaneti.
Commune & homines Quiregij,
Commune & homines Brionæ.
Commune & homines Farę.
Curia superiror Vallis sicidæ.
Commune & homines Mandelli.
Commune & homines Fisserengi.
Commune & homines Pisnengi.
Commune & homines de Olfengo.
Nobiles & domini de Casalino.
Commune & homines Granotij.
Commune & homines Burgilauizarij.
Commune & homines Grauaronæ.
Commune & homines Tornegi.
Commune & homines Conturbię.
Commune & homines Reueslati.
Commune & homines Gargarengi.
Burgus Vemeniæ cum plebatu.
Commune & homines Aconiatæ.
Commune & homines Cisti.
Commune & homines Landionæ.
Domini, nobiles, & castellani habitantes Archamariani.
Commune & homines Nibiolæ.
Commune & homines Cassioli & habitātes.
Commune & homines Gategi.
Commune Montegij.
Commune & homines Crisię.
Commune & homines Caualirij.
Commune & homines Burgimainerij.
Commune & homines Piazij.
Commune & homines Sorixij.
Commune & homines Inuorij superioris.
Commune & homines Burgi Agnelli.
Commune & homines Cumignagij.
Commune & homines Veruni.
Commune & homines Bogonij.
Commune & homines Agratę.
Commune & homines Suni.
Commune & homines Siciani
Commune & homines Agamii.
Commune & homines Calpignani.
Commune & homines Casalegij.

Domini, nobiles, & castellani habitantes in Fisserengo,
Commune & homines Archamariani.
Domini & nobiles de Granotio.
Commune & homines Monticelli.
Commune & homines Tardubiati.
Commune & homines Palanzie.
Commune & homines Intri & Valentraschę.
Commune & homines Vespolati.
Commune & homines Cauagliani & Codemontis.
Commune & homines Cameri.
Commune & homines de Camigliano.
Commune & homines Petrolij.
Commune & homines sancti Petri.
Commune & nobiles & castellani Casalegiali.
Vegonia & plebatus Vegonię.
Commune & homines Guilengi.
Commune & homines Mazoriæ.
Commune & homines Bugonij.
Commune & homines Mazalis inferioris.
Commune & homines Mazalis superioris.
Commune & homines Gargarengi.
Commune & homines Vauræ.
Commune & homines Montegi.
Commune & homines Burgiticini.
Commune & homines Varalli.
Commune & homines Pombię.
Commune & homines Deuegnani.
Commune & homines Medij merici.
Commune & homines Marrani.
Commune & homines Olegij.
Commune & homines Blanzagi.
Commune & homines Romagnani.
Commune & homines Silauenghi.
Commune & homines Moxitij.
Commune Ponzanæ.
Commune & homines Casaligialli.
Commune & nobiles Casalini.
Commune & nobiles Garbaneę.
Commune Mergotii, & plebatus.
Commune Zerrij & plebatus
Vniuersitas Ossulę, & plebatus.
Commune & homines Galnagi.
Commune & homines Romantini.
Commune & homines Pernati.
Commune & homines Cerredani.
Commune & homines Nibiæ.
Commune & & homines Grignaschi.
Domini nobiles & castellani habitantes Ponzanæ.
Domini, nobiles, & castellani de Monticello.
Commune & homines Dolzagi cum Dolzagello.
Commune Ornauaxij.

### *De strata Arzeni, & fossatis ipsius releuandis.*

STATVTVM est præcise, quòd quęlibet persona habens ramponatas, vel alias terras, a stra
ta quę dicitur strata Arzeni, vsq; Vignallum, a latere de versus mane, & a latere de versus se
ro, a via qua itur ad molandinum, quod fuit Iacobi Sichaliole, siue vsq; in Vignallum, teneā
tur, & debeant pręcisè iuxta stratam fecisse, & releuasse, & factum tenere fossatum tantum
quantum tenet terra sua, in amplū per brachia quatuor, & fondatum per brachia quatuor.
Et quilibet ad introitum suæ terræ teneatur, & debeat facere, tenere, & habere pontem su
per canterijs, & tronga, ita quòd aqua fossatorum sine aliquo obstaculo possit per fossatum
decurrere. Et prædicta quilibet debeat facere infra sanctum Bernardum proximè venturū,
sub pœna & banno soldorum centum imperialium pro quolibet, & nihilominus prædicta
facere teneantur, & quilibet possit accusare, & medietas banni sit accusatoris, & alia com
munis Nouariæ. Et insuper potestas Nouariæ teneatur, & debeat bis in anno videre dicta
fossata, vtrum bene facta fuerint, vt supra continetur, an non. Et condemnare secundū for-
mam istius statuti illos quos non inuenerit fecisse ea quę in dicto statuto continentur, & sit
præcisum, & habeat locum in voluntate consilij.

### *De strata qua itur ad burgum mainerium reficienda.*

ITEM statutum, & ordinatum est, quòd fiat vna strata leuata a capite inferioris cassinalis
Vignali versus montem, vsq; in Burgummainerium. Et quòd fiant ibi fossata ab vtraq; par
te ipsius stratæ, quę fossata sint, & debeant fieri ampla, desupra brachia octo, & per fundū
per brachia quatuor, & crosa & alta per brachia quinq;, & terra quæ extrahitur de ipsis fos
satis ab vtraq; parte ipsius stratę, proijciatur, & ponatur tota super ipsam stratam, & præ-
cipuè in medio ipsius stratę, & debeat splanari ipsa terra super ipsam stratam per illos qui
fecerint ipsa fossata. Et quòd potestas proximè futurus teneatur, & debeat facere fieri ex
ipsa via, seu strata, & de fossatis ipsius stratæ per homines iurisdictionis Nouariæ, & com-
mune Nouariæ, ab vtraq; parte ipsius viæ, tempore suæ potestarię, infra Cal. Nouembris,

post

post introitum sui regiminis, a capite Vignali suprascripti deuersus mōtem, vsque in bosas Sologni, vbi non sunt facta dicta fossata, & vbi fuerint facta, vel incepta, faciat illa perfici, & refici ad modum & formam suprascriptam, per illos qui debent facere dicta fossata. Et sequens verò potestas proximè futurus infra cal. Nouembris proximè, post introitum sui regiminis, teneatur, & debeat facere fieri ex ipsa strata, & fossatis, ab vtraque parte ipsius stratę, a prędictis bosis Sologni, vsque ad miliaria duo versus montem, qui potestas, cum cōsilio quatuor sapientum, teneatur eligere duos bonos homines, & legales, & vnum bonum notarium, qui debeant sortiri, & compartire ipsam stratam inter homines ciuitatis Nouarię & districtus, secundum quod videbitur, & placuerit ipsis compartitoribus. Et eorū modo, & forma, in omnibus, & per omnia teneatur subsequentes potestates, quolibet tempore suæ potestariæ facere fieri duo miliaria, & per duo miliaria de ipsa strata, & de fossatis ab vtroque latere dictæ stratæ, donec strata & fossata fuerint completa, vsque ad Burgummaynerium & quę strata debeat esse ampla per perticas duas. Et quilibet potestas, qui erit per tempora teneatur, & debeat defendere, & prohibere quòd aqua dictorum fossatorum nullum damnum faciat ciuitati, & suburbiis ciuitatis Nouariæ, & prouidere cum voluntate consilii generalis de faciendo de aquis ipsorum fossatorum vtilitatem communis Nouariæ, tam in molandinis faciendis super ipsis aquis vēdendis, & aliis modis omnibus, quibus maiorem vtilitatem habere possint homines & commune Nouarię de ipsis, & sit pręcisum. Et istud statutum vendicet sibi locum in voluntate consilij.

### *De strata qua itur Romagnanum aptanda.*

ITEM statutum est quòd strata, qua itur Romagnanum a Nouaria debeat aptari & refici ab Aconiato vsque ad pontem canturinum, in hac formam, videlicet, quòd debeat fieri vnum fossatum a prædicto loco Aconiati, vsque ad dictum pontem, & a sero ipsius stratæ. Quod fossatum debeat esse amplum desuper perticha vna, & per fundum brachia tria, & altum siue profundum per brachia tria, & terra dicti fossati debeat proiici, & explanari super ipsā stratam, & per ipsam stratam, & quæ strata debeat esse ampla per perticas duas ad minus. Et teneatur quilibet potestas Nouariæ, qui erit per tempora, donec ipsa strata fuerit aptata, vt supra, ponere ad consilium infra tres menses, post introitum sui regiminis de ipsa strata aptanda & reficienda. Et hoc facere sicut placuerit maiori parti consilii generalis. Et istud statutum vendicet sibi locum ad voluntatem consilij.

### *De ponte super flumine Aconiæ, & strata qua itur Romagnanum reficienda.*

ITEM quòd potestas venturus, infra mensem post introitum sui regiminis, teneatur exponere ad consilium maius de ponte, qui solitus est esse super flumine Aconiæ prope locum Aconiati reficiendo, seu de nouo faciendo, & de strata, qua itur Romagnanum a Nouaria reficienda in pœna salarij librarum quinquaginta imperialium.

### *De his qui conantur vsurpare iura communis, præscriptione temporis allegata.*

AVDIENTES quòd iura communis Nouariæ, in fluminibus eiusdem communis conti-
nuis occupationibus vsurpntaur ex eo, quòd possessores prędiorum, & possessionum ia-
centium circa flumina, clusias faciunt in eisdem, & aquas extrahunt de alueis, ad alia loca
deriuantes, vel etiam in fluminibus eisdem molandina tenentes, & posidentes, quæ iura ip
si aliquibus temporibus tenentes requisiti, plerunque, & prohibiti a rectoribus communis
Nouarię, sicut prohiberi & requiri poterant, & debebant, conantur, de cōmuni volentes fa
cere proprium pro ipsa retentione, alegata prescriptione temporis se tueri. Quare & ipsis
detentoribus, & communi Nouarię, nec ipsa iura ducendi aquas extra flumina, posit ali-
cuius possessionis, vel pręscriptionis, quæ non posit dici continua, vel completa, cū sit cō-
muniter a rectoribus interrupta, causa vel titulo, in communis præiudicium vsurpari: & ip
sis tenentibus etiam vt clusas, & aquas quas in præteritum tenuerunt posint, sine tamen
preiuditio alicuius specialis personę vti. Pariter statuerunt, prouiderunt, & decreuerunt,
quòd omnes, & singuli tenentes, & qui in præteritum tenuerunt, sine contradictione alicu
ius singularis personæ aliquas clusas, vel aliqua molandina, in aliquibus fluminibus com-
munis Nouarię, non posint prohibere quin fiat de dictis clusis, & auersionibus aquarū per
ipsum commune Noaurię, vel nomine ipsius communis, secundum quòd videbitur domino
potestati, & sapientibus.

De

*De stratis refectis manutenendis.*

Item quia de præsenti dicta strata, & via, qua itur Vercellas, & aliæ viæ, quæ inferius continentur, sunt ordinatæ fieri, & reparari, & releuari cum eorum fossatis. Idcirco prouiderunt, statuerunt, & ordinauerunt, quòd postquàm fuerint refectę, omnes homines, & personæ & omnes villæ, & communia villarum, & burgorum, & vniuersitatum, & casinalium, & nobiles, & castellani, ecclesiæ, & monasteria teneantur, & debeant easdem stratas, & vias a modo tenere bene conzatas, & bene aptatas, & omnes scopellos, & rupturas reficere. Et omnes illi qui attestant vijs, teneantur ipsa fossata reficere, & remondata, & purgata tenere. Ita quòd aqua, vel aquæ decurrant liberè per ipsa fossata. Et quòd viæ melius possint manuteneri, & defendi ab impetu & decursu aquę. Et quòd possint, & debeant constringi ad prędicta faciendum per pręsentem, & futuros rectores, & eorum officiales, & quolibet eorum summariè, & extraordinariè, & sine figura, & strepitu iuditij. Et per omnes modos quibus ipsis melius, & facilius videbitur expedire. Statutis, & ordinamentis in contrarium facientibus non obstantibus. Nomina quorum communium, & dominorum, & nobilium, quæ tenentur perpetuò tenere dictam stratam Nouariensem, postquàm fuerit refecta, aptata, & conzata, aptatam, & omnes scopellos, & rupturas reficere, sunt hæc, scilicet, commune & homines Casaligialli; commune, domini, & nobiles, Fisserengi, commune & homines Pisnengi: commune, & homines, & nobiles Olsengi: commune domini, & nobiles Ponzanę: Consules, commune, domini, & nobiles Archamariani: commune, domini, & nobiles Casalini: commune, domini, & nobiles, Granotij: commune, & homines Lumenonij: commune, domini, & nobiles Monticelli.

*De strata sanctæ Helenæ reficienda.*

S. Elena Item ordinauerunt, statuerunt, & prouiderunt, quòd strata sanctæ Helenę a strata burgi sancti Gaudentij, vsq; ad ponté Arioni sit, & esse debeat semper via publica, seu strata, & quòd ipsa debeat esse ampla per pertichas quatuor mensuratorias terræ vel tres ad minus.

*De eodem.*

Item quòd fossata ipsius stratæ, ab vtroque latere dictæ stratę, debeant esse lata per brachia quatuor, & crosa brachia quatuor, & lata in fundum per brachium vnum.

*De eodem.*

Item quòd ipsa strata, & fossata ipsius stratæ debeant fieri, & refici per suprascripta communia, & vniuersitates suprascriptorum communium, burgorum, & villarum, nobilium, dominorum, & castellanorum habitantium in ipsis terris, & locis: nomina quorum communitatum continentur superius, & per illos de parochia sancti Gaudentij de foris.

*De eodem.*

Item quòd ipsi de dicta parochia sancti Gaudentij de foris possint, & eis liceat imponere hominibus & personis de dicto burgo, & de ciuitate, tam personis ecclesiasticis, quàm secularibus, & aliunde, quę sunt de ciuitate, & suburbijs Nouariæ, habentibus terras & possessiones, ad quas itur per dictam stratam, ad soluendũ ipsis de dicta parochia de foris in auxilio refectionis illarum pertricharum quę eis taliabuntur ad rationem imperialium sex pro quolibet modio illarum terrarum quas habent, ad quas itur per dictam stratam, quę sunt super curia Nouariæ. Et quòd rectores Nouariæ, qui sunt, & per tempora erunt, seu aliqui de eorum familia, teneantur constringere summariè, sine strepitu, & figura iudiciorum, prędictos ad soluendum prædicta.

*De eodem.*

Item quòd omnes personæ, quarum sunt terræ propriæ, ad quas itur per dictam stratam, teneantur tantùm ad dictam solutionem, & non illi qui eas tenent ad fictum ab ipsis, nec qui eas laborát pro ipsis. Saluo quòd illi qui tenent aliquas de prædictis terris, ad quas itur per dictam stratam hereditario nomine in perpetuum, teneantur soluere de ipsis terris, ad prędictam rationem imperialium sex pro modio, & non domini. Et hoc saluo quòd illi, qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, & aliarum personarum ecclesiasticarum, cogi possint, ad soluendum ad dictam rationem denariorum sex pro modio, summariè & extraordinariè, & sine figura, & strepitu iudiciorum, de fictis, redditibus, debitis, & debendis

dis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, eiusq; familia, teneatur & debeat exigere, & cogere illos clericos, & personas ecclesiasticas pro quibus massarij soluissent, ad faciendum eis cartam finis, vel ad solutionem eis faciendam de eo quod soluerint ratione prædicta. Et si clerici, & religiosi nollent soluere, & nollent restituere illis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorũ terras laborare. Et quòd possint ab eis auferre molandina, & alia subsidia laicorũ. Ita quòd omnibus remedijs soluant partẽ eis cõtingẽtẽ, de refectione viarum & pontium.

*De eodem.*

Item quod infrascripta communia, domini, & nobiles ipsorum communium, teneantur, & debeant perpetuò tenere dictam stratma, postquàm fuerit refecta & aptata dicta strata, cõzare, & benè aptatã renere, & omnes scopellos, & rupturas reficere, scilicet cõmune, domini, & nobiles S. Petri de Moxitio: Commune, domini, & nobiles Moxitij: commune, domini, & nobiles Casalegij: commune, domini, & nobiles Mandelli: commune, domini, & nobiles Landionæ, commune, domini, & nobles Carpignani: commune Gargarengi.

*De strata qua itur Aconiatum.*

Item statuerunt, & ordinauerunt quòd strata qua itur Aconiatum, a prędicta strata vsq; ad Aconiatum sit, & esse debeat semper via publica. Et quòd ipsa debeat esse ampla per perticas quatuor terræ, vel tres ad minus.

*De eodem.*

Item quòd fossata ipsius stratę ab vtroq; latere debeant esse lata per brachia quatuor, & lata in fundum per brachium vnum.

*De eodem.*

Item quòd ipsa strata, & fossata ipsius stratæ, debeant fieri & refici per infrascripta communia, & vniuersitates infrascriptorum communium, burgorum, & villarum, nobilium, dominorum, & castellanorum habitantium in ipsis terris & locis, & per illos de suprascripta parochia de foris sancti Gaudentij.

*De eodem.*

Item quòd ipsi de dicta parochia sancti Gaudentij possint, & eis liceat imponere hominibus, & personis de dicto burgo, & de ciuitate, tam personis ecclesiasticis, quàm secularibus, quàm aliunde, quę sunt de ciuitate & suburbiis Nouarię, habentibus terras & possesiones ad quas itur ad dictam stratam, ad soluendum ipsis de dicta parochia de foris, in auxilio refectionis illarum pertricharũ quæ eis taliabũtur ad rationem denariorum sex pro quolibet modio illarũ terrarũ, quas habẽt ad quas itur per ipsam stratã, quę sunt super curia Nouarię. Et quòd rectores Nouariæ, qui sunt, & per tẽpora fuerint, seu aliqui de eorũ familia, teneãtur cõstringere summariè, sine strepitu, & figura iudicij, prędictos ad prædicta soluẽda.

*De eodem.*

Item quòd omnes personæ quarum sunt terræ propriæ, ad quas itur per dictam stratam,
teneantur tantùm ad dictam solutionem, & non illi qui eas tenent ad fictũ ab ipsis, nec qui
cas laborant pro ipsis. Saluo quòd illi qui tenent aliquas de prædictis terris, ad quas itur
per dictam stratam hereditario nomine in perpetuum, teneantur soluere de prædictis ter-
ris ad prędictam rationem denariorum sex pro quolibet modio, & non domini, hoc saluo
quòd illi qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, & aliarum personarum ec-
clesiasticarum, possint cogi ad soluendum cum ipsis ad dictam rationẽ denariorum sex im
perialiũ pro modio summariè, extraordinariè, sine figura & strepitu iudiciorũ, de fictis, &
redditibus debitis & debẽdis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, & eius
familia teneantur & debeant cogere, & exigere ab illis clericis, & ecclesiasticis personis,
pro quibus massarij soluissent, ad faciendum eis cartam finis, vel ad solutionem eis fiẽdam
de eo quod soluerint ratione prædicta. Et si clerici & religiosi nollent soluere, & nollent re
stituere illis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorum terras laborare, &
quod possint ab eis auferre molandina, & alia subsidia laicorum ita quòd omnibus reme-
diis soluant partem eis contingentem.

*De refectione viarum & pontium.*

Item quòd infrascripta cõmunia, domini, & nobiles ipsorũ cõmuniũ, teneantur, & debeant perpetuò tenere ipsam stratam, postquàm fuerit refecta aptata, & conzata, benè aptatam

R tene

tenere,& omnes rupturas reficere.Scilicet,cõmune,domini,& nobiles Aconiati;& per dominos,massarios,& laboratores laborantes in Camigliano: cõmune,domini,& nobiles Nibie:commune,domini,& nobiles Cisti:commune,domini,& nobiles Petrolij:commune domini,& nobiles Brionæ: commune,domini,& nobiles Faræ: commune, domini,& nobiles Agamij: commune,domini, & nobiles Romagnani: commune, domini,& nobiles Barengi: commune,domini,& nobiles Grignaschi:commune,.domini, & nobiles Caualirij.

*De strata qua itur Vignalum.*

ITEM prouiderunt,statuerunt,& ordinauerunt,quòd strata,qua itur Vignalum,a fracta sancti Simonis vsque Vignalum,& per locũ Vignali sit via publica,seu strata semper. Et quòd ipsa debeat esse ampla per pertichas quatuor mensuratorias,vel tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata ipsius stratę,ab vtroque latere ipsius stratæ,debeant esse lata per brachia quatuor,& crosa per brachia quatuor,& lata in fundum per brachium vnum.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsa strata,& fossata ipsius stratæ debeant fieri,& refici per infrascripta communia, & vniuersitates infrascriptorum communium,burgorum,villarum,dominorum, nobilium,& castellanorum habitantium in ipsis terris,& locis,nomina quorum communiũ continentur superius,& per illos de parochia sancti Victoris de foris: & per illos de parochia sancti Andreæ de foris,& sancti Stephani de foris.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsi de dictis parochiis possint & eis liceat imponere hominibus & personis, de dicto burgo,siue burgis,& de Ciuitate tam personis ecclesiasticis,quàm secularibus, & aliunde,qui sunt de ciuitate & suburbiis Nouarię habentibus terras, & possessiones ad quas itur per dictam stratam ad soluendũ ipsis de dictis parochiis de foris in auxilio refectionis illarum pertichatum,quę eis taliabũtur,ad rationem denariorum sex pro quolibet modio ipsarum terrarum,quas habẽt,ad quas itur per ipsam stratam,quæ sunt super curia Nouarię. Et quòd rectores Nouariæ,qui sũt & per tẽpora fuerint,seu aliqui de eorũ familia, teneãtur cõstringere sũmariè, & sine strepitu,& figura iuditiorũ p̄dictos ad prędicta soluẽdũ.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes personæ, quarum sunt terræ proprię,ad quas itur ad dictam stratam, teneantur tantùm ad dictam solutionẽ,& non illi qui tenent ad fictum ab ipsis,nec qui eas laborant pro ipsis.Saluo quòd illi qui tenẽt aliquas ex prędictis terris ad quas itur per dictã stratã libellario nomine in perpetuum,teneantur soluere de prædictis terris ad prædictã rationem denariorum sex pro modio, & non domini.Et hoc saluo quòd illi qui laborãt terras ecclesiarum,seu ecclesiasticarum personarum,seu monasteriorum cogi possint ad soluẽdum pro ipsis,ad dictam rationem denariorum sex summariè,& extraordinariè,sine strepitu,& figura iudiciorum,de fictis, redditibus debitis,& debẽdis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas,& eius familia teneantur,& debeant exigere,& cogere illos clericos,& personas ecclesiasticas,pro quibus massarij soluissent ad faciendũ eis cartam finis, vel ad solutionem eis faciendam de eo quod soluissent, vel soluerent ratione prædicta. Et si clerici,vel religiosi nollent soluere, & nollent restituere massariis, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorum terras laborare.Et quòd possint ab eis auferri molãdina,& alia subsidia laycorum.Ita quòd omnibus remediis soluant partem eis contingentem, de refectione viarum,& pontium.

*De eodem*

ITEM quòd infrascripta communia,& nobiles ipsorum communium, teneantur & debeant perpetuò dictam stratã,postquàm fuerit dicta strata refecta & aptata,conzare,& bene aptatam tenere,& omnes scopellos,& rupturas reficere,scilicet.

Commune,domini,& nobiles Castignacæ.
Commune, domini,& nobiles Alexati.
Commune,domini, & nobiles Morghẽgi.
Commune,domini,& nobiles Suni.
Commune, dòmini,& nobiles Caualii.
Commune, domini,& nobiles Quiregij.
Commune,domini,& nobiles Fonraneti.
Commmune, domini, & nobiles Bugonij.

Com-

Commune, domini,& nobiles Agrati.
Commune,domini,& nobiles Burgiagnelli.
Commune,domini,& nobiles Reueslati.
Commune,domini,& nobiles Montegij.
Commune,domini,& nobiles Bochæ, Piazi, & Mozani.
Commune,domini,& nobiles Sologni.
Commune,domini,& nobiles Mommi.
Commune,domini,& nobiles de Vauræ.
Commune,domini,& nobiles Crisię.
Commmune,domini,& nobiles Caualieti.
Commune,domini, & nobiles Burgimaynerij.
Commune,domini, & nobiles Sorixij.
Commune,domini, & nobiles Gategi.
Commune,domini,& nobiles Inuorij superio.
Commune,domini,& nobiles Gargalli.
Commune,domini,& nobiles Mazati superio.
Commune,domini,& nobiles Veruni.

*De strata qua itur Veuram.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd strata, qua itur Veuram, a fracta burgi sancti Andreæ, vsque in Tardubium sit via & strata publica semper. Ita quòd debeat esse ampla per pertichas quatuor mensuratorias terræ vel tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata ipsius stratæ ab vtroque latere dictę stratę debeant esse lata per brachia quatuor, & lata in fundo per brachium vnum, & crosa per brachia quatuor.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsa strata,& fossata ipsius stratę,debeāt fieri & refici per infrascripta cōmunia, & vniuersitates infrascriptorū cōmuniū,burgorū,& villarū,nobiliū, dominorū,& castellanorū habitantiū in ipsis terris,& locis, nomina quorū cōmuniū continētur superius, & per illos de parochia sancti Victoris de foris. Et de parochia S. Andreæ, & S. Stefani de foris.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsi de dictis parochijs possint, & eis liceat imponere hominibus, & personis de dictis parochijs & de ciuitate,& tam personis ecclesiasticis,quàm secularibus,& aliūde quæ sunt de ciuitate,& suburbijs Nouarię:habentes terras,& possessiones,ad quas itur per ipsam stratam ad soluendum ipsis de dictis parochijs de foris,in auxilio refectionis illarū pertichārum quæ eis taliabuntur,ad rationem denariorum sex pro quolibet modio illarū terrarum quas habent,ad quas itur per ipsam stratam, quę sunt super curia Nouariæ. Et quòd rectores Nouarię,qui sunt & per tēpora erunt,seu aliqui de eorum familia,teneātur constringere summariè,sine strepitu, & figura iudiciorum prædictos ad prædicta soluēdū.

*De eodem.*

ITEM quòd homines, & personæ,quarum sunt terræ propriæ, ad quas itur per dictam stratam, teneantur tantùm ad dictam solutionem,& non illi qui eas tenent ad fictum ab ipsis, neq; qui eas laborant pro ipsis,& saluo quòd illi qui tenent aliquas ex prædictis terris, ad quas itur per dictam stratam,hereditario nomine in perpetuum,teneātur soluere de ipsis terris ad prędictā rationem denariorum sex pro modio,& non domini. Et hoc saluo quòd illi qui laborant terras ecclesiarum,seu monasteriorum, seu ecclesiasticarum personarum possint cogi ad soluendū pro ipsis,ad dictā rationē denariorū sex summariè,& extraordinariè,sine strepitu,& figura iudicij,de fictis,& redditibus,debitis & debēdis ipsis ecclesiasticis personis. Et dominus potestas,& eius familia teneantur,& debeant exigere,& cogere illos clericos,& personas ecclesiasticas,pro quibus massarij soluissent,ad faciendum eis cartam finis,vel ad solutionē eis faciendā de eo quod soluerint ratione predicta. Et si clerici,& religiosi nollēt soluere,& restituere illis massarijs,qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorū terras laborare. Et quòd possint eis auferri molādina & alia subsidia laycorū. Ita quòd omnibus remedijs soluant partem eis contingentem, De refectione viarum & pontium.

*De eodem.*

ITEM quòd infrascripta communia domini, & nobiles ipsarum communium teneantur & debeant perpetuò tenere dictam stratam, pòstquàm fuerit refecta,& aptata, conzare & aptatam tenere bene, & omnes scopellos, & rupturas reficere, scilicet, Commune domini,& nobiles Capitis montis,Caualliani: & per illos qui morantur in Arzino: Commune, domini,& nobiles de Blanzago:Commune,domini,& nobiles,& castellani Medij,Merici:&

per illos qui morantur in Dolzago; commune, domini, & nobiles Olegij: commune, domini, & nobiles Marani: cõmune, domini, & nobiles Pombię: cõmune, domini, & nobiles Varalli: cõmune, domini, & nobiles Burgiticini: commune, domini, & nobiles Cumegnagi: commune, domini, & nobiles vicini Cõturbiæ: cõmune, domini, & nobiles Deuegnani: commune, domini, & nobiles Galnagi.

*De strata qua itur Camerum.*

ITEM prouiderunt, statuerunt, & ordinauerunt, quòd strata, qua itur Camerum, a strata burgi vsque in Tardubium, sit strata, & via publica, ampla per perticas quatuor mensuratorias terræ, vel per tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata ipsius stratæ ab vtroque latere ipsius stratæ, sint, & esse debeant lata per brachia quatuor, crosa per brachia quatuor, & lata in fondo per brachium vnum.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsa strata, & fossata ipsius stratę, debeant fieri, & refici per infrascripta communia, & vniuersitates infrascriptorum cõmunium, burgorum, villarum, nobilium, dominorũ, & castellanorũ habitantiũ ipsis terris & locis. Nomina quorum communium cõtinẽtur superius, & per illos de parochia sãcti Victoris, & sãcti Andreę, & sancti Stephani de foris.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsi de dicti parochia possint, & eis liceat imponere hominibus, & personis dictarum parochiarum de foris, & ciuitatis, & personis, tam ecclesiasticis, quàm secularibus, & aliunde, quæ sunt de ciuitate Nouariæ, & suburbijs habentibus terras, & possessiones, ad quas itur per dictam stratam ad soluendum ipsis de dictis parochiis de foris, in auxilio refectionis illarum perticarum, quę eis taliabuntur, ad rationem denariorũ sex pro quolibet modio illarum terrarum quas habẽt, ad quas itur per dictam stratam, quæ sunt super curia Nouarię. Et quòd rectores Nouarię qui sunt, & per tempora fuerint, seu aliqui de eorum familia teneantur constringere summariè sine strepitu, & figura iudiciorum prędictos ad prędicta soluendum.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes personę, quarum sunt terræ proprię, ad quas itur per dictam stratam, teneantur tantùm ad solutionem prędictam, & non illi qui eas tenent ad fictũ ab ipsis, neque qui eas laborant pro ipsis. Saluo quòd illi qui tenẽt aliquas ex prędictis terris, ad quas itur per ipsam stratam hereditario nomine in perpetuum, teneantur soluere de ipsis terris ad prędictam ratam denariorum sex pro modio, & non domini. Et hoc saluo quòd illi qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, seu ecclesiasticarũ personarũ cogi possint ad soluẽdũ pro ipsis ad dictã rationẽ denariorũ sex pro modio, summariè, & extraordinariè & sine figura, & strepitu iudicii, de fictis, & redditibus debitis, & debẽdis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, & eius familia teneãtur, & debeãt exigere, & cogere illos clericos, & ecclesiasticas personas, pro quibus mãssarii soluissẽt ad faciẽdum eis cartã finis vel ad solutionẽ eis faciẽdã de eo quod soluerint ratione prædicta. Et si clerici, & religiosi nollẽt soluere, & nollẽt restituere illis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorũ terras laborare. Et quòd possint eis auferri molandina, & alia subsidia laycorum: Ita quòd omnibus remediis soluant partem eis contingentem, de refectione viarum & pontiũ.

*De eodem.*

ITEM quòd infrascripta communia, domini, & nobiles ipsorum communium, teneantur, & debeant perpetuò tenere dictam stratam, postquàm fuerit refecta, & aptata, conzare, & bene aptatam tenere, & omnes scopellos, & rupturas reficere, scilicet. Cõmune, domini, & nobiles Cameri: cõmune, domini, & nobiles Palatię: cõmune domini, & nobiles Intri, & Valẽtraschæ: cõmune, domini, & nobiles, Vemeniæ, & plebatus, & nobiles, & domini dictę terræ.

*De eodem, & strata Pernati, & Cerredani.*

ITEM statuerunt, prouiderunt, & ordinauerunt, quòd stratę quibus itur Pernatũ, & Ceredanũ, sint stratæ mastræ, & viæ publicæ perpetuo a strata burgi sancti Agabij, vsque in Tardubium, tã deuersus Romantinum, quàm deuersus Ceredanũ, & quòd stratę sint latæ per perticas

tichas quatuor mensuratorias terræ, vel per tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata dictarum stratarum ab vtroque latere ipsarum stratarum sint lata per brachia quatuor, & crosa per brachia quatuor in fondo, & lata in fundo per brachiũ vnum.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsę stratæ ambæ, & fossata ipsarum stratarum debeant fieri, & refici per suprascripta communia, & vniuersitatem suprascriptorum communium, burgorum, villarum, nobilium dominorũ, & castellanorum, habentiũ in ipsis terris, & locis, Nouarię. Quorum communium continetur superius, & per illos de parochia sancti Agabij de foris.

*De eodem.*

ITEM ipsi de dicta parochia sancti Agabij de foris, possint, & eis liceat imponere hominibus, & personis de dicto burgo, & de ciuitate, tam personis ecclesiasticis, quàm secularibus, & aliunde quæ sunt de ciuitate, & suburbijs Nouarię habentibus terras & possessiones, ad quas itur per ipsas stratas, ad soluendum ipsis de dicta parochia de foris, in auxilio refectionis illarum pertricharum, quæ taliabuntur eis, ad rationem denariorum sex pro modio illarũ terrarũ, quas habent ad quas itur per ipsas stratas, quę sunt super curia Nouarię. Et quod rectores Nouariæ, qui sunt & per tempora fuerint, seu aliqui de eorum familia teneantur summariè constringere, sine strepitu, & figura iudiciorum prædictos ad prædicta soluendum.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes personæ, quarum sunt terræ propriæ, ad quas itur per dictas stratas, teneantur ad dictam solutionem tantùm faciendam, & non illi qui eas tenent ad fictum ab ipsis, neque qui eas laborant pro ipsis. Saluo quòd illi qui tenent aliquas ex prędictis terris ad quas itur per dictas stratas, hereditario nomine in perpetuum, teneantur soluere de ipsis terris ad prędictam rationem denar. sex pro modio, & non domini. Et hoc saluo quòd illi qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, seu ecclesiasticarum personarum, cogi possint ad solutionem pro ipsis ad dictam rationem denariorum sex, summariè, & extraordinariè, & sine strepitu & figura iudiciorũ, & de fictis, & redditibus debitis, & debendis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, & eius familia teneantur, & debeant exigere & cogere illos clericos, & ecclesiasticas personas, pro quibus massarij soluissent, ad faciendum eis cartam finis, vel ad solutionem eis faciendam de eo quod soluerint ratione predicta. Et si clerici, & religiosi nollent soluere, & restituere illis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat eorum terras laborare: & quod possint ab eis auferri molandina, & alia subsidia laycorum. Ita quòd omnibus remedijs soluant partem eis contingentem, de refectione viarum & pontium.

*De eodem.*

ITEM quòd infrascripta communia, domini, & nobiles ipsorum communium teneantur, & debeant perpetuò tenere ipsas stratas, postquàm fuerint refectę & aptatæ, conzare, & bene aptatas tenere, & rupturas reficere, scilicet, commune, domini, & nobiles, Romantini: commune, domini, & nobiles Pernati, Galiati, Terchati, Sozagi, Ceredani, & Casiioli.

*De strata qua itur Guilengum.*

ITEM statuerunt, prouiderunt, & ordinauerunt, quòd stratæ quibus itur Guilengum, a fracta portæ nouæ vsque ad Bichocham: & a strata portę sanctę Mariæ vsque ad Bichocham, sint stratæ mastræ, & vię publicæ, & quòd debeant esse amplæ per pertichas quatuor mensuratorias terrę, vel tres ad minus.

*De eodem.*

ITEM quòd fossata ipsarum strarum ab vtroq; latere ipsarũ stratarum, debeant esse lata per brachia quatuor, & crosa per brachia quatuor, & lata in fondo brachium vnum.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsa strata, & fossata ipsius stratæ, debeãt fieri, & refici p infrascripta cõmunia,

& vniuersitates infrascriptorum communium, burgorum, & villarum, nobilium, dominorum, & castellanorum habitantium in ipsis terris & locis. Nomina quorum communium continentur inferius & per illos de parochia sanctę Eufemię, & sanctæ Marię de ingalardo & sanctæ Mariæ maioris de foris.

*De eodem.*

ITEM quòd ipsi de dictis parochijs de foris possint, & eis liceat imponere hominibus & personis de dicto burgo, & ciuitate, tam personis ecclesiasticis, quàm secularibus, & aliunde, quæ sunt de ciuitate & suburbijs Nouariæ, habentibus terras & possessiones, ad quas itur per ipsas stratas, ad soluendum ipsis de dictis parochijs in auxilio refectionis, illarum pertícharum quæ eis taliabuntur ad rationem denar. sex pro quolibet modio illarum terrarũ quas habent, ad quas itur per ipsas stratas, quæ sunt super curia Nouariæ. Et quòd rectores Nouariæ, qui sunt, & per tempora fuerint, seu aliqui de eorum familia, teneantur constringere summariè, sine strepitu, & figura iudiciorum, prędictos ad prædicta soluendum.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes personæ, quarum sunt terrę propriæ ad quas itur per prædictas stratas, teneantur tantùm ad dictam solutionem, non illi qui eas tenent ad fictum ab ipsis, neque qui eas laborãt pro ipsis. Saluo quòd illi qui tenent aliquas ex prędictis terris, ad quas itur per dictas stratas, hereditario nomine in perpetuum, teneantur soluere de ipsis terris ad prædictam rationem denar. sex pro modio, & non domini. Et hoc saluo quòd illi qui laborant terras ecclesiarum, seu monasteriorum, seu ecclesiasticarum personarum, cogi possint ad soluendum pro ipsis ad dictam rationem denar. sex pro modio, summariè, & sine figura, & strepitu iudiciorum, de fictis, & redditibus debitis & debendis ipsis ecclesiasticis personis. Et quòd dominus potestas, & eius familia teneantur, & debeant cogere illos clericos, & personas ecclesiasticas, pro quibus massarij soluissent, ad faciendum eis cartam finis, & ad solutionem eis faciendam de eo quod soluerint ratione prædicta. Et si clerici nollent soluere, & nollent restituere dictis massarijs, qui pro eis soluissent, quòd nemini liceat ipsas terras laborare. Et quòd possint ab eis auferre molandina, & alia subsidia laycorum. Ita quòd omnibus remedijs soluant partem eis contingentẽ, de refectione viarũ & pontiũ.

*De eodem.*

ITEM quòd infrascripta communia, domini, & nobiles ipsorum communium, teneantur, & debeant perpetuò tenere dictas stratas, postquã fuerint refectę & aptatę, cõzare, & aptatas tenere, & omnes scopellos, & rupturas reficere, scilicet, Cõmune, domini, & nobiles Guilẽgi: cõmune, domini, & nobiles Tardobiati, Tornigi, Burgilauizarij, Vespolati, Nibiolę, Garbaneæ, Grauaronę, & ꝑ omnia casinalia transeuntia per ipsas stratas & collinas Guilegi.

*De pontibus tenendis, & manutenendis super dictis stratis.*

ITEM prouiderunt, statuerunt, & ordinauerunt, quòd omnes attestantes prædictis vijs, siue stratis, teneantur, & debeant facere, & tenere bonos pontes ad transeundum fossata dictarum stratarum, sine columnis subtus, ad eundum ad terras attestantes stratis prędictis: & ipsos factos manutenere, postquàm dicta fossata facta fuerint, & quòd ipsi teneantur remondare, & remondata tenere ipsa fossata per medium eorum terras, quas tenent, & laborant. Et proijcere terram ipsorum fossatorum in dictam stratam, in pœna soldorum centum imperialium pro qualibet persona, & qualibet vice, & plus, & minus, arbitrio domini potestatis, qui erit per tempora, inspecta qualitate personarum, & rerum.

*De fossatis reficiendis.*

ITEM quòd illi qui facient fossata, & facient fieri, superstites dictarum stratarum & fossatorum, teneãtur proijcere, & proijci facere totam terram, quę exit, & exire debebit de ipsis fossatis super ipsis stratis, ad constructionẽ ipsarũ stratarũ, & hoc sub pœna arbitrio domini potestatis auferenda: & ipsã terrã splanare super dictis stratis, & equalare ipsas stratas.

*Quòd Potestas inquirat de prædictis vijs, & fossatis.*

ITEM quòd dominus potestas teneatur, & debeat, & possit mittere quoscunque voluerit de sua familia ad vidẽdum, & inquirendum, & cognoscendum, & determinandũ amplitudinẽ, & defectum ipsarum stratarum, & cogere eos ad relaxandum terras, vel terram, quæ videbitur

bitur esse amota, vbi videbitur dicta strata strictior, & vbi videbitur ampliari, & vbi fuerit positus terminus per familiam domini potestatis, seu per vnum de eius familia, ad hoc deputatum per ipsum dominum potestatem, debeat stare: & superstes ipsius stratæ, seu stratarum debeat fieri facere, & executioni mandare secundũ quod determinabitur per familiã vel per vnum ex ipsis de familia dicti domini potestatis. Et vbi aliqui defectus essent, quòd debeat stari determinationi suprascripti domini potestatis, vel familię ipsius domini potestatis, omni exceptione, oppositione, & allegatione abiectis, & nõ admissis. Ita quòd a præcepto, vel a præceptis diffinitioni, seu diffinitionibus non possit appellari, nec vlla via, nec aliquo remedio iuris acceptari, quominus executioni mandetur, & mandari debeat in omnibus & per omnia.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes euntes per aliquas stratas non mastras, nec publicas, quæ attestantur ipsis stratis mastris, teneantur, & debeant facere pontes ad exitum stratarũ, pro eundo ad ipsas. Et per ipsas stratas attestantes ipsis stratis mastris, ad expensas illorum qui iuerint per ipsas stratas, qui habẽt facere ibi ad dictas stratas attestantes dictis stratis mastris. Et quòd per dictum dominum potestatem cogantur facere ipsos pontes sine columnis. Et ibi habere, & tenere perpetuo expensis illorum. Ed quòd ipsi & eorum bona sint, & esse intelligantur obligati, & obligata ad prædicta facienda.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes homines, & personę, cuiuscunq; conditionis existant, siue sint layci, siue clerici, siue etiam monaci, siue ecclesiasticæ personæ, siue dicant esse ecclesiasticas personas, siue sint monasteria, ducẽtes, siue ducere volentes, vel deriuãtes, vel deriuare volentes aliquam aquam ad transuersum dictas stratas, vel aliquam dictarum stratarum, teneantur & debeãt suis propriis sumptibus & expẽsis facere pontes bonos de lapidibus, & calcina super ipsis stratis, vbi ducerent vel deriuauerint, seu deriuare voluerint aquam ad transuersũ stratam, ita longos quemadmodum strata erit lata. Ita quòd remaneant ab vno latere stratæ, vsq; ad aliud, & aliter nec alio modo nõ possint ducere, nec deriuare aliquam aquam. Et si deriuauerint, quòd teneantur claudere, & stratam aptare. Ita quòd sit equalis, suis proprijs sumptibus & expensis.

*De eodem.*

ITEM quòd suprascriptus dominus potestas, & alij rectores futuri possint, & debeant omnibus remedijs iuris summariè, & extraordinariè, omni strepitu, & figura iudiciorum cessante, omnes & quoscunque alios, qui tenerentur, & astricti erunt per taleas quę fuerint tam cõmunibus quàm diuisis per infrascriptum dominum potestatem, cum illis sapientibus, quos voluerit habere de infrascriptis stratis, & pontibus fiendis, cogere per pœnarum impositionem, & earum exequutionem, secundum quòd ipsis rectoribus, & cuilibet ipsorum melius videbitur expedire. Et ad hoc, vt vtilius dictę stratæ pontes, & fossata fiant, & fieri debeant in vtilitatem suprascripti communis & hominum. Et quòd prædicti rectores, & quilibet eorũ teneatur vinculo sacramẽti facere fieri suprascripta laboreria, secundũ quòd superius ordinata sunt, & etiam inferius declarabitur per suprascriptum dominum potestatem, & sapiẽtes prędictos.

*De eodem.*

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd quilibet, qui habet ius ducendi, vel deriuandi aquas per fossata, quæ nunc sunt iuxta stratas, & habuerint ius ducendi, & nunc ducunt, & deriuant & habent ius ducendi dictam aquam per dicta fossata, quę fiet de nouo iuxta dictas stratas, teneantur facientibus bonos, & idoneos pontes super ipsis stratis, per quas ducere vellent, de bonis lapidibus, & calcina, quemadmodum faciebant ante per alia fossata vetera, teneantur dictos pontes manutenere super dictis viis, & stratis eorum proprijs expensis: & aliter ducere, nec deriuare possint, nec debeant.

*De eodem.*

ITEM quòd nemini liceat imponere linum, nec canepam in fossatis, & rugijs attestãtibus stratis, & clusas facere, sub pœna, & banno soldorum viginti imperialium pro qualibet vice: & quòd debeant condemnari per rectores Nouarię infra decem dies, postquàm ad eorum notitiam

titiam peruenerit:& quilibet posit accusare,& denuntiare,& etiam rector inquirere possit ex suo officio.

*De eodem.*

ITEM quòd dominus potestas, & eius familia posint, & debeant punire omnes homines,& vniuersitates non obedientes,& non facientes prædicta super ordinata,& omnes contrafacientes,& quòd posit,& debeat eos condemnare in illis quantitatibus pecuniç,quæ eis videbuntur, secundum qualitatem laborerij, & operis facti.

*De eodem.*

PRAETEREA statuerunt, & ordinauerunt, quòd si aliquis burgus,villa, vel vniuersitas, vel singulares personæ negligerent, vel omitterent facere, & adimplere suas pertichas eis taliatas,& iniunctas,& impositas,quòd dominus potestas teneatur, & debeat dare, & concedere regressum,& iura aduersus & cōtra inobedientes,vnicuique volēti facere & faciendi pro ipsis, vel aliquibus ipsorum,vsque ad libras tres imperialium pro qualibet perticha fienda ab vtroque latere,cum fossatis ipsarum stratarum:in quibus lib. tribus pro ipsa perticha,ipso facto,& iure, qui omiserit facere vel fieri facere ad terminum ordinatum & statutum per suprascriptum dominum potestatem, & per alium rectorem, vel rectores, secūdum sua tēpora dicta laboreria, incidant & obligati, & obligata,& astricti,& astricta sint, & esse intelligantur,ad soluendum,& cogi posint,& debeant absque aliqua condemnatione fienda de ipsis, nec de aliquo ipsorum,omni exceptione remota.

*De eodem.*

ITEM quòd omnes homines & personæ vniuersitatum,burgorum,locorum,casinalium,nobilium, & castellanorum, & dominorum, teneantur ad obseruationem prædictorum, ipsi, & eorum bona sint obligati, & obligata ad prædicta omnia,& singula. Et quòd capi posint & detineri ipsi, & eorum bona ad obseruandum prædicta, vsque ad integram solutionem omnium prædictorum. Et quòd tam singulariter quàm communiter, personæ locorum, & terrarum posint capi, & detineri ad petitionem illorum qui habuerint iura a communi Nouariæ, vsque ad plenam solutionem quantitatis de qua quis habuerit iura, cum omnibus damnis & dispendijs,non obstantibus aliquibus statutis,& ordinamentis factis,& fiendis, loquentibus in contrarium,vel aliquibus priuilegijs,vel prouisionibus factis & fiendis, quibus ex nunc prędicta statuta & ordinamenta sint & esse intelligantur derogata.

*De eodem.*

ITEM statuerunt, prouiderunt, & ordinauerunt, quòd ipse dominus potestas teneatur & debeat in suo regimine,& ante exitum sui regiminis, facere,& refici,& aptari stratas duas, scilicet, stratam Vercellēsem,& stratam Guilengi,a strata sanctę Mariæ,vsq; ad Bichochā, & dictam stratam Vercellensem a torriono sancti Lazari vsq; ad Aconiam.

*De eodem.*

ITEM quòd potestas, & rectores venturi teneantur,& debeant,scilicet primus potestas qui venerit,facere refici & aptari,secundum suprascriptas ordinationes, duas ex ipsis stratis in suo regimine,in pœna libr.quinquaginta imperialium,de suo salario.Et omnes alij rectores teneantur, & debeant facere refici quilibet de ipsis,stratas duas,dum fuerint factę, siue refectæ, secundum dicta ordinamenta in pœna libr. quinquaginta imperialium pro quolibet rectore seu potestate,de salario ipsorum.

*De eodem.*

ITEM quòd dominus potestates pręsens,& futuri,teneantur, & debeant mittere vnum ex
suis militibus,omni mense,ad inquirendum,& vidēdum si aliqui splanassent,vel posuissent
passonos in fossatis,pro tenendo pontes in dictis fossatis illarum stratarum quę fuerint refe
ctæ. Et ad inquirendum,si pontes facti ad stratas,attestātes dicte stratæ,essent splanati & de
structi. Et si inuenerint splanatum, vel destructum aliquod de prædictis, quòd scribi faciāt
contrafacientes. Et quòd dominus potestas teneatur eos condemnare in soldis quadragin
ta imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et nihilominus teneantur releuare dicta fos
sata,& columnas ammouere prædicti condemnati.

*De stratis reficiendis, ad petitionem habentium terras prope alias stratas, quàm superius memoratas.*

Item statuerunt, & ordinauerunt, quòd ad requisitionem, & petitionem sex bonorum hominum habentium terras & possessiones in curia Nouariæ, prope alias stratas quàm superius memoratas, vel per quas itur ad possessiones eorum, dominus potestas teneatur, & debeat reficere, refici facere, & refectas, & reaptatas tenere ipsas stratas per homines omnes habentes terras & possessiones ad quas itur per dictam stratam, seu per stratas prædictas. Et quòd prædicti sex habeat bayliam, & auctoritatē, auctoritate huius statuti, delato eis prius iuramento per dictum dominum potestatem, taleas, & onera imponere dictis hominibus euntibus per dictas stratas ad suas possessiones, & dictus dominus potestas dictas taleas impositas exigi faciat, ad petitionem prædictorum. Et si essent pauciores sex qui per stratas irent ad aliquas possessiones eorum, sufficiat requisitio vel petitio duorum.

*Quòd potestas teneatur facere squadras de prædictis stratis.*

Item quòd dominus potestas teneatur infra Calen. Maij facere de nouo squadras de stratis curiæ Nouariæ, & extra curiam, de quibus dictum est superius, eligendo bonos squadratores, & determinatores, quos iurare faciat de ipsis stratis squadrandis, bona fide. Et de impositione fienda communibus & nobilibus, & de equis portionibus faciendis. Et postea cōmunia, & nobiles, sicut eis assignatum fuerit, teneantur semper inantea aptare, & reficere, & aptatas, & refectas tenere, & ad hoc faciendum possint, & debeant cogi remedijs iuris per dominum potestatem presentem, & alios qui erunt per tempora, & per suos iudices, & officiales. Et teneantur potestates singulis sex mensibus sui regiminis, ire bis ad minus, vel suum vicarium mittere, ad videndum ipsas stratas, & defectus, si qui fuerint in eis. Itē quod dominus potestas teneatur facere determinari curiam Nouariæ ab alijs curijs. & pontes qui debent refici per commune, & alios pontes, qui etiam debent refici, per singulares personas, vel communia, per quas, & per quę communia districtus Nouariæ, etiam si fuerint extra curiam, de stratis verò curię Nouariæ, & extra curiam reficiendis, certa pars imponatur communi Nouariæ, & fiat per ipsum commune, secundum videbitur potestati, & sapientibus.

*De non amouendis aliquibus super crestis fortalitiarum Nouariæ & episcopatus.*

Statvtvm est, ad maiorem, & euidentem vtilitatem terrarum, quòd non possit aliquis rumpere, taliare, vel amouere crestam fortilitiarum, a parte deuersus castra, seu villas, vel terras, vel burgos, neque a parte de foris, nec aliquod impedimentum facere, vel imponere super ipsis, ripis, & crestis, & ripis de foris, & de intus: nec eas quomodolibet impedire, sed dimittere ad crestam, & non conuertere ad alium vsum, & hoc teneantur obseruare omnes homines, & communia locorum, cuiuscunque status, vel conditionis existant. Et hoc sub pœna, & banno librarum decem imperialium pro quolibet impediente, quarum medietas sit accusatoris, & denuntiantes teneantur secreti; & alia sit communis Nouariæ. Et quòd dominus potestas, & consules iustitiæ, & iudices collegij, teneantur sic obseruare, & consulere sub eadem pœna.

*Ut cuilibet liceat auertere aquam de alueo Aconiæ, per territorium Mōticelli, & a dicto territorio inferius.*

Item statutum, & ordinatum est, quòd cuilibet ciui Nouariensi, & districtuali, & subdito communis Nouariæ, & non alteri, auctoritate præsentis statuti, sit, & liceat auertere aquā & extrahere de lecto Aconiæ impunè, a territorio Monticelli inferius, & per territorium Monticelli. Et hoc pro faciendo molandina, vel prata, vel aliam vtilitatem, dummodo nō ducatur per terram alicuius personæ, & non detur damnum alicui personæ singulari, vel alicui communitati. Et dummodo dicta aqua postea reuertatur in lecto Aconiæ, & non liceat, nec licitum sit alicui non subdito communi Nouariæ, extrahere aquam de dicto lecto Aconiæ, sine speciali licentia, de qua concessione legitimè appareat per publicum instrumentum. Et qui contrafecerit puniatur, & condemnetur in libris vigintiquinque imperialium pro quolibet & qualibet vice. Et nihilominus potestas, & commune Nouariæ, etiam si expedierit populo conuocato, teneantur, & debeant stopare, & stopari facere buchas, quę fierent in ripis Aconiæ super districtu Nouariæ, pro auertendo, & extrahendo aquam

aquam de lecto Aconię per aliquem non subditum, & etiam teneantur destruere, & deuastare clusas, quæ fierent in Aconia per aliquem non subditum in districtu Nouariæ, a territorio Monticelli inferius, pro extrahendo aquam a dicto lecto Aconiæ.

*De custodibus campanilis sanctæ Mariæ.*

ITEM quòd ad custodiam campanilis sanctę Mariæ maioris debeant esse pro bona custodia duos custodes tantùm, nec possint plures custodes poni ad dictum campanile, nec possint ad dictum campanile esse aliqui custodes, qui extiterint rebelles communis vel guerram fecerint communi Nouariæ, vel domino vicario, vel communi Mediolani, vel contra Illustrissimum Dominum Ducem Mediolani, sub pœna & banno librarum centum imperialium, dandis & soluendis communi Nouariæ per illum qui ascenderit dictum campanile.

## DECLARATIO PONTIVM CIVITATIS, SVBVRBIORVM, ET DISTRICTVS NOVARIAE, EXISTENTIVM SVPER STRATIS MASTRIS,

Videlicet, per quos fieri, reaptari, & manuteneri, debent. Et quos pontes statuerunt, & ordinauerunt fieri debere prout infra.

*De porta sancti Agabij.*

PONS portę sancti Agabij Ciuitatis leuator fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus mortuus in fine portarū dictę portę fiat per cōmune Nouarię.

Pons vnus in dicto burgo prope Caritatē, per subtus quem ducitur aqua ad pratū Andrini Boniperti fiat per ipsum Andrinum, & habentes causam ab eo in futurum, de lapidibus, & calcina, nunc verò per Ioannem Marchum & fratres de Prinis.

Pons vnus leuator ad fractam dicti burgi fiat per conmmune Nouariæ.

Pons vnus ibi prope, per subtus quem labitur aqua ad prata domus sancti Ioannis de peregrinis, & ad alia prata circumstantia, fiat per præceptorem dictę domus sancti Ioannis, & per alios habentes commodū dictæ aquæ, de lapidibus & calcina: nunc verò fiat per pręceptorem, & heredes domini Petri de Bergiochis.

Pons vnus, per subtus quem labitur rugia vetus, fiat per commune Nouarię.

*De strata qua itur Ceredanum.*

PONS vnus, per subtus quē labitur aqua cyrpoi, ad prata illorum de Thetonis, & heredum domini Roffini Caballatij, fiat per ipsos de Thetonis, & heredes, & alios habentes comodū dictę aquę, de lapidibus, & calcina, nunc per Antonium de Rauizono Lafranchini, & per Lafranchinum Bonipertum Balzarini.

Pons vnus, seu cuniculus, per subtus quem labitur aqua ad prata fratrum sanctę Crucis, fiat per ipsos fratres de lapidibus & calcina, ita longus sicut est ampla strata.

Pons vnus per subtus quem labitur aqua rugiæ nouæ, fiat per fratres sanctę Crucis de bono lignamine, & assidibus quercoris, pro quo tenendo facto receperunt florenos triginta auri ad tabulam Lafranchini Boniperti.

Pons vnus vltra molandinum sanctæ Crucis, per subtus quem ducitur aqua ad prata domini Francischini Thetoni militis, fiat per ipsum dominum Francischinum de bono lignamine & assidibus, nunc per magnificum dominum Camiardum Torniellum militem, & heredes quondam domini Ioannis Captanei de Barengo.

Plancha vna ad transuersum Tardubium, fiat per communia Ceredani, Terchati, & Sozagi, ampla ad minus per brachium vnum.

*De strata qua itur Romantinum.*

PONS vnus per subtus quem labitur aqua cyrpoi ad prata illorum de Thetonis, & heredum domini Roffini de Cauallatijs, fiat per ipsos de Tetonis, & heredes dicti quondam domini Roffini, & alios habentes commodum dictę aquę, de lapidibus, & calcina, nunc per Antonium de Rauizono Lafranchini, & per Lafranchinum Bonipertum Balzarini.

Pons vnus, per subtus quem labitur aqua rugiæ nouæ, fiat per commune Nouarię.

Pons

Pons vnus ibi prope, per subtus quem ducitur aqua ad prata domini Franciſchini Thetoni militis, fiat per ipsum dominum Franciſchinum de lapidibus & calcina, & nunc per

Puniculus vnus vltra dictum pontem deuersus Tardubium, fiat per

Pons vnus ſuper Tardubium, fiat per communia Pernati, Romantini, Terchati, & Cameri, amplus per brachia quatuor, de bonis columnis, lignamine, & aſſeribus quercoris groſſis.

*De porta ſancti Stephani.*

PONS vnus iuxta dictam portam, intra rotas ſupra rugiam nouam, quæ eſt iuxta molandinū illorū de Carijs, qui pons eſt de volta lapidea, manuteneri debet per cōmune Nouarię.

Pons vnus qui appellatur pons plouarum, per ſubtus quem decurrit rugia vetus, fiat per cōmune Nouarię.

Pons vnus de volta lapidea, prope ſedimina illorum de Caualiano, & Anſelmini de minatio, per ſubtus quem decurrit rotella, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus leuator ad fractam Cameri, fiat per commune Nouariæ.

Pons mortuus ſequens, fiat per commune Nouariæ.

Pons alius tertius mortuus, fiat per Miniſtrum Caritatis, & per Zaninum Baliotum de lapidibus & calcina.

Pons vnus vltra dictos pontes, per ſubtus quem Miniſter Caritatis ducit aquam, fiat per ipſum Miniſtrum de lapidibus & calcina.

Pons vnus, qui eſt citra vineam quondā domini Obicini Teſtę, per ſubtus quem labitur aqua ſurzini ad pratum faxiolum Zanini Balioti, fiat per ipſum Zaninū de lapidibus & calcina.

*Super ſtrata Veureæ.*

PONS vnus leuator ad fractam de Veura, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus mortuus, qui eſt ſuper rugia, quæ deſcendit a molandino Sichaliorum, fiat per Miniſtrum Caritatis Nouariæ, & per Zaninum Baliotum de lapidibus & calcina.

Plancha vna ſuper Tardubio, fiat per communia Cauáliani, & Codemontis, Blanzagi, Olegij, & Dolzagelli, ampla per brachium vnum & dimidium.

Pons vnus ſuper rugia, quæ labitur ad caſsinam Bollinorum, fiat per illos qui tenent molandinum, & prata dictę caſsinæ, de lapidibus & calcina.

Pons vnus prope Caualianū, per ſubtus quē ducūt aquā illi de Catijs, fiat per ipſos de Catiis.

*De porta Cantalupi.*

Pons leuator vltra portam, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus lapideus mortuus, per ſubtus quem labitur rugia vetus, iuxta prędictum pontem leuatorium, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus lapideus mortuus, ſequens prædictum pontem, per ſubtus quem labitur rugia, quę deſcendit a molandino Sichaliorum, & quæ ſolebat venire per dictum burgū iuxta domos fratrum ſancti Simonis, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus lapideus, qui eſt iuxta domum illorum de caſarijs, per ſubtus quem labitur dicta rugia, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus leuator ad fractam Vignalli, fiat per commune Nouariæ.

Pons mortuus ſequens, fiat per commune Nouariæ.

Pons tertius ſequens, per ſubtus quem labitur rugia Sichaliorum, fiat per Miniſtrum Caritatis Nouariæ, & per Zaninum Baliotum.

Pons vnus qui eſt in territorio Iſarni, citra Caltignachā, in fondo pratorum dominorum de Catijs, per ſubtus quem ducitur aqua ad caſsinam Bollinorum, fiat per illos de Camero, & per illos de Bonipertis, & habentes cauſam ab eis occaſione prędictæ caſsinæ, de lapidibus & calcina.

Pons vnus prope Caltignacham, fiat per Ioanninum Catiam de domino Maffiolo, de lapidibus & calcina.

Pons vnus ad tranſuerſum Moglam ſuper ſtrata maſtra, fiat per commune Mommi, Vaueri, & Suni, de bono lignamine, amplus per brachia duo.

Pons vnus vltra hoſpitale barazię, in territorio Criſiæ, fiat per commune Criſiæ.

Pons vnus ad batriuſcham, fiat per commune Burgimaynerij.

Pons vnus ſuper Aconia vltra Burgummaynerium, fiat per commune Burgimaynerij, de lapidibus & calcina.

Pons

Pons vnus ad orium longum, super territorio Burgimaynerij, fiat per commune Burgimaynerij, de lapidibus & calcina.

*De porta sancti Gaudentij.*

Pons leuator ad dictam portam, fiat per commune Nouariæ.

Pons mortuus sequens intra notas, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus leuator ad fractam, qua itur ad Casellas, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus ad torrionum marzaliæ, fiat per habentes agere in braida & marzalia.

Pons vnus leuator ad fractam de barazollo, fiat per commune Nouariæ.

Pons mortuus sequens, fiat per commune Nouariæ.

Pons lapideus, qui est super strata, per subtus quem labitur rugia versus sanctum Antonium, fiat per commune Nouariæ.

Pōs qui est super rugia, quę labitur iuxta hospitale miniculorum, fiat per cōmune Nouarię.

*Super strata qua itur Romagnanum.*

Pons vnus, qui est vltra molandinum Tritiorum, fiat per Nigiū Boliotum de lapidibus & calcina, nunc per

Pons vnus iuxta pontem de molia, fiat per Francischinum Leonardum, & capellanum capellæ constructæ per quōdam dominum Obicionem de Mommo Archidiachonum Nouariensem, & alios solitos conferre ad dictum pontem conficiendum.

Pons vnus iuxta pratum, quod fuit illorum de Gritis, & modo est Mineti Reuelli, & fratrum, fiat per ipsum Minetum, & fratres, de lapidibus & calcina.

Pons vnus, qui est iuxta prata quondam Vberti, & Rubei, & quæ modo sunt heredum quondā Guifroni de Aconiato, fiat per dictos heredes, de lapidibus, & calcina.

Pons alius iuxta pontem prædictum, per subtus quem solebat ducere aquam Antoninus de Magro de Aconiato, & modo dominus Ambrosius de Rozato, fiat per ipsum dominum Ambrosium de Rozato, de lapidibus & calcina.

Pons super Aconia, fiat per commune Nouariæ.

Plancha vna parum post Aconiatum, fiat per communia Aconiati, Cisti, & Nibiæ. Et per habitantes in Camigliano, secundum eorum facultatem, ampla per brachia duo.

Pons vnus modicum super Aconiatum, per subtus quem labitur aqua deuersus mane, fiat per heredes Guifroni de Aconiato, & habentes causam ducendi ipsam aquam.

Pons vnus qui est prope viam qua itur ad molandinum Camigliani, per subtus quem labitur aqua versus sero, fiat per heredes suprascripti Guifroni de Aconiato.

Pons vnus qui vocatur pons tortus, super rugia noua, fiat per commune Nouarię.

Pons vnus, inter pontem suprascriptum, & pontem Stronæ, fiat per commune Nouarię.

Pons Stronæ, fiat per commune Nouarie.

Pons vnus sequens fiat de lapidibus & calcina per

Pons vnus super Briona, vbi dicitur in cassinali, fiat per illos qui habēt causam ducēdi aquā.

Pons vnus per medium Faram, per subtus quem ducitur aqua ad molandinum Farę, fiat per ducentes aquam.

Pons vnus citra Sicianū, per subtus quē ducitur aqua ad molādinum Siciani, fiat per ducentes aquam.

Pons vnus alius supra Sicianum, per subtus quem ducitur aqua ad molandinum Siciani, fiat per ducentes aquam.

Pons vnus super territorio Agamij, per medium prata, inter Sicianum, & Agamium, fiat per Ioannem de massario de Agamio.

Pons alius desuper Agamium, per subtus quem ducitur aqua ad molandina Agamij, fiat per ducentes aquam.

Pons canturinus fiat per commune Agamii.

Alij pontes, qui sunt super strata mastra super territorio Agamii, fiant per cōmune Agamii.

Pontes qui sunt super territorio Romagnani, fiant per commune Romagnani.

*Super strata Blandrena.*

Pons vnus citra sanctam Helenam, per subtus quem ducitur aqua ad prata Nigri Bolioti, fiat per ipsum Nigrum Boliotum.

Pons vnus vltra sanctam Helenam, versus Aconiam, fiat per monasterium sancti Antonii.

Pons vnus super Aconia fiat per commune Nouarię.

Pons

Pons vnus vltra Aconiam, per subtus quem ducit aquam Nicolinus de Cantono, fiat per dictum Nicolinum.
Pons vnus sequens lapideus fiat per ducentes aquam.
Pons vnus per medium Casinale illorum de Gritis, fiat per ipsos de Gritis.
Pons vnus circa turrim de Arriono, fiat per commune Nouariæ.
Pons vnus vltra suprascriptam turrim, fiat per heredes quõdam Guliermini Varoni & tenentes prata.
Pons vnus modicũ citra sanctum Petrũ, per subtus quem ducitur aqua ad prata Omarini pastoris, fiat per ipsum Omarinum, & per alios ducentes aquam.
Pons vnus per medium portam sancti Petri, fiat per ducentes aquam.
Pons vnus infra sanctum Petrum versus sero, per subtus quem decurrit aqua molandini sancti Petri, fiat per
Pons vnus Stronę fiat per commune sancti Petri pro parte, & per cõmune Moxitij pro aliis duabus partibus.
Fiat põs vnus per medium Zotegum, de bono lignamine, per Ministrum Caritatis Nouarię, & per Obecinum fabrum.
Pontes duo sequentes fiant per Obecinum fabrum.
Pons alius sequens, qui vocatur pons mali mariti, fiat per Ioannem fabrum, & per Obecinum Fabrum.

*Super strata Vercellensi.*

Pons vnus leuator ad fractam sancti Lazari, fiat per commune Nouariæ.
Pons mortuus sequens fiat per commune Nouariæ.
Cuniculus vnus per medium ecclesiam sancti Lazari fiat per pręsbiterum & hospitale sancti Lazari.
Pons vnus inter molandinum magnum, & domum sanctæ Marthæ, fiat per domum sanctæ Marthæ de lapidibus & calcina.
Pons vnus inter pontem sanctę Marthæ, & pontem magnum Aconię, fiat per domum sanctæ Marthæ.
Pons Aconię magnus, prope domum sanctæ Marthe, fiat & reficiatur per domum S. Marthæ.
Pons qui appellatur pons de lasagna, fiat per commune Nouariæ.
Pons qui dicitur pons de Pisnarolo, fiat per præpositum sanctæ Mariæ de Pisnarolo.
Pons de lecta fiat per communia Granotii, Monticelli, Lumenonii, & Paliatę.
Pons de Casalligallo, fiat per dominos de Casalligallo.
Pons de la turre sancti Gabrielis, fiat per cõmunia Casalini, Archamariani, Ponzanæ, Fissérengi, Pisnengi, & Olfengi.
Pons qui appellatur pons del Pralono, fiat per commune Archamariani.
Pons de la Strona, penes locum Archamariani, fiat per Olriginum Scarlam, filium quondam domini Alarii, & heredes quondam Idoardi Scarlæ, & heredes Chinatii Scarlę.
Pons vnus sequens, iuxta locum Archamariani, fiat de lapidibus & calcina per ducentes aquam.
Pons vnus, qui est in loco Archamariani per medium castrum, fiat per communia Archamariani, & Casalini.
Pons vnus in loco Archamariani, super Girũda, fiat de bono lignamine, amplus per brachia duo, sic quòd super eo possit equitari: Et hoc per commune & nobiles, & habitantes in loco Archamariani.
Pons extra locum Archamariani, qui appellatur pons Vallis Ghisbardæ, fiat per commune Nouarię.
Pons qui appellatur prati gualnagi, fiat per heredes quondam domini Guielmini Varoni, habentem causam ducendi aquam.
Pons qui dicitur pons prati de olio.
Pons qui appellatur põs de la plebe, fiat per Filipponum de la Stricta, & Bartolomeum filiũ Gaphini de Arcamariano, præsbiteros, & clericos dictę plebis.
Pons hospitalis fiat per dominum Romagnolum Torniellum, Serafinum domini Vexandi de Arcamariano, & Ioncellinum, & Martinum de Cumis.
Pons vnus post dictos pontes super dicta strata, fiat per heredes quondam domini Tho-

masini de Fisserengo.

Pons vnus alius penes locum Olfengi.

Pons vnus,extra locum Olfengi super rugia noua, qui appellatur pons rugiæ nouæ, fiat per commune Nouariæ.

## *De porta sanctæ Mariæ.*

PONS vnus leuator portæ sanctę Mariæ, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus leuator,ad fractam dictę portę,prope sanctam Crucē,fiat per commune Nouarię.

Pons portę burgi portæ nouæ, fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus ad torrionum de maschalo suprascriptæ portę,fiat per suprascriptum commune, vtsupra.

Pons vnus,seu cuniculus,per medium terræ Omarini Piscatoris,fiat per cōmune Nouariæ.

Pons vnus super Albonea per medium pratum domini Ottonis de Leonardis,fiat per habentes prata in Varolis.

Pons vnus desubtus Bichocham,fiat per communæ Nouariæ.

Pons vnus per medium sanctum Nazarium de la costa,fiat per Grampam Bonipertum.

Pōs vnus lapideus in capite vineæ magistri Mineti de Barchiocho,fiat per cōmune Nouarię.

Pons vnus per medium vineam Monasterij Vallis Vmbrosę,& heredum quōdam Ioannis Bolioti,fiat per commune Nouariæ.

Pons vnus super strata de Tardubiate,fiat per illos de Bonipertis ducentes aquam ad prata sua de Garbanea.

Pons vnus per medium Calzauacham,fiat per communia,& nobiles Tardobiati, Tornigi, & Graualonæ.

Omnes pōtes super Albonea,intra Ciuitatē,super stratis mastris,fiāt per cōmune Nouariæ.

## FINIS LIBRI QVINTI.

# CONFIRMATIO STATVTORVM CIVITATIS NOVARIAE FRANCISCI SFORTIAE PRIMI, DVCIS MEDIOLANI.

*Dux Mediolani, &c. Papiæ, Angleriæq; Còmes, ac Cremonæ Dominus.*

*DILECTI nostri. Cum iamdudum mente nostra voluissemus, quid magis posset subditis nostris couducere, & ipsorum subditorum rē communem augere, & gubernare, tandem perspeximus, nihil aptius sanctiusué, ad ipsius Reipublicæ augumentum, & conseruationem accedere posse, quàm vt statuta & ordines in ciuitatibus, & terris ditioni nostræ suppositis existentia & vigentia obseruarentur, nec minus quòd si quis excessus, aut defectus adesset, corrigeretur. Non multum post hanc nostram cogitationem fuere nonnulli ciues illius nostræ ciuitatis, honestæ & probatæ vitæ, & qui admodum ipsius Ciuitatis commodum caripendunt, qui nobis significarunt nonnulla statuta & ordines illic vigere, qui reformatione & moderatione indigebāt, & qui magnum ipsi Ciuitati detrimentum afferebant. Ob quas res magnoperè cupientes pro cōmuni bono, & vtilitate ipsorū ciuium, huiusmodi defectus corrigi, deliberauimus, ad prædictam Ciuitatem mittere probos, & bonæ conscientiæ viros, ac in similibus expertos, qui ipsos ordines, & statuta prædicta bene & diligenter examinarent, & digererent, & sic digestos, ponderata & reformata in quodam volumine redigerent. Pro cuius quidem mentis & deliberationis nostræ exequutione, dehinc misimus illuc spectabilem Petrum Cottam, & dominum Syllanum de Nigris Consiliarios nostros dilectissimos, qui visis & diligenter examinatis ipsis statutis, & ordinibus, vnà cum alijs notabilibus Ciuibus prædictæ Ciuitatis, per illam Communitatem electis, videlicet, Iurisperitis nobilibus, Causidicis, & Mercatoribus, ac alijs ciuibus, eos & ea, vbi opus, & eis visum fuit, moderarunt, reformarunt, & correxerunt, & in quodam volmine redigi fecerunt: quod deinde per Reuerendos & Spectabiles de Consilio nostro Secreto approbatum fuit. Sed quia accepimus ipsorum ordinum, & statutorum reformationem per præfatos Consiliarios nostros, & suprascriptos Ciues factam nondum in Ciuitate illa obseruari. Propterea non intendentes, vt ea quæ tanto studio, magnaq. cura, & diligentia facta fuere, & quæ prædictis Ciuibus, & potissimum qui virtutibus dediti sunt, & quietè viuere student, maximam vtilitatem allatura sunt, pereāt, & ineffieacia reddantur: Vobis scribimus, & mandamus, quatenus pro obseruatione huiusmodi reformationis, in locis publicis & cōsuetis iā dictæ Ciuitatis, publicas proclamationes fieri faciatis, dehincq. in volumine Decretorū Ducaliū, & Statutorū ipsius Ciuitatis dictas reformationes inseri, & describi faciatis. Ita quòd perpetuò, & inuiolabiliter, & sine vlla additione, vel diminutione obseruētur. Dat. Mediolani die 17. Nouēb. 1460.*

*Subscripta, Vicentius. A tergo, Nobilibus & prudentibus viris Potestati & Præsidentibus negotijs Ciuitatis nostræ Nouariæ.*

# LIBER SEXTVS STATVTORVM CIVITATIS NOVARIAE.

## *De parentibus, agnatis, & cognatis compellendis ad compromißa.*

STATVTVM est, quòd si aliqualis quæstio, vel cõtrouersia est, vel erit inter aliquos ascendẽtes, vel descẽdẽtes, absque gradus distinctione, vel inter coleterales vsque ad quartũ gradũ inclusiuè, secundum iura canonica cõputandũ, quòd potestas Nouariç, vel D. Cõsul iustitiç Nouariæ aditus per aliquã partiũ causis, locis, tẽporibus, personis, necnõ aliis facti & negotii circũstãtijs, discretionis oculo diligẽter inspectis, præfatos discordes ad cõpromissum sub ea forma, quæ ei placebit, faciendum in arbitros, & arbitratores, vnum, vel plures, prout ei videbitur expedire, omnibus iuris remedijs cogere & compellere possit: ceterum, quando ei ob aliquam rationabilẽ causam nõ videbitur conueniẽs, ipsos ad faciẽdum compromissum astringere in ipsorũ causis summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iuditij procedere, & quanto celerius poterit ipsas causas terminare festinet.

*De eodem.*

ITEM statutũ est & ordinatum est quòd sentẽtiæ & precepta arbitrorũ, seu arbitramẽtorũ, & amicabilium compositorum, quę fierent inter aliquas partes compromittẽtes, cuiuscũque cõditionis existãt, supposi tas iurisdictioni Nouariæ, debeãt executioni mãdari, sicut mãdarentur sententiæ iudicũ, vel cõsulũ iustitiæ Nouarię, nisi pars quę voluerit dicere se grauatã, infra triginta dies, a tempore sententiæ computatos, petierit oblato libello, ipsa arbitramenta debere educi ad equitatem, vel ad arbitrium boni viri, vel eam reformare, qua parte infra menses nouem sic continuos debeat questio termininari, qua quęstione terminata, vel per lapsum temporis, vel per difinitiuã sententiã, si sententia arbitrorũ, vel arbitramentorũ fuerit confirmata, debeat mandari exequutioni, ne possit vlterus appellari, & iudices, & consules iustitię Nouarię, corã quibus reductionis quęstio vẽtilabitur, teneatur vinculo sacramẽti, totis viribus prohibere exceptiones, cauillationes, & subterfugia, ac dilationes superfluas, quibus quoquomodo impediretur procedi in causã, & quolibet tẽpore, tam messium, quàm vindemiarum in dictis causis procedi possit: & iudices collegij, quibus dictæ causę cõmitterentur, teneantur & debeant dare eorum consiliũ in scriptis infra mensem vnum a die comissionis sibi præsentatæ, aut infra triduum renunciare cõmisioni, & si non fecerit dictus Comissarius puniatur, & condemnetur in soldos centum imperialium, qualibet vice, quæ pœna communi Nouarię applicetur.

## *De stratis reficiendis, & aptandis etiam per terras infeudatas, aut separatas.*

DVX Mediolani &c. Dilecte noster. La Cõmunitã, & homini nostri di Nouara, hãno fatto esponere quello che vedrai per la inclusa supplicatione sua, & perche il cõciare delle strade è vn cõmodo, & ben vniuersale, il quale non si debbe lassar di fare, ma con ogni cura e dilgẽza si debbe sollicitar che se facciano secondo li laudabili antiqui ordini, & cõsuetudini della Citta & paese, ti commettemo & volemo, che debbi prouedere, e fare cõ effetto che le strade del Nouarese se accõciano, astringẽdo tutti quelli che sono soliti a cõtribuire a simili refectioni, & reparationi, & circa questo osseruarai quello che è solito a esser osseruato per lo passato. Dat. Papiæ 17. Martij. 1476. Subscripta. Cichus, A tergo

Nobili viro Ambrosio Mirabilia Potestati Nouarię nostro dilecto.

Illustriss. & Excell. S. Licet in lo Vescouato di Nouara tutti li communi, & homini di quello Vescouato siano tenuti alla cõtributione delle strade, quale si fãno acõciare ogn'ãno in Nouarese, secõdo la tassa a lor data, modo, sono alcune terre le quali nõ voleno cõtribuire sotto pretesto, che sono priuilegiati, perche sono infeudati, & che hãno lettere de non contribuire, il che cederia in grã dãno delli vostri fidelissimi seruitori Cõmune, & homini di Nouara, & Nouarese, e massime essẽdo questo vtile della Republica, & che alcuno nõ dee esser esente da simili carichi. Supplicano humilmẽte la prefata S. V. che si degni per sue lettere mãdare e cõmettere al podesta suo di Nouara, che debbia astringere li homini di caduna terra d'esso Nouarese a contribuire alla refettione e reparatione d'esse strade, secondo la tassa a loro data, come hãno fatto per lo passato inãte le loro infeudationi, seu cõcesioni: altramente le dette strade remaneranno guaste, per modo che non se potrãno vsare, che non crediamo che la S. V. lo debbia comportare, alla quale sempre se recomandano.

Exequ-

*Exequutiones condemnationum pontium, stratarum, sequellarum, ponderum, & mensurarum.*

DILECTE noster, quoniam ad nos querimoniam detulit communitas istius nostrę Ciuitatis, de renitentia qua vtuntur iusdicentes feudetariorum nostrorum agri Nouariensis, circa exequutiones condemnationum, quę per te in locis feudatis ex causis pontium, stratarum, sequellarum, ponderum, ac mensurarum, & aliarum ad offitium vestrum ex forma statutorum isthic vigentium, spectantium vt ex inclusa supplicatione vberius cognosces. Cum ergo res hæc prouisione digna videatur, tibi scribimus atque committimus, vt omni vtaris diligētia ad exigendas, & consequendas huiusmodi condemnationes tam factas quā fiendas in quibuscunque locis districtus communis Nouariæ, tam mediatis quàm immediatis: prout actenus, & retroactis tēporibus fieri cōsueuit, cōcedētes tibi facultatē requirēdi, iubēdi, & præcipiēdi nomine nostro, etiā sub pœnis Camerę nostræ applicādis, quibuscunque offitialibus, iusdicentibus, ac consulibus, communibus, & hominibus dictorum locorum, vt nō modo nō præsumāt se opponere & prohibere huiusmodi exequutiones, sed tibi ad illas faciendas, auxilium, & fauorem quemcunque expedientem prebeant, prout nostrę intentionis existit. Dat. Mediolani quintodecimo Maij. 1481. Studebis tamen vt homines grauioribus damnis & molestijs non afficiantur. Dat. vt supra signat. B. Calcus. A tergo Nobili viro prætori Nouariæ pręsenti, & futuro nostro dilecto.

ILLVSTRISS. & Excellentiss. Princeps, Vigent statuta in ciuitate Nouariæ pro condemnationibus fiendis per dominum potestatem, tam pro stratis quàm pro pontibus, & sequellis, etiam pōderibus, & mēsuris, & alijs spectantibus ad officiū pręfati D. Potestatis, & pro quibus condemnationibus consueuit in memoria viuentium opportunè prouideri salario prę fati D. Potestatis, & nuper contigit quòd iusdicentes in locis infeudatis districtus Nouarię videantur se opponere, ne dictus D. Potestas Nouarię exequi possit dictas condemnationes, contra solitum, & vsitatum, tam per ipsum quàm antecessores & pręcedessores suos. Quòd si per Excell. vestram tolleraretur, cederet in damnum, & pręiudicium Ducalis Cameræ, necnō cōmunitatis Nouarię prædictæ. Quamobrem supplicatur humiliter parte ipsius communitatis Nouarię, quatenus dominatio vestra dignetur præmissis opportunā adhibere prouisionem, per modum quòd dictus D. Potestas, eiusq; vicarius & iudex mallefitiorum possint & valeāt exequi & exequi facere ipsas cōdēnationes, tā factas quā fiēdas, in quibuscunque locis, & terris etiam infeudatis, & alienatis tā per Eccell. vestrā, quā per Ill. D. D. Duces Mediolani pręcedessores vestros, mandando quibuscunque iusdicentibus in locis, & terris prædictis ac hominibus & consulibus ipsorum locorum, & terrarum, quòd sub pœna indignationis D. vestræ patientiam præstent vt dictæ condemnationes exequantur, & exequi valeant de cetero, prout fieri cōsueuit per tempora retroacta, prout firmiter credit ipsa fidelissima communitas Nouariæ, Excellentiam vestram facturā, cui humiliter se &c.

*De Consilio maiori Nouariæ secundum statutum antiquum maioris numeri, nunc reducto ad sexaginta tantùm, dicto statuto abolito.*

IN nomine domini amen, Anno natiuitatis eiusdem, millesimo quadrigētesimo, quinquage
simo indictione tertiadecima die sabbati vigesimo primo mēsis Februarii, hora in tertiis,
simo indictione tertiadecima die sabbati vigesimo primo mēsis Februarii, hora in tertiis,
in palatio cōmunis Nouariæ, videlicet, in camera rationatorū vbi fiunt consilia priuata ci
uitatis Nouariæ. Nos Polidorus de Balionibus de Perusio miles, Locumtinens generalis
& Comissarius, & Ioannes de Angelellis legum doctor, Potestas, & Vicecomes spe-
ctabilis D. Manfredi de Guarambellis de Parma Capitanei Citadellę Ciuitatis Noua-
rię ad infrascripta faciendum deputatus, vt constat publico instrumeno surrogatonis, tra
dito, & abreuiato per Arasmum de Vicecomitibus de Inuoric, sub anno & mense præ
sentibus die verò vigesimo mēsis Februarii, hora octaua, pro Illustriss. & Eccellentiss. princi
pe D. Francisco Sfortia Vicecomite Comite Papiæ &c. viso prius & pluries examinato sta
tuto posito in volumine aliorum statutorum libro primo capitulo 35. sub rubrica de his
qui debent eligi ad consiliū maius & priuatum, & spetialiter ipsa examinatione facta cum
sapientibus & deputatis actenus ad consilium, & negotia dictę ciuitatis Nouariæ inferius
nominatis, & qui pręfuerūt gubernio, & regulationi dictę ciuitatis Nonarię: a morte Illu-
str. & Eccelltiētiss. Domini D. Ducis Philippi Mariæ olim Ducis Mediolani & D. huius ciui
tatis prædictę, videlicet cū spectabilibus, & nobilibus viris D. Zanardo de Torniellis, Iane

de la Porta Milite: Baldasare de Brusatis, Tomasio Cacia, Serafino de Nibia, Bartolomeo Porcha, Aldino de Cicadis, Gaudentio Alzalendina, Paulino Leonardo, Guidoto de Barba, Francisco de Aduocatis, & Bernardo de Plotis, qui omnes cócordes vnanimiter omnem eorum potestatem auctoritatem & Bailiam, ad infrascriptum consilium faciendum, firmandum, & concordandum nobis suprascriptis dederunt & contribuerunt, vt apparet in rogationibus Arasmini de Vicecomitibus de Inuorio factis de anno præsenti & die 4. mensis Iunij proximè prę teriti hora prima noctis. Cum ergo ita sit quòd communitas prædicta, per mortem prælibati D. Ducis ipsis cõsilijs priuato & generali, careat visaq; bailia & potestate nobis in hac parte & hoc loco per pręnominatos attributa de eligendis & posse id eligere iuxta formam statuti, sexaginta bonos viros ciues ciuitatis Nouariæ, qui sint & esse debeant de consilio generali dictæ ciutatis, & prout latius continetur in instrumento super vnius licentiæ ipsius bailiæ vtsupra attributæ rogato & tradato per suprascriptũ Arasminum de Vicecomitibus anno mense & die in eo contentis, ac aliàs omnimodo, via iure & forma quibus melius possumus & debemus, & specialiter ex arbitrio nobis omnibus locumtenentibus, & comissario ac potestati & capitaneo, & cuicũq; nostrorum attributa per suprascriptos nominatos, Sedentes pro tribunali super banco ibi sito, & quod bancum elegimus & eligimus ad hanc nostram electionem, & nominationem, atq; annullationem faciendam, & ad infrascripta facienda & adimplenda: Christi ac Beatæ Virginis eius matris, necnon Beati Gaudendij patroni huius Ciuitatis nominibus inuocatis, & subsidijs pariter imploratis, infrascriptos omnes & singulos ciues ciuitatis Nouarię numero sexaginta, tãquã bonos viros, idoneos, nobiles, & sufficientes ad ipsũ consiliũ generale dictę communitatis Nouarię eligimus, nominamus, & auctoritate & bailia nobis concessa vtsupra, deputamus, vnà cum auctoritate & bailia, videlicet quòd ipsi inferius nominati numero sexaginta, tãquã homines de cõsilio generali, qui decẽter represẽtẽt & represẽtabũt consilium generale dictæ communitatis Nouariæ, possint & valeant & debeant, vnà cum præfato domino potestate vel eius vicario, quotiescunq; fuerint vocati sono campanæ, vel per pręconem, vel seruitorem, examinare ea quæ exponentur per ipsum dominum potestatem vel eius vicarium & successiuè per successores suos, coram eis in omnibus & per omnia prout disponitur ex forma statuti, decernentes & declarãtes quòd quicquid examinatum, prouisum, ordinatum, & conclusum fuerit in ipso consilio, vbi sit ad minus numerus vigintiquatuor requisitorum ex forma statuti & congregatorum & conuocatorum more solito, sit validum, & roboris firmitatem obtineat, secundum formam statuti dictæ ciuitatis Nouariæ, reseruata nobis potestate eligendi, & successoribus nostris, alios & alias vsq; & quantum requisitum fuerit ex forma statuti pro consilio creando & faciendo, quod consilium durare debeat spatio vnius anni proximé futuri a die huius nostrę prolationis, & plus & minus arbitrio prælibati Illustriss. D. D. nostri comitis Frãcisci Sfortiæ Nouariæ Domini. &c. Item annullamus & reuocamus omne aliud cõsilium vsq; in hodiernum diem obseruatum. Nomina quorum sexaginta deputatorum ad dictum consilium generale sunt hęc, videlicet.

DOMINI.

Zanardus de Torniellis.
Thomasius de Catijs.
Petrus de la porta.
Ioannes de la porta
Baldasar de Brusatis.
Bartholomeus de Catiis.
Serafinus de Nibia.
Gabriel de Leonardis.
Aldinus de Cicadis.
Stephanus de Rauizonibus.
Franciscus de Aduocatis.
Obecinus de Baliotis.
Paulinus de Leonardis.
Dominicus de vemenia.
Baldasar de Brusatis Leg. doc.
Oldricus de Torniellis.
Iacobus D. Bergontii de Brusatis.
Maffeus de Torniellis.
Ioannes maria de Fortibus.
Bartholomeus D. Ioannis de catijs.
Filippus de Scriuantis filius quondam domini Andrini.
Ioannes Thomas D. Bartholomei de Barbauariis.
Antonius de Vespolato.
Gregorius de Piscatoribus.
Bartholomeus de Porciis.
Iacobus de Manno.
Gaudentius Alzalendina.
Andrinus de Tetonis.
Dominicus de Languidis.
Guidetus de Barba.
Petrus de Scauris.
Petrus de Berchiochis.
Augustinus de Maio.
Balsarinus de Bonipertis.

Marchi-

Marchinus de Arduinis.
Filippinus de Baldo.
Bertolinus de Boxio.
Bertolinus Capitaneus Casalegii.
Lafranchinus de Boliotis.
Ioannes Andreas de Vellatę.
Opicinus de Reueslate.
Cominus de Magnano.
Philippus de Varonis.
Antonius de Prinis.
Ioannes de Zaferis.
Quiricus Captaneus Castelleti.
Antonius de Paltrois.
Francinus de Gritis.
Iacobinus de Buziis.
Deffendens de Baliotis.
Archangelus de Nibia.
Guilelmus de Malisartiis.
Petrinus de Caualiano.
Antonius de Valentibus.
Bernardus de Plotis.
Sessinus de Sesso.
Bartholomeus de Galarate.
Lafranchinus de la Porta.
Andrinus de Cimiliano.
Mundinus de Aduocatis.

Et inde plures cartę fieri iussæ sunt, actū vt supra, pręsentibus Soldano de Brixia filio quondam Ottini, Bartholomeo de Bonipertis filio quondam D. Andrini, Baptista de la porta filio D. Ioannis Thomę, Ardicino de Vespolato filio Gregorii, & Simone de Gritis filio Francini ciuibus & habitatoribus ciuitatis Nouariæ, testibus notis, ad præmissa vocatis & rogatis. Subscriptum hoc modo, videlicet, omisso signo sui tabellionatus.
Ego Frācischinus de Ysimbardis filius quōdā D. Bartholomei Not. publicus D. Potestatis & cōmunis Nouariæ, suprascriptū instrumētū rogatus tradidi & abreuiaui scripsi & me subs.

## *De consilio nouo Nouariæ extrahendo.*

Dux Mediolani &c.

Dilecte noster. Sono venuti da noi Vberto Cataneo e Deffendente Baliotto vostri mesi, quali sotto vostre lettere de Credenza in vostro nome fra l'altre cose, ci hanno sotto la richiesta contenta nell'inclusa supplicatione: Quale considerata per beneficio & comodo de quella Communità, decernimus, & declaramus, che nell'auenire quando comencia vno Cōseglio nouo de 15. che insieme cō li noui restino per spatio de vno mese doi delli antecessori quali doi se debbiano cauare della bussola a sorte. Et cosi ordiniamo se debbia essequire.

B. Calchus.

Mediolani die 28. Martij. 1485.

A tergo Nobilibus viris Pręsidentibus negotiis vrbis Nouariæ nostris dilectis.

Illustr. & Eccel. Signore Clementissimo, se ritroua in quella vostra Citta di Nouara, che li Consiglieri d'essa Citta, sono 60. cittadini numero & imbussolati, & ogni tre mesi fora della bussola delli detti 60. se ne caua 15. vsq; in finē anni. Et da poi se torna a fare il simile ogni anno, per modo che ogni tre mese 15. hanno da consigliare le cose de quella communità. Et essendo loro noui consiglieri, & liquali non hauendo informatione alcuna delle cose fatte per li precedenti consiglieri, accade souēte che fanno alcune prouisioni cōtrarie delli consiglieri precedēti, & lassano cose assai inconsulte. Ideo per parte d'essa cōmunità, se suplica a vostra Eccellēza voglia concedere a detti Presidenti, quādo accade finire il termine delli 15. & che se estraheno li altri quindeci de bussola, che in quello cōseglio remāga doi del conseglio antecedente insieme con li altri quindeci & cosi se faccia cōtinuè. Et che detti doi habbiano voce in conseglio come li altri, acciò le cose passino con debito ordine.

## *Sententia Excellentiss. Senatus Mediolani, super ordine procedendi in Consilio Nouariæ: & super alia nomine Ciuitatis extra consilium facienda.*

PHILIPPVS DEI GRATIA Hispaniarum, vtriusque Siciliæ &c. Rex, & Mediolani Dux &c. Relatis in Senatu nostro pręcibus & responsis agentium egregiæ Ciuitatis Nouariæ, & illorum de Torniellis & de Brusatis, tenoris sequentis videlicet. SERENISSIME REX Ciuitas Nouarię fidissima Maiestatis vestrę seruitrix, Cum nuper de precedētia oriri differentias in eius consilio videret, dubitans ob id, ne scandala orirentur, prout aliàs orta fuerunt, & vt bono regimini conueniebat, ipsa Ciuitas regeretur, ad tollendum ipsa scandala, in eius generali consilio fecit ordinationem,

Quòd nulla penitus habita Familiarum ratione, in omnibus actibus ipsius consilij, in ipso consilio & extra, & dependentibus ab eo, & a publico, seniores præcedant iuniores, exceptis Doctoribus, & Feudatarijs, habentibus dignitatem annexam, qui licet iuniores, preccedere deberent, eo addito, quòd dicta ordinatio per Maiestatem vestram confirmaretur, & prout latius in ea, quę exhibetur. Verum cum dicta ordinatio perfectam habere non possit exequutioné, nisi medio Maiestatis vestræ, Ciuitas ipsa supplex eam exorat, ad tollendum omnes discordias, quæ in administratione rerum publicarum oriri de facili in futurũ possent, dignetur dictá ordinationem per eius patentes literas confirmare, vt speratur. &c.

DICTVM fuit ordinandum esse, vt nulla prorsus habita ratione, vel discrimine familiarũ, aut personarum, vel dignitatum quarũcunque, in actibus publicis, qui fieri contingent extra consilium ipsius Ciuitatis, sicuti electio ipsa personarum, quæ aliqua munera obire debent, pertinet ad ipsam Ciuitatem, seu Præsidentes, & Consiliarios eiusdem, ita eidem, seu eisdem liceat dictis sic electis legem imponere, qui nam præire, qui vè primo vel secundo loco loqui debeat, & hoc omni tẽpore, & qualibet vice, quibus huiusmodi fieri cõtingẽt. In actibus autem qui fient in consilio, vt in sedendo, proponendo, & alijs quibuscunque, nulla habita ratione vt supra, seruetur is ordo, vt præcedant hi qui primi tempore asciti sunt in consilio, quòd si plures vno & eodem tempore asciti reperiantur, inter eos seruetur ætatis pręrogatiua, vt ætate maiores iuniores præcedant. Nec aliquis vtatur in loco Consilii subselliis, aut sedilibus proprijs, sed tantùm his quæ ad eum vsum publicè destinata fuerint per Ciuitatem, aut illius Præsidentes, & hæc obseruentur, absque aliqua penitus contradictione, aut oppositione, sub pœna aureorum quinquecentum, & amissionis Consilij, & vocis, & grauiore arbitrio Senatus. Quam pręfati ordinis mentem nos quoque laudantes, mandamus quibus spectat, vt ita seruent, & exequãtur. In quorum fidem & testimonium pręsentes nostro sigillo munitas fieri, & registrari iussimus. Dat. Mediolani die xxvj. Augusti Anno Domini M.D.LXVI.

Sigillata sigillo Regio. Et subscripta. Io. M. Cat.

*De iurisdictione dominorum Potestatis & consulum per comissarios nõ occupanda & de mulctis & condemnationibus applicandis communi Nouariæ.*

DILECTISSIME noster, inteso quanto n'hai scritto per la tua lettera de 27. del presente, circa del principio & ordine dato ad aconciare le strade publiche, & ponti di quella nostra Città, & Vescouato, non occorre altro dire, se non che ti comendiamo de la diligenza tua, & che debbi perseuerare & essequire quãto t'habbiamo commesso appresso. Et perche tra le altre cose, che ne hãno referto li ambasciatori di quella nostra cõmunità, nouamente venuti da noi, ne hanno richiesto a nome di quella communità nostra che vogliamo prouedere che tu non te intrometti de cause ciuili, & de la iurisdittione ordinaria spettante al Podestà, o alli Consoli. Però parendone honesta la domanda loro, ti comandiamo, & volemo, che debbi solum attendere alle cose pertinenti al stato, & al bon gouerno & conseruatione di quella Città, & non te impedire di causa alcuna ciuile, e particolare, ma remetterle, & lasciarle andar a li soi ordinarij, se non ti fosseno commesse, o delegate per nostre lettere, seruando li ordini & decreti nostri super inde disponenti. Et occorrendoti fare alcune mulcte o condannationi, che spettano a la communità drittamente, aplicare & mandare ad essa communità, & doue spettano debitamente secondo li ordini, accioche le cose vadano per la via sua, & quella cõmunità non si possa meritamente dolere, che li siano estorte le preeminentie, ne cõmoditadi sue. Dat. Mediol. die 30. Martij. 1492. B. Calchus.
A tergo, Egregio viro Comissario Nouariæ nostro dilectissimo.

*Confirmatio Decreti de maiori magistratu contra Borromeos pro Burgoticino, Suno, Gatico, Reueslato, Veruno, Bugonio, Cressia, Agrato, Dormeleto &c.*

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, Mediolani Dux. &c. Dilecto Potestari & comissario Nouariæ nostro salutem. Litteris vestris intelleximus quòd omnes fere habentes iurisdictionem in quibusuis villis & opidis agri istius nostri Nouariensis, per nos in feudi vel donationis titulo concessam, limites eorum iurisdictionis excedere audentes, decretum nostrum maioris magistratus in cõtemptum deducere præsumunt, quod quidem egrè plurimum tulimus: nec nisi mirari potuimus, quòd contra ipsos feudatarios talia audentes, vos met, vt officij vestri est, non deueniatis ad declaratio nem pœnarum in decreto ipso contentarum

contentarum. Quare cum velimus ipsum decretum inconcussè obseruari, volumus & vobis committimus vt condemnetis transgressores ad pœnas amissionis feudi, & alias in eo cõtentas, & eis condemnatis nos litteris vestris quàmprimum certiores reddetis. Cum velimus omnino illas exequi debere. Et in specie transmittetis pręcepta Comitibus Borromeis seu ad loca eorum, vel officialibus eorum, quæ perinde ac si ipsis Borromeis & cæteris quibus, trãsmitti occurrerit valere decernimus, ac si personaliter pręsentata fuissent ipsis Borromeis & aliis, vt sub pœnis in illo decreto contentis, illos duos raptus reos, Aronam vt dicitis conductos ad cognitionem vestram, tamquàm maiorem Magistratum spectantes, quàmprimum consignent, & vbi inobedientes essent, quod non credimus, ad condemnationem deuenietis, vt officij vestri est. Plura etiam in literis vestris seu memoriali dicitis prouisione indigere, quibus omnibus per decreta nostra iam diu adhibita est prouisio, quæ effectum demandare muneris vestri erit, decreta ipsa perquirendo, quibus disponitur quòd villę vbiq; ditionis nostrę eligere habeāt cõsules ad denuntias delictorũ faciendas, quod què eas omnino facere teneantur prętoribus nostris, & quòd familiam ipsorum prætorum vbique illesam obseruent, censuimus, cum inobseruantiam memoratorum decretorũ eò exorari vt diffidiæ & tollerantię pręrorum imputandum sit, vt proinde in contemptũ deducantur. Dat. Mediolani die decimo Octobris millesimo quingentesimo nono, & regni nostri duodecimo. Per Regem Ducem Mediolani, ad relationem Consilij. Signatum, Castellioneus, & in angulo, Ioannes Igneus.

*Confirmatio Decreti de maiore Magistratu.*

ILLVSTRISS. & Eccellentiss. Princeps. Nouit. Eccellen. V. quantum sit vtile Decretum maioris Magistratus, tam Excell. V. quàm ciuibus Ciuitatum eiusdem Excell. quantaque diligentia & solertia fuerit ęditum, & actenus obseruatum, quia si tale decretum non esset, Excell. V. non esset Princeps, & eiusdem officiales iurisdictionem non haberent. Nunc autem Illustriss. Princeps quamplures terræ agri in Nouariensi infeudatæ, videlicet, Borromeorum, Vespolatæ, Blandratæ, Romagnani, Terchatæ, & quamplures alię terræ infeudatę, visæ fuerunt, & videntur se opponere contra Decretum, allegando non esse suppositi ipsi Decreto, & quotidie obtinent litteras ab Excell. V. quę mandat Pręrori Nouarię, quòd supersedeat circa obseruationem talis Decreti, falsis tamen præcibus, & prætextu aliquorum priuilegiorum non militantium, in maximum præiudicium contra dictum Decretum Excell. V. ac ciuium ciuitatis Nouarię. Propterea decreuerunt agentes pro communitate Nouariæ habere recursum ad Excell. V. Humiliter supplicando vt illa dignetur mentem suam declarare, si intēdit quòd ipsum Decretum obseruetur indistinctè contra omnes feudatarios, & præsertim contra Borromeos, ac terras Blandratæ, Vespolatæ, Romagnani, & Terchatę agri Nouariensis, vel nè, & ponere perpetuum silentium allegationibus, & oppositionibus talium feudatariorum, ac terrarum volentium se opponere tali Decreto, & mandare Mag. Prætori ciuitatis Nouariæ, quòd faciat illud indistinctè obseruare, quia ipsa communitas Nouariæ ob paupertatem, & ob alia multa onera, quę sustinet, non potest tot & tantas lites tali de causa sustinere, qua de causa feudatarij ob maximas fauoris diuitias possent aliquid reportare contra dictum Decretum, in maximum præiuditium Excell. V. & ipsorum subditorum, quod tamen non creditur fore mentis Excell. V. cui humiliter se comendat.

Dux Mediolani. &c.

DILECTE noster, Decretum de maiore Magistratu æditum, supremam nostram auctoritatem conseruat, illud inuiolatum, & illesum esse volumus, quo circa vobis mandamus, vt prouideatis per pœnas in ipsomet Decreto contentas, & per alias efficaciores, si expediens erit, ne quis illud violare audeat: nam vt verbis ipsius vtamur, ne filium quidem nostrum ab eo eximi volumus. Dat. Bononiæ. 15. Febr. 1530. subscripta, Ia. Cattaneus. A tergo, Egregio Iureconsulto D. Pręrori Nouariæ nostro dilecto. Et soliti sigilli sigillata. &c.

DILECTISSIME noster, Licet pluries scripserimus, vt Decretum de maiore Magistratu, æditum, omnino seruetur, tamen, lectis inclusis pręcibus istius nostræ Communitatis, vobis denuo iniungimus, & mandamus vt contenta in ipso Decreto, sine vlla prorsus exceptionem, sub pœnis in eodem positis seruari faciatis. Non apponēdo tamen manum ad eas quę extra illud sunt. Dat. Mediolani 7. Nouembris. MDXXXIIII.. Subscripta Ia. Cataneus. A tergo. Spectabili Iurecõs. Prætori Nouariæ Senatori nostro dilectiss. Et sigillata.

Quod

*Quòd omnes soluant onera, & confirmatio Decreti de maiori Magistratu.*

Philippus Dei gratia, Angliæ, Neapolis Rex, Princeps Hispaniarum, & Dux Mediolani. &c. MAGN. Reuerendi, Nobiles, spectabiles, docti, deuoti, fideles, dilecti, Cum Statuũ conseruationi & subditorum quieti nihil magis conueniens sit, quàm vt onera ęquè per omnes persoluantur, maximè belli temporibus, & ob Status defensionem. Ideo vobis iniungimus, vt omnes in agro Nouoriensi bona possidentes onera persoluant cum dicta Ciuitate, iuxta tamen ordinationes istius Status, prout habitantes in ipsa faciunt, non obstantibus quibuscũque priuilegiis titulo oneroso non concessis, etiam comprehẽsis in corpore iuris. Cęterum etiam per vos prouideri mandamus, vt omnia castra, burgi, villę, & quęcũq; loca agri Nouariensis, maiori Magistratui pareant, secundum id quod iustè hactenus fieri consueuit, & omnes vsurpationes super inde factas tollatis. &c. Dat. Londini 24. mensis Martii. 1555.

Subscripta, Io El Rey.

Vidit Schitius R. G. Perezius.

A tergo Magn. Reuer. Nobilibus, spectabilibus, consiliarijs, & fidelibus nostris dilectis, Pręsidi, & Senatui nostri status Mediolani. Et sigillata solito sigillo Regio.

*Ordo Excellentiß. Senatus Regij, & Ducalis Dominij Mediolani, super Decreto maioris Magistratus Ciuitatis Nouariæ.*

M. D. LXV. die secundo Aprilis.

LEGIT coram Senatu Excellentiss. vnus ex Magnificis Senatoribus literas D. Prętoris Nouarię, scriptas sub die primò Ianuarij proximè pręteriti, quibus significabat Feudatarios Ceredani, & Bulgari imposuisse eorum prætoribus & consulibus, ne delicta ad maiorem Magistratum spectantia deferrent ad ipsum D. Prętorem Nouariæ, multaque in contrarium fundamenta idem Prætor scripsit, vt animum Senatus moueret. Cumqué tam per eundẽ prætorem, quàm feudatarios pręd ictos exhibita fuissent diuersa acta. Quæ omnia idem Senator retulit, & omnibus consideratis.

SENATVS ordinauit, denuntias criminum esse deferendas, ad officium criminalium eiusdem Ciuitatis per consules ipsorum locorum infeudatorum, eo modo, quo deferebantur, antequàm per Senatum darentur literę D. Capitaneo iustitiæ, sub die sexto Maij 1561. pro quarum executione transmissa fuerunt præcepta pœnalia Feudatarijs Ceredani, & consulibus eiusdem loci effectus, ne parerent iusdicentibus Nouariæ. Et idem seruandum esse circa intimationes præceptorum, & alia solita fieri de mandato eiusdem prætoris Nouariæ, ad instantiam ciuium Nouariæ, contra eorum fictabiles, & massarios.

Subscripta Facius. Et sigillata solito sigillo Regio, & Ducali.

*De matricula Notariorum.*

HOC est priuilegium matriculæ Notariorum venerandi Collegij ciuitatis Nouariæ, & Diœcesis, ac Agri Nouariensis, inchoatus sub anno domini Millesimo quingentesimo duodecimo indictione quintadecima, existente potestate ciuitatis Nouariæ, & districtus Magnifico Iur. V. Doctore D. Francisco de Porris de Mediolano, ac existentibus Abbatibus dicti Collegij spectabilibus dominis Hieronymo de Leonardis, & Francisco Maria de Brusatis, sub die quarto mensis Ianuarij, vigore & in exequutionem literarum Regalium, & Ducalium, cum supplicatione & relatione annexis, tenoris huiusmodi, videlicet.

LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex, Mediolani Dux &c. Dilecto nostro prætori Nouariæ salutem. Vidimus quæ per annexam supplicationem nobis exposuit dilecta nostra communitas ciuitatis Nouarię, quibus maturè consideratis, attentaq; relatione vestra, vnà cum Fiscalibus nostris, & agentibus pro ipsa communitate nobis facta, eius requisitioni annuendum esse decreuimus. Idcirco vobis comittimus & mandamus, vt non permittatis aliquos Notarios admitti ad confectionem & celebrationem alicuius instrumenti, etiam vltimę voluntatis, nec testium receptionem & examen, nisi prius seruatis statutis & ordinibus in supplicatione recitatis, per Abbates memoratos Collegij Notariorum dictę ciuitatis, examinati, admissi, & licentiati fuerint, sub pœnis in ipsis statutis & ordinibus contentis: faciẽ o etiam seruari circa salaria & mercedes instrumentorum, ac electionem Abbatum prędictorum

dictorum & quorũcunque per ipsos Notarios celebrandorum,ordines qui in pręsenti Ciui
tate nostra Mediolani seruantur,sub pœnis arbitrio vestro imponendis. Declarantes per
has nostras quæcunque instrumenta quę in futurum conficientur per aliquem Notarium,
seu aliquos Notarios non admissos, examinatos,& licentiatos vtsupra, esse nulla,nullumq;
effectũ sortiri debere,non secus ac si decõtenris in talibus instrumẽtis nullũ verbum factũ
fuisset,ita tamen quòd de præmissis, fiant publica proclamata seu citationes & intimatio
nes in locis opportunis,vt ad omnium Notariorum diœcesis,districtusq; dictę ciuitatis no-
titiam peruenire possit, decernentes etiam per has nostras,quòd pro prædictis faciendis
nullum inferatur pręiuditium Notarijs exercentibus,& his quibus in futurũ exercere con-
tingerit bancum sedis episcopalis Nouarię,qui in acta,instrumenta,& alia quęcunq; facien-
da banco & tribunali ipsi dumtaxat spectantia conficere & celebrare possint.Non obstante
quòd Notarij ipsi ad bancum & tribunal prædictum deputati & deputandi secundum ordi-
nes prædictos,ac formam memoratam admissi,examinati,ac licentiati non reperiantur.
Dat. Mediolani die vigesimotertio Nouembris,millesimo quingentesimo vndecimo,ac Re
gni nostri quartodecimo. Per Regem,Mediolani Ducem,ad relationem Consilij. Princiual
lus.G.Florentia,Sigillatus sigillo Regio in cera rubea.

Sereniss. Rex, &c. Mediolani Dux, &c. Adsunt statuta in ciuitate Nouarię, quòd omnes
& singuli Notarij diœcesis Nouarię,de quouis loco ipsius diœcesis, debeant infra duos men
ses;postquàm fuerint per publicam proclamationem moniti & requisiti; se præsentialiter
constituere coram Abbatibus Notariorum Collegij Nouariæ, necnon duobus Iurisperitis,
per dictum Collegium eligendis ,& se supponere examini . Et si idonei reperientur de-
beant matriculari,& sic examinati & matriculati possint postea instrumenta quęlibet con-
ficere & vltimas voluntates. Et si contrafactum fuerit puniatur quilibet contrafaciens per
potestatem Nouariæ in libris quinquaginta imperialium pro quolibet Notario contrafa-
ciente:quę pœna possit ad instantiam dictorum Abbatum dicti Collegij per dictum præto
rem augeri,& ipsi Notarij priuari officio tabellionatus,si negligentes fuerint ad præmissa
exequenda. Verùm Rex inuictissime quia officium tabellionatus est maximi periculi, &
propter negligētiam forte eorum ad quos spectat videntur Notarij,tam in Ciuitate prędi
cta,quàm in eius diœcesi commorantes, & ignari instrumenta tradere & rogare, absque eo
quòd se supposuerint examini & absq; eo quòd inter ipsos Notarios teneatur matricula &
eligantur Abbates qui præ sint examini,& per quos Collegium Notariorũ gubernetur iux-
ta pręfatorum statutorum dispositionem,& quod plus est,nullus reperitur ordo circa eorũ
mercedes. Sed vnusquisque prout libet mercedes constituit circa extractionem instrumen-
torum & exactiones & receptiones testium,quod cedit in damnum & pręiuditium publicũ
dictę Ciuitatis & etiam priuatarum personarum. Ea propter,pro interesse Reipublicæ,par
te fidelissimorum S.M.V. præsidentium ad negotia dictæ Communitatis Nouariæ,necnon
aliquorum ex primioribus Notariorum dictę ciuitatis M. præfatæ humiliter & cum omni
R.supplicatur vt,præmissis attentis,dignetur M.V. per opportunas litteras disponere &
ordinare,ac iniungere & mandare,ex abundanti,pręfato D.prætori Nouariæ præsenti & fu
turo vt statuta prædicta prout iacent ad litteram obseruent & obseruari faciant,& obseruã
do cogant,ad instãtiam pręfatorum præsidentium,siue Syndicorum dictæ Communitatis
Nouariæ dictæ Ciuitatis ad eligendum duos Abbates & ad tenendum Matriculam vbi de-
scribantur nomina Notariorum dictę Ciuitatis & diœcesis,qui idonei reputabuntur per di
ctos Abbates & duos iurisperitos,iuxta formam dictorum statutorum ad instrumenta con
ficienda,declarando etiam per easdem litteras,quòd instrumẽta roganda per Notarios nõ
matriculatos,postquàm facta fuerit publica monitio,& sequuta declaratio præfati D. præ
toris,iuxta dispositionem statutorum,non valeant,nec teneant ipso iure:ac etiam dispone
re,& mãdare,quòd in conseruatione & gubernatione dicti Collegij & electione Abbatum
ipsius Collegij & descriptione & receptione Notariorum in Matricula,necnõ exactione sa
lariorum seu mercedum ipsorum Notatiorum pro instrumentis conficiendis & extrahen-
dis,seruentur & seruari debeant ordines Notariorum Mediolani Collegii vestrę Ciuitatis
Mediolani,tam pro instrumentis quàm examinationibus testium,cum declaratione,quòd
vbi aliqua controuersia oriretur occasione mercedum ipsorum Notariorum,quòd stetur
arbitrio Abbatum eligendorum,attento quòd in ciuitate prædicta Nouariæ non reperiun
tur ordines,saltem in viridi obseruantia, existentes super præmissis, quos ordines placeat
ex certa scientia & de potestatis plenitudine approbare & confirmare & mandare pręfato
prętori & aliis quibuscunq; ad quos spectat,quòd eos ordines perinde obseruari faciant in
dicta

dicta Ciuitate Nouariæ, prout obseruātur in ciuitate & Collegio Notariorum Mediolani, aliter ob negligentiam huiusmodi indies possent de facili oriri scandala, & comitti errores & fraudes per Notarios ignaros, in maximum totius Reipublicæ & singularum personarum detrimentum, quod non credunt supplicantes ipsi fore optimę mentis præfate M. V. cui humiliter se commendant, & quam Deus ad vota construat & augeat.

ILLVSRISS. ac Reuerendiss. viri patres & domini mei obseruandiss. receptis litteris Regijs, datis Mediolani nono præsentis, cum annexa supplicatione, vt adhibitis Fiscalibus & præsidentibus negotijs huius Ciuitatis Nouarię, circa electionem Abbatum Notariorum & examen & matriculam ipsorum Notariorum, eorumque mercedem iuxta ordines ciuitatis Mediolani esse obseruandos: ac attentis etiam statutis in dicta supplicatione commemoratis, referre debeam quem nam concernāt vtilitatem & politiam huius Ciuitatis, habita igitur dictorum Fiscalium, & agentium nomine dictę communitatis consideratione, vnà cum primioribus eiusdem vrbis Notarijs, eam in sententiam deuentum fuit, quòd si supplicata concedantur & publicæ & priuatę vtilitati huius Ciuitatis Consultum erit, & multis erroribus qui aliquando hactenus, ob ordines non seruatos, successi, occurretur. Et hoc est quantum in litterarum Regiarum, de quibus supra, exequutione rescribendum D. V. duxi, quibus me vniuersosq; huius Ciuitatis ciues assiduè comendo. Datum Nouarię vndecimo Maij. 1511. E. D. V. humilis seruitor Ioannes Maria Guasconus ibidem Commissarius, & prætor. A tergo Illustriss. & Reuerendiss. Dominis D. Præsidentibus & Regijs Senatoribus Mediolani, Dominis meis obseruandissimis.

## *Quòd instrumenta habeant exequutionem paratam.*

CAROLVS Diuina fauente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus &c. Nomine Præsidentium & Consiliariorum Ciuitatis Nouariæ supplicatum nobis fuit in forma subsequente, videlicet, Serenissime Imperator. Fidelissimi M. V. seruitores Pręsidentes & Consiliarij Ciuitatis Nouarię, volentes prouidere vt quātocitius fieri potest, cum minori dispendio partium, causæ expedirentur, deuenerunt ad confectionem statuti, cuius copia exhibetur: quod cum beneplacito M. V. in eadem Ciuitate & toto Comitatu Nouariæ, pro lege seruari cupiunt; & propterea recurrunt ad eandem, humiliter supplicando, vt illa dignetur, statutum ipsum per suas litteras confirmare, & decernere illud seruari debere in dicta Ciuitate, & Comitatu pro lege municipali, prout seruantur reliqua statuta posita in voluminibus aliorū statutorum dictę Ciuitatis, ac mandare ipsum statutum describi debere in dictis voluminibus dictorum aliorum statutorum: prout speratur &c. Item præfati D. Pręsidentes volentes, quantum fas est, prouidere indemnitati litigantium, & vt lites breuiori via, & cum minori dispendio partium expediantur, assumentes argumentum a digrioribus Ciuitatibus, statuerunt & ordinauerunt quòd omnia instrumenta obligationum dandi, soluendi, aut faciendi, vltimarum voluntatum, locationum temporalium, & emphiteoticarum, hactenus rogata, & roganda per notarios venerandi Collegij Nouariæ, & in matricula ipsorum notariorum descriptos, habeant, & habere debeant exequutionem paratā, & mittantur exequutioni per eos ad quos spectat, & aliàs spectare potest iusdicere, perinde ac si instrumenta ipsa essent guarentigiata, & facta in eis condemnatio in confessium, nō intēdētes propterea per præsens statutū abreuiare, seu ampliare iurisdictionē aliquorū iusdicentiū dictæ Ciuitatis, nisi prout cōpetebat ante ipsius statuti cōfectionē, & in omnē casum iurisdictio dominorū Cōsulū iustitię Nouarię illesa cōseruetur, & augeatur, & similiter salua sit cognitio causarū Magn. Domini potestatis Nouariæ, prout per alia statuta disponitur tātùm & nō vltra, iubētes statutū prædictum inseri in volumine aliorum statutorū dictę Ciuitatis. Nos autē qui nil aliud cogitamus & cupimus quàm subditis nostris morē gerere, & suffragari in eorū petitionibus tam honestis, quàm ipsorū cōmodū cōcernētibus, postulata exaudire decreuimus. Quare per has nostras dictū statutū confirmamus, cōualidamus, & approbamus, decernētes illud esse seruadū in memorata Ciuitate, eiusq; comitatu pro lege municipali, quo ad instrumenta conficienda tantùm, prout seruantur reliqua statuta posita in voluminibus aliorum statutorum Ciuitatis prędictæ, mandantes etiam ipsum statutum esse registrandum, & registrari debere in libris in quibus alia dictę vrbis statuta registrata sunt. In quorum fidem pręsentes fieri iussimus & registrari, sigilliq; nostri impressione muniri. Dat. Mediolani 22. Februarij. 1526. & debito sigillo imperiali signatum in cera rubea & subscriptum.

*De parentibus, agnatis, & cognatis compellendis ad compromissa.*

STATVTVM est, quòd si aliqualis quæstio, vel cõtrouersia est, vel erit inter aliquos ascendentes, vel descẽdẽtes, absq; gradus distinctione, vel inter colaterales vsq; ad quartum gradũ inclusiuè secundum iura canonica cõputandũ, quòd potestas Nouariæ, vel D. consul iustitiæ, Nouariæ aditus per aliquam partium, causis, locis, temporibus, personis, necnon aliis facti & negotiis circumstantiis, discretionis oculo diligenter inspectis, præfatos discordes ad compromissum sub ea forma, quæ ei placebit faciendum in arbitros, & arbitratores, vnum, vel plures, prout ei videbitur expedire, omnibus iuris remediis cogere & cõpellere possit: cæterum, quando ei ob aliquam rationabilem causam non videbitur conueniens, ipsos ad faciedũ cõpromissum astringere in ipsorũ causis summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu & figura iudicii, procedere, & quanto celerius poterit ipsas causas terminare festinet.

*De eodem.*

ITEM statutum est & ordinatum est quòd sententiæ & præcepta arbitrorum, seu arbitramentorũ, & amicabiliũ cõpositorũ, quę fierẽt inter aliquas partes cõpromittẽtes, cuiuscunq; cõditionis existant, suppositas iurisdictioni communis Nouarię, debeant exequutioni mandari, sicut mandarentur sententiæ iudicum, vel consulum iustitiæ Nouariæ, nisi pars quæ voluerit dicere se grauatam, infra triginta dies, a tempore sententiæ computatos, petierit oblato libello, ipsa arbitramẽta debere educi ad equitatẽ, vel arbitrium boni viri, vel eam reformare, qua parte infra menses nouem sic continuos debeat quęstio terminari, qua quæstione terminata, vel per lapsum temporis, vel per diffinitiuam sententiam, si sententia arbitrorum, vel arbitramentorum fuerit confirmata, debeat mandari exequutioni, ne possit vlterius appellari, & iudices & cõsules iustitię Nouarię, corã quibus reductionis quæstio vẽtilabitur, teneatur vinculo sacramenti, totis viribus prohibere exceptiones, cauillationes, & subterfugia, ac dilationes superfluas, quibus quoquomodo impediretur procedi in causam, & quolibet tẽpore, tam messium, quàm vindemiarum in dictis causis procedi possit: & iudices collegii, quibus dictę causæ committerentur, teneantur & debeant dare eorum consilium in scriptis infra mensem vnum a die commissionis sibi præsentatæ, aut infra triduum renuntiare commissioni, & si non fecerit dictus Comissarius puniatur, & condemnetur in soldos centum imperialium, qualibet vice, quæ pœna cõmuni Nouariæ applicetur.

*Suprascripta duo statuta sunt impressa superius in principio libri sexti, sed etiam hic sunt posita, propter suprascriptam confirmationem Caroli Quinti Imperatoris, tunc Ducis Mediolani, &c.*

## *DE AQVIS ET FLVMINIBVS.*

*Sententia, Magnifici Magistratus Mediolani super liberatione Annatæ, tempore Christianissimi Francisci Valesij primi, Francorum Regis, tunc statum Mediolani possidentis.*

M. D. XVIII. Die 23. Aprilis.

CONGREGATIS Illustr. & Magnificis Dominis Ioanne de Silua Regii Senatus Mediolani Vicecancellario, Sebastiano Ferrerii Equiti Regio Senatore, & finantiarum Status Mediolani Generale, necnon Ioanne della Rochiella Regio Senatore, omnibus comissariis Regiis generalibus, deputatis super Annata totius Regii & Ducalis Dominii Mediolani &c. Conquerentibus Agentibus & oratoribus Magnificę Communitatis Nouarię, quòd indebitè, & contra formam statutorum, & iurium pręfatę Communitatis, molestantur vtentes aquis Aconiæ, Stronę, & Terdubii, pro vsu molandinorum, pratorum, resegarum, follarum &c. prætextu solutionis præsentis Annatæ, multa adducentibus fundamenta, rationes, & causas, ex quibus concludere videntur, non teneri ad ipsam solutionem. Et primo capitula inita cum domino Ludouico Sfortia per ipsam magnificam Communitatem, super & pro ducendis aquis Sicidę per alueum, per quem deriuabant, seu decurrebant aquę Aconię, & Stronæ ad vsum molãdinorũ, & pratorũ sitorũ in diœcesi Nouariensi. Itẽ statuta ipsius ciuitatis Nouarię, disponẽtia super aquis Aconiæ. Itẽ prouisiones, seu cõcesiones factas per agentes nomine pręfatæ Communitatis Nouariæ, & particulariũ personarũ, quæ

vti intendebant dictis aquis.Item instrumentum venditionis factum per præfatam Magnificam communitatem cum Domino Vgheto de Nibia,pro iure extrahendi aquam a dicta Strona.Item onus iniunctum volentibus vti dictis aquis Stronæ,Aconiæ,& Terdubii,ad faciendum clusas propriis eorum expensis, pro diuertendis dictis aquis ad eorũ libitum&c. Prefati Illustr.& Magn. Domini Comissarii Generales omnibus superius adductis, & allegatis benè intelectis,& maturè cõsideratis,ordinauerunt,& declarauerunt quòd nihil soluere teneantur pro Annata aquarum Terdubij,Stronę,& Agoniæ,ac pro molãdinis,pratis,follis,resseghis, & alijs edificijs dictis aquis vtẽtibus,& hoc attẽtis fundamentis,& alijs rationibus superius allegatis,& etiã attẽta alia ratione allegata per præfatos dominos agẽtes, & oratores,quòd tempore sicitatis prędictæ aquæ deficiunt. Non intẽdentes tamen, quòd in hac ordinatione & decleratione cõprehendantur infrascriptæ aquæ & rugiæ,nec eorum prata,& molãdina super ipsis aquis existẽtia,videlicet rugia della Mora,rugia Ritia,rugia Biraga,rugia noua de Crotis,rugia domini Alexãdri Suardi , pars Ticini versus Nouariẽses ,necnon etiam terræ infrascriptæ in Valle Ticini,videlicet loci Marani,Olegij, Blanzaghi,Cauagliani,Cameri,Galeatæ,'& Cerrani,& omnia alia loca,& terrę, quę vtũtur in valle Ticini, & extra vallẽ dictis aquis Ticini, quæ arbitrio Regio relinquũtur, & reseruãtur, pro dicta solutione Annatę exigẽda.In reliquis autẽ præfati domini Deputati liberauerũt & absoluerunt,ac liberant,& absoluũt ipsos Nouarienses,vtsupta. Dat. vtsupra.
Ita est in actis apud me. Subscriptum.A. Rozaschus.

*Alia sententia Magnifici Magistratus Mediolani super liberationæ Annatæ.*

REPERITVR in libro viridi,in quo registratę sunt ordinationes factę ad offitium Annatæ, sic fore scriptum,vt infra,videlicet. 1542.die lune 27. mensis Martij.In causa comparitionis factę per dominum Franciscum de Grassis syndicum , & procuratorem communitatis Nouariæ sub die vltimo Ianuarij proximè præteriti,coram Magnificis Cesareis præfectis Annatæ Status Mediolani,audita relatione facta per vnum ex Cesareis Fiscalibus de dicta cõparitione,& iuriũ productione per præ fatũ syndicũ facta,visa ipsa comparitione in qua inter cetera allegabat dictus syndicus dictam cõmunitatem nõ esse cõprehensã in decreto super Annata,præsenti edito,minusq; teneri ad aliqam solutionem Annatæ,respectu aquarũ Acconię, Stronę, & Terdubij,de quibus in comparitione,cùm de eis aquis præfata communitas nullũ ius habuerit,nec a Cesarea camera,nec antecessoribus suis titulo lucratiuo, imo predictæ aquæ Acconiæ,Stronę,& Turdubij a principio;& vsque tempore pacis Cõstãtiæ erant proprię præfatæ cõmunitatis & hominũ Nouariæ.Et quòd ad demõstrãdũ produxerunt statuta & ordines ciuitatis Nouarię,maxime loquentes & mentionem facientes de dictis aquis a Principibus approbatis. Item sententiam, hac de causa latã de Anno 1518. in causa Annatę in fauorem pręfatæ Communitatis & hominum, per tũc deputatos super exactionæ Annatæ sub die 23. Aprilis dicti anni 1518.Signat. Antonius Rozascus. Item ad demonstrandũ titulum onerosum:cõuentiones innitas inter per pręfatã cõmunitatẽ & Illustriss.Ducem Ludouicum,seu eius Illustr issimi Ducis agentes de annis 1487.& 1488. ratione dictarũ aquarũ. Item ad demõstrãdũ dominiũ dictarũ aquarũ,cõcessiones factas p præfatã Cõmunitatẽ particularibus personis vsq; de anno 1296.Item ãd dictum effectum alias concessiones factas per pręfatam Communitatem Nouariæ de annis 1508. & 1509. Visis dictis omnibus iuribus productis, visisq; oppositionibus Cesarei Fisci , eoq; pluries audito,& ex aduerso auditis agentibus pro dicta Communitate,& super omnibus hac de causa deductis hinc inde,habita diligenti consideratione: Præfati Mag.domini pręfecti ordinauerunt,& declarauerũt, ac ordinant,& declarant causis,& rationibus ex superius allegatis resultantibus,& alijs deductis,dictam Communitatem,& homines Nouariæ non teneri ad aliquã solutionẽ Annatæ,nec eos causa prædictę Annatę molestãdos esse,pro aquis Terdubii,Stronæ,& Agoniæ,ac pro molãdinis,pratis,folljs,reseghis,& alijs edificijs dictis aquis vtẽtibus.Præsẽte dicto syndico acceptante &c.Signajũ,Io. de Brinonia, Hieronimus Perbonus,& Hipolitus Quintius. Subscriptum,omisso signo tabell. hoc modo , videlicet Ego Ioannes Petrus de Vigleto,filius quõdam D.Ioannis,Portæ Ticinensis,parochiæ sanctę Eufemiæ intus Mediolani,publicus imperiali auctoritate notarius,necnon notarius,& Cãcellarius ad offitium Annatę,suprascriptam ordinationem,& declarationem, in dicto Libro viridi registraui,& ab eo sic signatã,vtsupra fideliter extraxi, & in fidem me subscripsi cum appositione soliti mei signi tabellionatus:& in angulo dextro sigillatã sigillo pręfatorũ dominorũ præfectorũ in cera rubea more solito,& in alio angulo,Hieronimus Souicus.

Hæc

*Sententia tertia super liberatione Annatæ Stronæ, Aconiæ, & Terdubij.*

*Reperitur in actis offitij Annatæ Impositæ de anno 1560. penes me Io. Baptistam Cribellum Secret. existi inter alia sic esse scriptum, vt infra, videlicet.*

M. D. LXII. Die Lune vigesimoseptimo mensis Iulii, in tertiis.

ILLVST. & Magn. Domini Præs. & Questores Regiũ ducaliũ redditnũ Status Mediolani, ac deputati super onere Annatę, Impositæ Anno Millesi. quingentes. sexages. primo, proximè præterito in Dominio Mediolani: Qui prius viderũt cridas ex ordine Illust. & Excell. D. D. Marchionis Pischariæ, Regii Ducalis Locũtenẽtis, ac Gubernat. in Dominio Mediolani, factas super solutione ipsius Annatæ: qui etiã viderũt comparitionem & oppositiones factas per Magnificum D. Albertum Torniellum Syndicum & Oratorem Magnificæ Communitatis Ciuitatis Nouarię, per quas in effectu apparet præfatam Ciuitatem, necnõ & vtentes aquis Aconiæ, Stronæ, & Terdubii, labentibus per territorium Nouariensem, non teneri ad solutionem dicti oneris Annatæ, impositę, vtsupra. Item qui viderunt contractus celebratos inter Illustr. Dominum Ludouicum Sfortiam ex vna, & pręfatam magnificam Communitatem Nouariæ, ex altera. Item qui viderunt ordinationes factas de annis 1518. & 1542. proximè præteritis, per Magnificos D. tunc deputatos super Annatis tunc impositis, per quas apparet præfatam Magnificam Ciuitatem, necnon & vtentes aquis prędictis, ad solutionem prædictarum Annatarum minime teneri: Qui etiam viderunt relationem factam per Magn. Dominum Camillum Sormanum Syndicum, Regium Ducalem Fiscalem, ac Comissarium deputatum a pręfatis D. Pręside & Questoribus, pro visitando principia & origi nem dictarum aquarum. Item qui viderunt motiua data per præfatos D. Præside & Questores Regio Ducali Fisco: necnon & prefato D. Syndico, & Oratori præfatæ Magn. Ciuitatis Nouariæ, vnà cum etiam responsione, & resolutione ipsorũ motiuorum: qui etiã pluries & pluries audiuerunt viua voce Regios Ducales Fiscales, necnõ & aduocatos præfatæ Magn. Ciuitatis. Itẽ qui viderunt statuta dictæ Ciuitatis Nouariæ, necnon & prouisiones, ac cõcessiones factas per agẽtes præfatæ Magnificæ cõmunitatis Nouariæ particularibus personis vtentibus dictis aquis: necnon & quęcunq; alia iura pręfatę Magn. Communitatis Nouariæ producta per pręfatũ D. Torniellũ nominibus quibus supra: ex quibus apparet præfatã Magnificã Communitatẽ potuisse, ac posse disponere de dictis aquis, vti de rebus proprijs, ac priuatis; etiã absq; aliqua concessione eidẽ Cõmunitati facta ab aliquo Duce Mediolani, aut alio Principe: & qui demum viderunt omnia alia videnda: req; etiam participata cum Regio Ducali Fisco, & omnibusque benè & diligenter ac maturè consideratis.

Ordinauerunt, & ordinant, ac declarauerunt & declarant præfatã Magn. Communitatẽ Nouarię, necnõ & vtentes dictis aquis Aconiæ, Stronę, & Terdubij, pro eorũ molãdinis, pratis, follis, reseghis, & alijs bonis, non posse, nec debere molestari ab agẽtibus pro Regia Ducali Camera, occasione solutionis oneris Annatę, de qua supra: imo ipsam Magnificã Cõmunitatẽ absoluendã esse, & prædictos vtentes absoluendos esse, prout tenore præsentis ordinationis absoluũt a dicta Annata: & mandant D. Rationatoribus Regiis Ducalibus, vt apponent opportunas scripturas, ad hoc ne in futurum aliquo modo præfata Magnifica Cõmunitas Nouariæ, necnon & vtentes aquis prędictis, occasione prędicta, & abinde dipẽdent. damnum aliquod sentiant aut molestentur: saluo iure Fisco experiendi de iuribus suis contra dictam Magnificam Communitatem, respectu proprietatis dictarum aquarũ. Præsente præfato Magn. D. Alberto Torniello, Syndico præfatæ Magn. Cõmunitatis Ciuitatis Nouarię, & prædictã sententiã acceptãte, in partibus facere possentibus pro dicta Mag. Cõmunitate Ciuitatis Nouarię, & pro illis gratias agente de bona iustitia administrata: & in partibus quæ possent facere in præiuditium Magn. Communitatis Nouariæ, & eius particularium, in actis & penes acta & viua voce appellante ad Serenissimũ Regem Philippum Ducem Mediolani, & eius Excellentissimum Senatum.

Et subscr. Cribellus Secr. pro fide subscr.

Sigillata sigill. Reg.

Hæc sunt iura memorata in prędictis sententijs liberationis Annatę vltra instrumentũ pacis factę in Ciuitate Cõstantiæ per Magn. Communitatẽ Ciuitatis Nouariæ, & alias Ciuitates Lombardię, cũ Federico Romanorũ Imperatore semp Augusto, & Hẽrico sexto Romanorũ Rege eius filio, anno Christianæ salutis 1183. septimo Cal. Iunii, in qua pace Cõstantiæ con

ceduntur Consules iustitiæ, aquæ, Pascua, molandina, & alia Ciuitati Nouariç, etiã respectu iurisdictionis super Comitatu, quia ipsa omnia Ciuitas Nouariç, etiam ea habebat ab antiquo, iure proprio, ante pacem Constantiç, & prout latius constat ex ea, quæ hic non imprimitur, ex quo in corpore iuris ciuilis est impressa, post vsusfeudorum. Hic verò sequũtur alia iura memorata in dictis sentẽtiis liberationis Annatæ, quæ sunt prout infra videlicet.

*De concessionibus aquarum factis a communi Nouariæ D. Gulielmo Barbauariæ & D. Vgheto Arcillo de Nibia.*

IN Nomine domini amen, Millesi. ducentes. Nonages. sexto, inditione nona, existente potestate communis Nouariæ D. Aldrico de Lampugnano, die Mercurij vigesimo quarto Octob. in Pallatio communis Nouariæ, vbi homines de consilio generali Ciuitatis Nouariæ simul conuenerant ad consiliũ, ad sonum campanç, moræ solito: D. Aldricus de Lampugnano potestas cõmunis Nouariæ exposuit inter illos de dicto consilio, & ab eis consiliũ postulauit, quid eis melius videbatur fore fiendum, & consulendũ, præsente D. Amiragio de Ossenago Capitaneo populi Nouariæ, cùm per cõmune Nouariæ aquæ aqueductus, & deriuationes aquarum, quæ veniunt, & labuntur, & de cætero venient, & fluent, seu orientur a fossatis, & per fossata stratæ mastrç Caltignacæ, Isarni, & Vignalli, & ius deriuandi ipsas aquas sint vẽditç Guglielmo Barbauariç de Castello, & similiter aqueductus & deriuationes aquarũ, quç veniunt, labuntur, & fluent, & venient de cætero per fossatum factum per cõmune Nouariæ iuxta stratam qua itur a Nouaria Romagnanũ, a sero ipsius stratæ, a manu sinistra eundo a Nouaria Romagnanum, sicut tendit a Strona pontis de Petrolio, vsque ad pontem Cichũ in territorio Aconiati, prope fornacem Aconiati, dum non accipiatur de aqua rugiç nouç, quæ venit a Sicida, sint venditæ Vgheto Arcillo de Nibia, & dicatur quòd prędicti Guilelmus & Vghetus sint defraudati in dictis aquis, aqueductibus, & deriuationibus aquarum, & in his quæ eis vendita sunt per cõmune Nouariæ: si volunt & eis placet statuere & ordinare quòd aliqua persona, cõmune loci, vel vniuersitatis, nõ possint, nec eis liceat dictas aquas mouere, vel aduertere vel impedire, quin veniant, currant, & fluant per dicta fossata, & illas partes per quas ducerentur ad vtilitatẽ dictorũ Guglielmi Vgheti, & heredũ suorũ, & eorũ quibus dederint, sub pœna, & banno soldorũ sexaginta imperialiũ, qualibet vice auferendorũ, qualibet vice, qua contrafactũ fuerit ab ea persona, communi, vel vniuersitate, quç, vel quod contrafecerit, quæ pœna perueniat in cõmuni Nouariç pro medietate, & pro alia medietate in eum contra quem factum fuerit, ita quòd liceat dictis Guglielmo, & Vgheto, & eorum heredibus, & quibus dederint, accusare potestati & rectoribus communis Nouariæ, qui nũc sunt, & per tẽpora fuerint, quãlibet personã, commune, locum, & vniuersitatẽ, quã & quod inuenerint super eorũ emptionibus faciẽdo cõtra prędicta, vel aliquod prędictorũ, prçstito iuramento per eũ, qui iurauerit corã potestate, vel rectoribus suis, quòd accusatio quam dederit eis vera est, & quòd potestas, & rectores cõmunis Nouariæ, qui erũt, per tempora, teneãtur & debeant, datis accusationibus prędictis, & præstitis iuramẽtis, & datis terminis accusatis ad faciendũ eorũ defensiones, ipsas accusationes, quç eis dabũtur, in cõdemnatione deducere, & eas publicare in publica cocione, infra mensem vnũ, postquàm eis datç fuerint, vt supra, & quòd dicti potestas & rectores, & assessores eorũ per tẽpora, omnibus remediis iuris, cogere cõtrafaciẽtes, cũ fuerint cõdemnati, a die termini cõdenationis inantea, ad solutionẽ faciẽdam de dictis cõdẽnationibus, tam dictis emptoribus, & eorũ heredibus, & quibus dederint, quàm cõmuni Nouariæ, statuto aliquo nõ obstãte, & super hoc fiat statutũ & ponatur in volumine statutorũ cõmunis Nouariæ. Desartus Auricula locutor cõsulẽdo dixit quòd prędicti nõ possint ponere accusatores super prædictis: Francinus Bolinus locutor cõsulẽdo dixit, quòd fiat, cõpleatur, statuatur, & ordinetur vt supra expositũ est, vnde in reformatione ipsius cõsilii, & ipso cõsilio reformato, factis diligẽter diuisionibus, & partitis per dictũ D. Potestatẽ ab vna parte palatii ad alterã, placuit maiori parti in omnibus, & per omnia, vt supra dixit Frãcinus Bolinus, & ita statuerũt & ordinauerũt, & debere poni in volumine statutorũ cõmunis Nouariæ, & inde plures cartç fieri iussç. fũt: testes Olricus Testa notarius cõmunis, & Ardicius de Rozato Notar. & Olricus Tebus, & Bonetus de Fatopane tubatores cõmunis Nouariç. Subscr. hoc modo, omisso signo notarii tabellionatus. Ego Hieronymus Goricius, dictus de Barba, filius quõdam D. Baptistæ, Notarius publicus Nouariensis, suprascriptum actum prouisionis registratum in quoddam libro antiquo prouisionum communis Nouariæ, reposito, & reperto in & ad cameram communis Nouariæ, in qua sunt iura dictæ Communitatis Nouariæ, & solita ibi gubernari ab ipso

libro extraxi, & in fidem præmissorum subscripsi.

Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto indictione nona, existente potestate communis Nouariæ D. Aldricho de Lampignano, die mercurij vigesimo quarto octobris. Statutum & ordinatum est per consilium generale communis Nouariæ: cùm per commune Nouariæ sint venditæ aquę aquęductus & deriuationes aquarum quę, veniunt, & labuntur, & de cetero venient, & fluent, seu orientur in fossatis, & per fossata stratæ mastrę Caltignacæ, Isarni, & Vignalli, & ius deriuandi ipsas aquas, sint venditæ Guglielmo Barbauario de Castello, & similiter aquæductus & deriuationes aquarum, quæ fiunt, veniunt, & labuntur, & veniunt de cetero per fossatum factum per commune Nouarię iuxta stratam qua itur a Nouaria Romagnanum, a sero ipsius stratæ, & a manu sinistra eundo Nouariæ Romagnanum, sicut tendit a Strona pontis de Petrolio, vsque ad pontem Sicchum in territorio Acconiate prope fornacem Acconiati: dum non accipiatur de aqua rugiæ nouę, quę venit a Sicidæ sint venditę Vgheto Arcillo de Nibia, quòd aliqua persona, commune loci, vel vniuersitas non possint, nec eis liceat dictas aquas mouere, vel conuertere, vel impedire quin veniant, fluant, & currant per dicta fossata, vel per illas partes, per quas ducerentur ad vtilitatem dictorū Guglielmi, & Vgheti, & heredū suorū, & eorū quibus dederint, sub pœna & bāno solidorum sexaginta imperialium, qualibet vice auferendorum ab illa persona, communi, vel vniuersitate, quæ vel quod contrafecerit. Quæ pœna perueniat pro medietate in communi Nouariæ, & pro alia medietate in eum, contra quem factum fuerit, ita quòd liceat dictis Guglielmo, & Vgheto, & eorum heredibus, & quibus dederint, accusare potestati & rectoribus communis Nouariæ, qui nunc sunt, & per tempora fuerint: & quamlibet personam, commune loci, & vniuersitate, quam, & quod interuenerint super eorum emptionibus, faciendo contra prædicta vel aliquid prædictorum, prestito iuramento per eum, qui iurauerit coram potestate, & rectoribus suprascriptis quòd accusatio quā dederit eis vera est, & quòd potestates vel rectores communis Nouariæ, qui erunt per tempora, teneantur, & debeant, datis accusationibus prædictis, & pręstitis iuramentis, & datis terminis accusatis ad faciendum eorum defensiones, ipsas accusationes, quę eis dabuntur in condemnationem deducere, nisi iustam fecerint defensionem, & eas publicè in contione publica, intra mēsem vnum, postquàm eis datæ fuerint, vt supra, & quòd dicti potestates, & rectores, & assessores eorum, omnibus remedijs iure teneantur, & debeant cogere contrafacientes, & cùm fuerint condemnati, a die termini condemnationis in antea, ad solutionem de dictis condemnationibus, tam dictis, & eorum heredibus, & quibus dederint, quàm communi Nouariæ, statuto aliquo non obstante, & illud statutum ponatur in volumine statutorum communis Nouariæ. Subscriptum hoc modo, omisso solito signo notarij tabellionatus.

Ego Hieronymus Goricius, dictus de Barba filius quondā D. Baptistę, notarius publicus Nouariensis, suprascriptū statutū a quodam libro statutorū antiquorū in carta, reposito & reperto in & ad cameram cōmunis Nouariæ, vbi iura, & scripturæ dicti communis reponi & seruari solent, ab ipso libro extraxi, & in suprascriptam formam redegi, & in fidem pręmissorum subscripsi die Mercurij primo mensis Augusti, anni 1492. indictione decima.

*Inuestitura rugiæ nouæ, facta per communitatem Nouariæ in Commune & homines Cerredani, qui tenentur soluere omni anno modios uiginti quatuor siliginis dictæ Communitati Nouariæ: qui per communitatem Nouariæ cessi fuerunt Dominis Canonicis Ecclesiæ S. Mariæ maioris Nouariæ, pro ministraria pauperum, & Dominis Canonicis S. Gaudentij Nouariæ pro fabrica Ecclesiæ S. Gaudentij.*

ANNO dominicæ incarnationis, Milles. ducentes. secundo, duodecimo die exeuntis mensis Martij, indictione quinta, in Nouaria, in domo Credentię Consulū, pręsentia infrascriptorum testiū D. Robacomes de Mandello Nouariensis, potestas, ex consensu Penti agnati assessoris ipsius potestatis, Odemarij Tritiæ cōsidici Penti Pollasij, Lafranci Boniperti, Guinberti de Luppo, Guidonis Sopretij Consulū iustitiæ ipsius Ciuitatis: & consensu & parabola totius Credentiæ ipsius Ciuitatis, requisitis volūtatibus cuiuscunq; infrascriptis, præter de tribus, qui noluerunt: quæ credentia insimul in ipsa sono Cāpanæ pulsatæ cōuenerat nomine cōmunis Nouarię: retinendo in se dominiū rugię, & aquæductus secundū tenorem instrumenti facti de concessione rugię nouę illis de Cerredano, inuestiuit D. Robaldū Torniellū potestatē ipsius loci Cerredani, & Gregoriū de Landulfo, Robertū Portenariū, Vbertum Terratiū, Iuliū Portenariū, Petrū de Ardrito, Anselmū de Giramo cōsules suprascripti Burgi, & Prænostnm vicinum burgi, & Iacobū de Gualterio, Anselmū de Castello, Maluestirum Por-

Portenarium, Petrum Zaganum, Credentiarios ipsius burgi, nomine communis ipsius burgi, nominatim de ipsa rugia, & aqueductu per territorium Cerredani, eo modo, vt liceat cõmuni suprascripti burgi Cerredani facere in ipsa rugia, vbicunque voluerit commune ipsius burgi, pręter quòd non noceat molandinis, quę debent fieri superius molandinum, siue molandina, & alias suas vtilitates, soluendo omni anno fictum communi Nouariæ modios viginti & quatuor pulchrę siliginis, ad mensuram Nouarię, conductam in camera communis Nouariæ, in ipsam Ciuitatem, semper in cal. Martij, cum omnibus damnis, & dispẽdijs factis, vel habitis pro ipso ficto petendo, & si commune ipsius burgi tenuerit illud fictum per duos menses, vltra terminum, cadat ab omni iure: si potestas, vel Consules qui per commune fuerint, cum maiori parte credantiæ voluerint; & fabricam & edificia amittat, & nihilominus fictum præteritum soluere teneantur dicto communi. Eo modo facta est suprascripta inuestitura, ne liceat communi Nouarię prædictam rugiam, seu prędictos aqueductus, vel molandina illa auferre pro dandis illis molandinis alicui de Nouaria, vel districtu Nouariæ, habitantibus illi de burgo in ipso burgo, & stantibus voluntare communis Nouarię, & seruitia, sicut modo habitant, & stare videantur, seu aliàs, si potestas, vel consules qui pro tempore fuerint, cum maiori partę credentiæ, requisitis omnibus volũtatibus cuiuslibet infrascriptis, voluerint, liceat cõmuni Nouariæ ab ipso burgo, vel ab ipso communi burgi, ipsa molandina, sine inuestitura auferre; restituendo tamen eidem burgo expẽsas quæ fecerunt in fabrica, cum edificijs bona fide extimatis, & si per octo dies steterit quòd rugia non currerit: nihilominus fictum soluere teneatur illud cõmune suprascripti burgi, ab octo diebus verò inantea diminuatur per partem, si steterit ad currendum: quod fictum suprascriptus D. Robaldus de Torniellis potestas subscripti burgi, & suprascripti Consules, & vicini, nomine communis burgi, conuenerunt, & promiserunt ipsi D. Robacomiti potestati Nouarię, nomine communis ipsius Ciuitatis soluere, cum omnibus dispẽdijs, & dãnis factis, vel habitis pro ipso ficto petendo, obligando ei vice cõmunis Nouarię omnia bona communis suprascripti burgi, & bona burgensium pignori, & quicquid fuerit factum vel euenerit in molandino, vel molandinis, quæ fuerint in Valle, nihilominus fictum illud viginti & quatuor modiorum soluere teneatur supradictum commune iam dicti burgi Cerredani, siue pro guerra Papiensi, vel discordia inferiori Cerredani, vel alio quolibet modo, & si contingerit quòd molandina facienda a communi Nouarię, concessa fuerint a molãdino suprascripti burgi superius, vsque in Tardubium, illi quibus concessa fuerint teneantur ad refectionem ripę rugię, seu clusæ cum illis suprascripti burgi conferre pro rata ficti, secundum partem, & ita quòd liceat omnibus, quibus molandina data fuerint, trahere aquã rugiæ ad adaquandum prata sua a die sabbati vesperis inantea, vsque ad diẽ lune in mane & præcipuè in diebus festiuis principalibus, hoc est in ferijs Natalis Domini, & Paschæ, & anni noui: vnde duo bina vno tenore fieri rogauerunt. Interfuerunt consules mercatorum & paraticorum, qui ibi ad hoc vocati erant, & qui suprascriptę inuestituræ consenserunt, cùm parabolam vt fieret, dederunt. Interfuerunt testes Iacobus Gatarubia de Mediolano, Vbertus Coanxia bannitus, Peratius præco exequutor communis Nouariæ, omisso signo tabellionatus notarij infrascripti, subscripti. Hoc modo, videlicet. Ego Guido Spiliatus sacri Palatij Notarius interfui, & hanc cartulam rogatus subscripsi.

*Instrumentum de concessione facta Cerredano pro alueo rugiæ nouæ memoratum in dicto instrumento anni. 1202. est tenoris infrascripti.*

ANNO Dominicæ Incarnationis, Millesimo, Centesimo, nonagesimo octauo, decimo die exeunte mense Nouembris, indictione prima. Cum dominus Guido de Pirouano Mediolanẽsis ciuis, nostræ Ciuitatis Nouariæ potestas, homines de Consilio, & Credentia ipsius Ciuitatis Nouariæ, ad campanam pulsatam, in domo Credentiæ ipsius Ciuitatis, in vnum cõuocasset, & sigillatim ab vnoquoque per debitũ Iuramentum Consilij petijsset, qui sibi vice Communis Nouariæ, melius, & vtilius faciendum foret, super eo quòd Consules, & quędam pars vicinorum burgi Cerredani petebant ab eodem domino Guidone, quatenus ex parte communis Nouarię concedere dignaretur pręfatis consulibus, vicinisq; Cerredani nomine communis Cerredani, rugiam, siue lectum rugię facere vsque in Cerredanum, & aquam nouę rugiæ communis Nouariæ, per illam rugiam, siue alueum ipsius rugiæ deducere, & deriuare. Omnes homines de Consilio, & credentia præfati cõmunis Nouariæ, nullo discrimine, nulla diuisione inter eos habita, decem forte tantùm exceptis, dederunt consilium ipsi domino Guidoni Nouarię potestati, vt Vicecomes Nouarię, permitteret, & concederet

cederet cõsulibus,& vicinis præfati burgi Cerredani,nomine ipsius burgi rugiã nouã,vsq; Ceredanũ in facere, & aquã cõmeare nouæ rugiæ,ꝑ ipsã rugiã,quã ipsi de Ceredano petũt facere deducere,& deriuare.vsq; in Cerredanũ,retẽto in se omni dominio & decursu sępe nominatæ aquę nouæ rugię pro molandinis aliisq; communis Nouariæ vtilitatibus faciendis, hæc acta sunt in ciuitate Nouariæ,in prædicta domo Credentiæ, præsentibus testibus Guglielmo qui dicitur de Magnono,Gualfredo Tubatore : Post modũ verò,idest die sabbati sequẽti,qui fuit tertius exeũte Nouẽbri, prædictis indictioni & annis domini currẽtibus sępæ dictus Dominus Guido de Pirouano Nouariæ potestas cũ quibusdam hominibus Ciuitatis Nouarię, & aliũde,quorum nomina inferius scripta reperiuntur,proficiscens desubtus molandinum Seuerici Porchę,ad locum vbi dicitur in capite montis, iuxta campũ Guidonis de Rozato & iuxta viam mapugnani.Ita quòd ipsa via remaneat a sero, vt secundum quòd superius legitur consilium habuerat ab illis de Credentia adimpleret, dixit ipse D. Guido Nouariæ potestas,& parabolam,licentiam,ac auctoritatem dedit,ex parte Communis Nouarię,Ottoni Saluatico & Guilelmo Panzono consulibus burgi Ceradani,ad partem cõmunis ipsius burgi,vt faciãt nouã rugiã a prenominato loco incipientibus vsq; in Cerredanum,& aquam nouæ rugię communis Nouarię,per ipsam rugiam quam facturi sunt vsq; in Cerredanum deducant & deriuent,dominio prænominatę aquæ nouę rugię retento communi Nouariæ,pro molandinis & aliis communis Nouariæ vtilitatibus, ex aqua ipsius rugię,& in ipsa rugia faciendum actum vt supra dictum est ad molandinum Seuerici Porchæ, vnde duo instrumenta & plura a Domino Guidone Nouariæ potestate pręcepta sunt vnius tenoris scribi. Interfuerũt testes de Nouaria Guido de Galla,Seuericus Porcha,Robaldus de Terdobiato,Lafranchus Guasta por us omnes de Nouaria, de molandino Andreotus de Hostiolo,de burgo Ceredani Pręuostus,Guglielminus de Pisina, Maluestitus Portinarius, Vbertus Tercherinus. Subscriptum, omisso signo tabellionatus,hoc modo,videlicet.

Ego Otrauius,sacri Pallatii Notarius omnibus pręnominatis pręsens interfui,& de mandato iam dicti Domini Guidonis hanc cartulam scripsi.

*De Bochello ad pontem Vignalli pro conducendo aquas ad Molandinum S. Laurentij Nouariæ,& Molandinum Magnifici Doctoris D. Io. Baptistæ de Plotis prope S. Agabium,quod erat Mag. D.Ludouici de Catijs,& Molandinum dominorum Præsbiterorum Congregationis, & aliorum,quæ sunt super rugia veteri.*

NOS Antonius Buchiarinus I. V. Doctor, ex vicariis Ducalibus Generalibus, & Iulianus Guaschonus,ex Magistris Ducalium intratarũ &c. Comissarii,& Delegati Ducales, super Aquis Aconiæ,per litteras sub datas Papiæ ,die sextodecimo,Maij anni præsentis 1492. tenoris infrascripti,videlicet. Io. Galeaz Maria Sfortia,Vicecomes Dux Mediolani&c. Papiæ Angleriæq; Comes,ac Genuæ, & Cremonæ Dominus. Certiores facti sumus multos ex flumine Vgoniæ per agrum Nouariense labentis aquas deriuare,nullo iure,nulloq; titulo, multosq; etiam esse qui et si in eis diuertendo ius aliquod eis competat iuris, tamen sui limites excedere,plurimosq; etiam ipsius fluminis cursum variis modis impedientes. Quæ omnia sicuti & pręter ius & decreta & ordines nostros,ita molesta nobis euenerũt. Ideo cupientes his omnibus malis occurrere: tenore præsentium comittimus Nobili ac sapienti Doctori D. Antonio Buchiarino ex Vicariis nostris Generalibus, & Iuliano Guascono ex Magistris redituum nostrorum extraordinariorum. De quorum fide & sufficientia edocti sumus,vt ambo ad pręd ictum flumen se transferant,par iterq; ad vicinia loca informationes assumant,si per aliquos contrafactum est, in abstrahendo vel deriuando aliquam aquæ quantitatem, vel aliter impediendo rectum ipsius fluminis cursum, contra ius ordinesque nostros, ac decreta . Dantes eis potestatem corrigendi,moderandi, & ad debitos iuris terminos reducere quicquid per eos contrafactum inuenietur, puniendoque quoscunque qui in eo pecassent, sicuti ordines & decreta ipsa nostra voluerint. In qua re , ne aliquid desit quominus id fiat, Mandamus his nostris quibuscunq; officialibus nostris, feudatariorumq; nostrorum. Quatenus præfatis Comissariis nostris præmissa de causa auxilium præstent,& fauorem quemlibet opportunum. In quorum testimonium pręsentes fieri & registrari iussimus,nostriq; sigilli impress. muniri. Dat. Papię die 16. Maii. 1492. Signat. B. Calchus. Registrata in fol. 114. Ac etiã Comissarii & Delegati Illustriss. D.D. Ludouici Marię Sfortiæ , Ducis Barri &c. Super aquis rugiæ Mauræ & Terdubii tenoris infrascripti,videlicet.

LVDOVICVS MARIA Sfortia Vicecomes, Ducalis Locumtenens, & Capitaneus Generalis &c. Intendendo noi che alcuni, li quali sotto pretesto di hauer qualche ragioni di deriuar aqua delli fiumi della Vgonia, Terdubio, & della roggia nostra appellata la Mora, per condurre a suoi molini, & per adaquar prati & altri terreni, ne cauano piu del douere, & alcuni altri, che indebitamente se vindicano ragione, & tamen non l'hanno da cauare, ce la vsurpano. Alli quali incōuenienti & disordini volendo prouedere, così per interesse della Ducal Camera, come nostro: confidandone della integrità, equità, & diligenza delli spettabili M. Antonio Buchiarino delli Vicarij generali, & Iuliano Guascono delli maestri delle entrate extraordinarie. Per tenor di queste nostre gli facciamo ampla & libera commissione, & autorità di transferirsi sopra li detti fiumi, & roggia nostra, così di sopra, come di sotto da Nouara, & vedere & essaminare diligentemente tutte le bocche, & luoghi, per li quali si caua detta aqua da essi fiumi, & roggia: & intendere diligentemente quelli che hanno buona ragione di cauarla, alli quali volemo siano conseruate dette sue ragioni: ma se ne cauassero piu del douere, volemo reducano li bocchelli al debito suo: itache habbiano tantummodo la ragione sua. Et trouando alcuno che ne caua senza ragione, prouedino che non ne possino hauere da mo inanzi: ma siano priuati d'ogni facoltà che se hauessero vendicata da loro in cauarne per il passato. Reuocando per tenore di questa ogni commissione che fosse fatta in altri, & massime nel Comissario di Nouara, & così comandiamo a qualonque, che esequisca quanto li sarà comesso, & ordinato per li detti nostri Comissarij, sotto pena della indignatione nostra. Dat. Mediol. sub fide nostri sigilli: die 17. Iulij 1492. Regist. in fo. 12. Qui prius vidimus, & diligēter examinauimus cōmissiones prædictas, nobis, vt supra, factas, earumque tenorem, & proclamationes vigore ipsarum litterarum factas, & terminos in dictis proclamationibus appositos, & comparitiones factas per quam plures, occasionibus præmissis, contradictionesque eorundem, & qui etiam vidimus vnam & plures prorogationes factas super dictis proclamationibus: & qui etiam oculata fide vidimus clusas & buchas positas, & existētes super dicto flumine Aconię, & Terdubij, ac rugiæ Maurę, per quas ducitur aqua a dictis fiuminibus & rugia Mauræ ad molandina & prata diuersarum personarum: vidimusque multorum priuilegia, concessiones, scripturas, & instrumenta, cum productionibus exinde factis: ac dicta testium examinatorum in materia ipsarum aquarum, singula singulis congruè refferendo: vidimus etiam exinde omnia coram nobis deducta & agitata, tam viua voce quàm in scriptis, auditis & intellectis, ac consideratis diligenter ipsis omnibus, ac demum visa monitione perhemptoria, nostri parte facta contra quoscunque qui coram nobis comparuerunt, & contradixerunt, negarunt, & fecerunt contra prædicta: & super his omnibus & singulis matura & diligenti deliberatione præhabitis.

CHRISTI eiusque Gloriosissimę Virginis matris Marię, necnon diuorum confessorum Gaudentij, & Agabij huius Ciuitatis patronorum, ac Hieronymi, & diuæ Catherinæ nominibus, & suffragio imploratis, dicimus, pronuntiamus, sententiamus, reseruamus, & declaramus in omnibus, & per omnia prout infra, videlicet.

QVIA nobis prius, & ante omnia reseruamus potestatem, & facultatem interpretandi, corrigendi, arguendi, & moderandi quicquid nobis videbitur in infrascriptis, & circa infrascripta, quia in causa contradictionum & comparitionum factarum per spectabilem iuris V. Doctorem D. Ludouicum Catiam, & venerabilem D. presbiterum Georgium de Brusatis, tamquàm Ministralem venerabilium Dominorum præsbiterorum Congregationis, eorum proprijs nominibus, & nomine, & vice aliorū consortū suorum, & ius habētium super buchello, de præsenti existente super rugia Maura, super strata Vignallis, dicimus pronuntiamus, & diffinitiuè sententiamus in his scriptis, ad ipsos dominos Ludouicum Catiam, dictum D. præsbiterum Georgium ministralem, vt supra, eorum proprijs nominibus, & nomine & vice quo supra, spectasse & pertinuisse, ac spectare & pertinere ius habendi, & tenendi semper, imperpetuum super ripa dictę rugiæ Maurę, ad dictam stratam Vignallis buchellum, per quod possint, & eis liceat, & licitum sit diuerti, & seu diuerti facere rouezium vnum aquæ, ex & de aqua dictæ rugię Maurę, & illam diuerti & labi facere ad molandinum appellatum molandinum Sichaliorum, præfati Domini Ludouici Catię, & successiuè ad alia molandina existentia super rugia vetera: & hoc ad vsum & pro vsu dictorum molandinorum, & hoc loco, & scontro aliarum aquarum quæ decurrunt, & solitę erant decurrere ab vtraque parte dictæ stratę Vignallis, & ab alijs diuersis partibus superioribus, incipiendo ad capsinas illorū de Aduocatis, vsq; ad dictam stratam Vignallis, in rugia quæ appel-

labatur

labatur rugia domini Manfredi Barbauariæ,in quam de præsenti fuit,& est constructa ip-
sa rugia Maura,& prout ipsi domini Ludouicus & presbiter Georgius ministralis,vtsupra,
& eorum consortes fuerunt,& sunt in quieta,& pacifica possesione, tenendi & manutenen
di dictum bucchellum,vtsupra:& ex dicto bucchello diuertere & labifacere , ex & de dicta
aqua rugię Mauræ,rouedium vnum aquæ,& prout ante fabricationem dictę rugiæ Mauræ,
ex & de aqua decurrente per dictam rugiam dicti D. Manfredi Barbauariç faciebat ad
molandinum Sichaliorum dicti domini Ludouici,& successiuè ad alia molandina, existen
tia super dicta rugia veteri,vtsupra.

LATAE,datę,& in his scriptis promulgatę fuerunt suprascriptę sententię per suprascriptos
Mag. D. Antonium Buchiarinum,& Iulianum Guasconum Commissarios antedictos,sedé
tes super vno bancho posito in caminata mei Notarij infrascripti, posita in Ciuitate No-
uariç,in parochia sancti Iulij:quod banchum & quem locum eligerunt, & eligunt præfati
D. Comissarij pro eorum & cuiuslibet ipsorū idoneo loco,& tribunali ad omnia suprascri
pta peragenda modis& formis superius descriptis: ac lecta per me Notarium infrascri-
ptum, sub anno Millesimo quadrigentesimo nonagesimo secundo, indictione decima, die
verò veneris septimo mensis Septembris,hora vigesima quarta , vel circa: & reseruantes
primo,& ante omnia præfati domini Comissarij sibi facultatem & bailiā declarādi super
reliquis dictarum clusarum,& item super omnibus contentis in dictis litteris, tam Duca
libus,quàm etiam Illust. D.D. Ludouici Mariç Sfortiæ &c. ac etiam corrigendi, augendi,
minuendi,interpretandi,ac declarandi quemadmodum melius eis videbitur, & placuerit.
Præsentibus pro secundis notarijs Genexio Azone de Scriuantis,& Bartholino de Captane
is:& pro testibus spectabile D. Bartolomeo Catia dicto Turcho filio quondā domini Tho
meni, D. Iacobo de Morbio filio quondam D. Christofori, & D. Simone de Gritis filio
quondam D. Francini,ac D.Rolando de Aduocatis filio quondam D. Io.Antonij,omnibus
Ciuibus Nouariæ ad præmissa vocatis & rogatis.

Ego Stephanus de Aduocatis filius quondam D. Io. Antonij publicus auctoritate notarius
de predictis sententijs rogatus fui,& me subscripsi.

## *Instrumentum cum Duce Ludouico,& Successoribus,aquarum rugiæ Mauræ.*

IN Nomine domini amen. Anno Natiuitatis eiusdem,Millesimo quadragentisi-
mo octuagesimo septimo , indictione quinta. Existente potestate communis
Nouariæ Magnifico viro domino Iacobo de Seregno,etiam Ducali Comissario,
die Martis trigesimo primo mensis Iulij,hora in octauis,in palatio communis
Nouariæ,videlicet in saleta veteri,residentię prefati domini potestatis, & Co-
missarij Nouariæ,vbi & in qua conuocari & congregari solent domini Præsidentes dictæ
Ciuitatis,& coram ipso domino Comissario,& potestateconuocati,& coadunati erant. &
sunt,de mandato prefati domini potestatis,& Comissarij pro infrascriptis specialiter pe
ragendis, & pertractandis,infrascripti domini de consilio & Præsidentes Communitatis
Nouarię in sufficienti numero,& qui sunt maior pars,imo plus quàm duæ partes ex tribus
partibus dicti consilij,& dominorum præsidentium dictæ Communitatis, sono campanæ
& tubæ premisso,vt moris est:Et quorum Præsidentium nomina sunt hec, videlicet, Ma-
gnificus Comes & miles D. Conradus della Porta filius quondam Reuerendissimi D.D.Ar
dicini Cardinalis &c. Magnificus miles D. Franciscus de Catijs filius quondam D. Grego
rij, Magnificus miles,& Comes D. Manfredus de Torniellis filius quondam D. Melchio-
nis,& nobiles D. Io. Petrus Catia de Mandello filius quondam D.Ioannis, Baptista de Ni-
bia filius quondam D. Gaudentij,Bernardinus de Plotis filius quondam D. Benedicti, An-
dreas de Scriuantis filius quondam D. Azonis, Petrus de Caualiano filius quondam D. Pe
trini,Hieronymus de Captaneis filius quondā D. Simonis loco Ardicini eius fratris,Fráci
scus de Portijs filius quondā D.Iacobi loco Blaxini de Portijs eius fratris, Nicolaus de Ba
liotis filius quondā domini Laurētij,& Dauid de Scriuātis filius quōdā D. Filipini loco D.
Nicolini de Scriuantis filij quondam D.Ioannis Antonij,& vnà cum eis Clarissimus Iuris
vtriusque doctor D. Ludouicus de Catijs filius quondam domini Bartholomei etiam legū
Doctoris,D. Constantius dela Porta filius quondam Magn. Militis & Comitis D. Petri de-
la Porta,& D.Iacobus Baliotus filius quondam D.Hieronymi,Michelinus de Piscatoribus
filius quondam D. Gregorij,& Mattheus de Nibia filius quondam D. Seraphini legum Do
ctoris

ctoris,deputati per communitatem Nouariæ,& per Cōsilium maius dictæ Ciuitatis, videlicet, de sexaginta pro infrascriptis spetialiter peragendis,tractandis,& faciendis,vnà cum suprascriptis D. Præsidentibus, & de consilio priuato dictæ ciuitatis, omnes vnanimes, & concordes, ac ipsorum nemine discrepante, ex comissione eis vtsupra facta per præfatos spectabiles Dominos de consilio maiori de sexaginta dictæ ciuitatis Nouariæ,super requisitione aliàs facta per spectabilem D. Iulianum Guasconum negociorum gestorem,ac specialem nuntium, & mandatariũ Illustriss.& Excellentiss.D.Ludouici Mariæ Sfortię Vicecomitis Ducis Barri,ac Illustriss. & Excellentiss. Principis,& D.nostri Domini Ducis Mediolani. &c. Gubernatoris & Locumtenentis,ac Capitanei generalis:& qui dominus Iulianus, nomine prę libati Illustriss. Domini Ludouici Mariæ,requisiuit a dicta cōmunitate, & præfatis Dominis de consilio, tam priuato quàm maiori de sexaginta, vtsupra, quòd ipse Dominus Iulianus dicto nomine, & consequenter prælibatus Illustriss. D. Ludouicus Maria possit extrahere ab alueo fluminis Sicidæ aquam pro Rouezijs tribus aliàs concessam, & cōcessis Illustriss. D. Roberto de S. Seuerino, & vltra dictos rouezios, tres alios rouezios, & aquam pro rouezijs sex in summa,& in totum rouezios & aquam pro rouezijs nouem, conducendo aquam ipsam, & aquas per alueum rugię nouę Ciuitatis Nouariæ, vsque quo fuerit conducenda, & inde ad villam, ac terram, & territorium Villę Nouæ, & inde ad terrã, & oppidum Vigleuani,& eius, ac per eius territorium, ad vsum,& vtilitatem, ac pro vsu, & vtilitate prę libati Illustriss.D. Ludouici Marię:& prout latius de præmissis contineri reperiatur in promissione facta per præfatos dominos de Consilio sexaginta: & in requisitione facta per pręfatum Dominum Iuliannm dicto nomine, ad quę omnia debita habeatur relatio: vnde pręfati domini de consilio, & deputati vtsupra, nomine præ fatę communitatis Nouariæ, in pręsentia,& cũ consensu, ac auctoritate præfati D. Comissarij & potestatis pro vna parte, & nomine dictę Communitatis Nouarię vtsupra: & prædictus D. Iulianus Guasconus negociorum gestor & mandatarius, ac nuntius specialis pręlibati Illustriss. D. Ludouici Marię vtsupra, habens generalem & specialem comissionem infrascripta faciendi, & promittendi a prælibato Illustriss. Domino Ludouico Maria, prout constat ex literis patentibus prælibati Illustriss. Domini Ludouici Mariæ, sigillo magno cerę albæ impresso, & sigillatis & subscriptis, Ludouicus manu propria, & inde etiam subscriptis, Aluisius, pro alia parte,& nomine prælibati Illustriss. D. Ludouici Mariæ & quarum literarum tenor talis est, videlicet, LVDOVICVS Maria Sfortia Vicecomes Dux Barri, Ducalis Locũtenẽs,& Capitaneus generalis. Facendo noi di presente cauare certa roggia del fiume di Sesia de Nouaresi, per condurre alle possessioni nostre di Villanoua & Vigleuano, & vsando in questo, si per l'vso della roggia, o sia letto di roza, che viene a Cerrano, si etiam per il concederne per il cauare l'acqua dal detto fiume, della munificentia & liberalità della magnifica Communità di Nouara, per ilche ne è necessario contrahere de presente, & fare alcune conuentioni, & patti con essa, non potendo noi per altre piu graue occupationi attenderli & confidandone della fede, & prudentia del Nobile Giuliano Guascono nostro fattore, al quale hauemo dato l'impresa di condurre detta roggia, n'è parso confidentemente dar anchora la cura di fare questi contratti, con la predetta Communità,& cosi per tenore della presente, sottoscritta di nostra propria mano, concediamo al predetto Iuliano arbitrio, facoltà, possanza,& auctorità di poter stipular, promettere,& far tutti quelli capitoli, conuentione, & patti, in nostro nome, con la detta communità, che per le cose dependenti di detta roggia saranno necessarij, non altramente che poteresimo noi stesso promettendo ex nunc d'hauere rato,& fermo tutto quello che per lui circa questo sarà fatto. Dat. Gleare die trigesimo Iulii. 1487. Subscript. Ludouicus Maria manu propria. Signa. Aluisius. Visis igitur & intellectis dictis litteris per præ fatos. D. Pręsidentes, ac deputatos, vtsupra, & visa comissione eis facta, per præfatos dominos de consilio sexaginta, omnes vnanimes, & concordes, vt supra, & nemine eorum discrepante, & cum auctoritate & consensu, pręfati D. Comissarij & potestatis, vtsupra, deuenerunt ad infrascripta pacta, & conuentiones, obligationes, concessiones, promissiones, & capitula, solemni stipulatione hincinde interueniente Vallatas, & Vallata cum prædicto D. Iuliano Guascono negociorum gestore, & nuntio speciali, vtsupra prælibati Illustriss. D. Ludouici Mariæ, videlicet, quia prędicti D. Præsidentes, & deputati, reprę sentantes totam communitatem Nouariæ & nomine & vice dictę communitatis Nouariæ,& ex facultate, & vigore commissionis arbitrij potestatis, & bailiæ eisdem a dictis de consilio sexaginta cõcessis, & attributis, dederunt, cocesserunt, & attribuerunt, ac dant, concedunt, & attribuunt prędicto Domino Iuliano

Iuliano Guascono, vtsupra, præsenti, stipulanti, & recipienti nomine & vice, prelibati Illustriss. Domini Ludouici Mariæ Sfortię Vicecomitis Ducis Barri &c. & per ipsum Iulianum prelibato Illustriss. D. Ludouico Mariæ, ac mihi notario infrascripto stipulanti, & recipienti nomine & vice prelibati Illustriss. D. D. Ludouici Mariæ, eiusque heredum, & successorum, & habiturorum causam ab eo, vel eis ius, arbitrium, licentiam, & omnimodam facultatem, & bailiam, extrahendi, & extrahi faciendi, ac deriuandi, & defluendi, & deriuari, & deflui faciendi ab alueo fluminis Sicidę in territorio Nouariensi, vltra aquam defluentem ex dicto flumine ad molandina Nouariæ, pro vsu dictorum molandinorum, alios rouegios, & aquam pro rouezijs nouem, computatis in dicto numero rouegiorum nouem, rouezijs tribus aquæ; aliàs per dictam communitatem Nouarię concessis Illustriss. D. Roberto de S. Seuerino, & ita, & taliter quòd prefatus Illustriss. D. Robertus, eiusque heredes & successores de cetero nullum ius habeant extrahendi aliquam aliam quantitatem aquarum vigore cuiusuis concessionis sibi factæ seu facultatis attributæ, tam per dictam communitatem, quàm alias quasuis personas dictæ communitatis, prælibato Illustriss. D. Roberto, eiusque heredibus, & successoribus, & quibus ius dedit, vel dederit, & quòd teneatur & obligatus sit prælibatus Illustriss. D. Ludouicus Maria, eiusque heredes & successores, & habituri causam ab eo, vel eis, vtsupra, dictam Communitatem Nouariæ, & quascunque priuatas, seu particulares personas dictę Ciuitatis, & earum res, & bona releuare, & indemnes conseruare pro dictis rouezijs tribus aquæ, aliàs prelibato Illustriss. D. Roberto concessis, & ab omni, & qualibet molestia, tam iuris quàm facti, quæ dictæ communitati, & dictis priuatis personis quouis modo inferri posset per prælibatum D. Robertum, eiusque heredes, & habituros causam ab eis, vtsupra, vigore dictæ concessionis aliàs factę dicto Domino Illustriss. Roberto de dictis rouegijs tribus, & occasione dependentium & emergentium ab eisdem: quia aliter & alio modo non deuenissent ad presentem contractum, & quòd dicta extractio dictæ aquæ dictorum roueziorum noué a dicto flumine Sicidę fiat & fieri debeat ad & in hac per buccham rugię nouę dictę communitatis super dicto flumine Sicidæ in territorio Romagnani, vnà cum alia aqua defluente ad dicta molàdina dictę Ciuitatis, & suburbiorum Nouariæ, & pro vsu dictorum molandinorum dictæ Ciuitatis: deinde ipsam aquā roueziorum nouem, vnà cum alijs aquis defluentibus ad dicta molandina dictæ ciuitatis, vtsupra, conducendo, & conduci debeat per alueum dictę rugię nouæ, modo & forma, ac cū capitulis, pactis, conditionibus, prouisionibus, & obligationibus, de quibus, & prout infra continetur, & scriptum est: quia aliter, & alio modo dictæ partes non deuenissent ad præsentem contractum, & quorū capitulorū tenor talis est, & sequitur prout infra, videlicet.

Primo quòd Illustriss. Domini D. Ludouicus Maria Sfortia Vicecomes Dux Barri &c. teneatur suis sumptibus, & expensis fieri & construi facere in loco vbi dicitur, el torna fora, super territorio Romagnani conchas & strauachatoria, pro diuertendo dictam aquam extra alueum rugiarum tempore inundationum aquarum, taliter quod propter dictas inundationes aquarum non inferatur aliquod damnum Ciuitati Nouarię, nec alijs bonis dictę Diœcesis, & postmodum dictæ conchæ, & strauacatoria manuteneantur per prelibatum Illustriss. D. Ludouicum Mariam, eiusque heredes, & successores, ac per Dominos molandinorum, habentium comoditatem dictæ aquæ, ad ratam pro rata.

Item quòd liceat cuicunque personæ extrahere aquam a dictis rugiis pro eorum ptatis irrigandis, & adaquandis, dummodo ius habeant, tam ex dispositione statutorum Nouariæ, quàm aliter.

Item quòd liceat, & licitum sit communibus, nobilibus, & hominibus terrarum, & locorum Agamii, Siciani, Faræ, & Brionæ, ac ciuibus Nouariæ, ibidem agere habentibus, accipere ad pontem canturinum ex aqua dictę rugiæ rouezios duos aquę ad minus continuè, pro vsu eorum molandinorum, ac pratorum adaquandorum diebus festiuis iuxta formam statutorum Nouarię, & quòd postmodum dicta aqua post descensum dictorum pratorum reuertatur & defluat in alueum dictæ rugię nouę.

Item quòd non possit Dominatio sua aliquid ininunctare, nec innouare circa primam diuisionem aquarum rugiæ nouæ, & rugię veteris, sed quòd adaquentur & sustentur iuxta cōsuetū. Et quòd in alia secunda diuisione, quæ fit de rugia veteri, rugia per quam defluit aqua ad molandinum Ciresiæ, & alia molandina super ipsa rugia existentia, tempore sicitatis habeat ad minus, & habere debeat rouezium vnum aquę: & residuū dictæ aquæ defluat per dictam rugiam veterem ad molàdina S. Laurentij, & S. Agabii Nouarię, per rugias, & astas consuetas, & consueta: & quòd lcieat prælibato Illustriss. D. Ludouico Mariæ, desuper & pro-

prope molandinum dominorum præsbiterorum Congregationis extrahere aquam de dicta rugia veteri, & ipsam conducere per torcular fiendum per dominationem suam de super Cirpodium, cum hoc tamen, quòd præfatus D. Ludouicus Maria teneatur dimittere ad minus rouezios duos aquæ tempore sicitatis, pro vsu dicti molandini, & pratorũ de subtus existentium, ac aliorum molandinorum, & pratorum ius habentium super dicta aqua, & ita & taliter quòd non possit se impedire de dicta aqua Cirpodii, nec intromittere, nisi in moderando bucham dicti Cirpodij, ad ius quod habet, siue vigore statutorum, siue per sententiam, siue aliter, & tempore inundationum & abundantiæ aquarum, quilibet habeat & habere possit aquam ad sui beneplacitum, tam pro pratis quàm molandinis.

Item quòd aquę quę erunt vltra vsum molandinorum rugiæ nouæ, & rugiæ veteris, & per quas inferrentur præiuditium dictis molandinis propter nimiam abundantiam diuertantur, & diuerti debeant, per strauacatorium, seu discargatorium rugiæ nouæ quod est desuper diuisam dictarum aquarum, & rugearum nouæ, & veteris.

Item quòd prælibatus Illustriss. D. Ludouicus Maria & eius heredes, & successores, vtsupra, ad expensas constructionis clusę super Aconia, & ad ipsam manutenendam teneantur, & obligati sint, ad ratam pro rata, & qui non contribuerint pro rata, non possint vti commo ditate aquæ, donec satisfecerint, vel puniantur arbitrio domini potestatis Nouariæ, dummodo non excedat pœnam librarum decem imperialium, applicandarum, & conuertendarum in vtilitatem dictæ clusæ: & ad ipsam constructionem clusæ, & refectionem, cum prælibato Illustriss. D. Ludouico Maria, teneantur illi qui hactenus soliti sunt contribuere, & non alii.

Item quòd pro custodienda dicta rugia, & aquis dictæ rugiæ, seruentur statuta ciuitatis Nouarię.

Item quòd prælibatus Illustriss. D. Ludouicus Maria, eiusque heredes, & successores, vtsupra, per hanc concessionem, non possint, nec eis liceat, aliqualiter vendere, alienare, donate, locare, vel alio quouis modo concedere, alicui personæ communi, collegio, vel vniuersitati, ius vel facultatem, aut arbitrium extrahendi aliquam quantitatem aquę, a dicta rugia noua, videlicet, a bucha Sicidæ, vsque de subtus de prælis.

Item quòd prælibatus Illustriss. D. Ludouicus Maria teneatur, & debeat, per se, suosque
heredes, & successores, vtsupra, releuare, & indemnes conseruare, communitatem Noua-
riæ, & singulares personas, ac dominos molandinorum Nouariæ, a concessione aliàs facta
Illustriss. D. Roberto de S. Seuerino & ab omni molestia quam habere possent, occasione
dictæ concessionis de roueziis tribus aqnæ, a dicto flumine Sicidæ, per dictam rugiam no-
uam, prout de tali eius concessione apparet per instrumentum, fieri rogatum, per quondã
Gasparinum de Brissia Notarium Nouariensem, anno, & die, in eo contentis. Quam qui-
dem concessionem, datumque, & licentiam, vtsupra, ac omnia, & singula suprascripta pa-
cta, conuentiones, & capitula, in omnibus & per omnia prout supra continetur, & scriptũ
est, præfati D. Præsidentes, & deputati nomine, & vice dictę communitatis Nouariæ, vtsu-
pra, promiserunt, & promittunt, prædicto D. Iuliano Guascono nuntio, & mandatario, vt-
supra, ac mihi Notario infrascripto, & cuilibet nostrum stipulantium, & recipientium, ac
stipulanti, & recipienti, nomine & vice prefati Illustriss. D. Ludouici Mariæ eiusque here-
dum, & successorum, & quibus ius dederit, vel dederint, vtsupra, & per nos & quemlibet no-
strum, prelibato Illustriss. D. Ludouico Maria eiusque heredibus, successoribus, & quibus
ius dederit, vel dederit vtsupra, attendere, & obseruare, & quòd nullo vnquam tempore
ipsa communitas Nouarię per se, vel aliam personam, vel personas tacitè, vel expressè, di-
rectè, nec per indirectum contrauenient, nec contrauenienti, vel contrauenientibus consen-
tiet. pro quibus omnibus, & singulis firmiter attendendis, & obseruandis, vtsupra, prefa-
ti D. presidentes, & deputati, vtsupra nomine dictę communitatis Nouarię, obligauerũt,
& obligant omnia, & singula bona, & res dictę communitatis presentia, & futura, ita ta-
men, & taliter quòd pro predictis, & quolibet prædictorum non sint, nec esse intelligantur
in aliquo modo obligata, bona, & res ipsorum dominorum Præsidentium, & deputatorum,
vel alterius ipsorum in genere, nec in specie, sed solùm bona, & res dictæ communitatis
Nouariæ, presentia & futura, vtsupra. Et econuerso predictus D. Iulianus Guasconus nun-
tius, & mandatarius, vtsupra, & nomine, & vice prelibati Illustriss. D. Ludouici Marię pro-
misit, & promittit, prefatis D. Presidentibus, & deputatis, ac mihi Notario infrascrpto,
vtsupra, & quibuslibet, seu alterum nostrum stipulantibus, & recipientibus nomine, & vice
dictæ communitatis Nouariæ, & omniũ ac aliorum, & singulorum, quorum interest, inte

rerit

tererit vel interesse poterit quomodolibet infuturū,ac per nos & quęlibet nostrū dictę Cō
munitatis Nouariæ,& aliis quorū interest,intererit,vel interesse poterit quomodolibet in
futurū,vtsupra,quòd prælibatus Illust.D. Ludouicus Maria per se,ac eius heredes,& succes
sores, ac habentes vel habituros causam ab eo, vel eis, prædicta omnia,& singula infrascri
pta capitula,pacta,cōuētiones,& promissiones, ac omnia alia,& singula,nomine prælibati
Illustr.D.D.Ludouici Marię factas,& facta attēdet,& obseruabit, ac attēdēt & obseruabūt,
& in nullo cōtrafaciēt,vel veniēt,tacitè,nec expressè,directè,nec per indirectum , nec alio
quouis modo,sub ypotheca,& obligatione omniū & singulorū bonorū pręlibati Ill.D.Ludo
uici Mariæ pręsentiū,& futurorū,ac dānorū,interesse,& expēsarum restitutione,& vlterius
promisit,& promittit dictus D. Iulianus Guasconus dicto nomine se facturū & curaturum
opera & effectu,quòd pręlibatus Ill.D.Ludouicus Maria per se,suosq; heredes, & successo-
res,& quibus ius dederit,vel dederint,vtsupra,prædicta omnia & singula ratificabit,& amo
logabit per publicū instrumētū,& in omnibus,& ꝑ omnia,vtsupra,fecit, & promisit dictus
D. Iulianus dicto nomine,renūtiādo etiā dictæ partes,& quælibet earū,nominibus quibus
supra,ac renūtiauerūt,& renūtiāt omnibus & singulis legibus,statutis, decretis, ordinibus,
& iuribus,quibus,& per quę,aut aliquo eorū,prædicta omnia,& singula,aut aliqua ex eis,in
fringi,aut rūpi possent prędicta,aut aliquod prædictorū,sic aut aliter fieri nō potuisse,nec
debuisse,etiā si tales,& talia forēt de quibus,aut aliquo eorū spetialē oportuisset , & opor-
teret facere præsentibus mētionē,& omni alii,& legū auxilio , quo dictę partes, aut altera
ipsarū vti posset pro prędictis,aut aliquo prædictorū, quoquomodo infringēdis , & inuali-
dādis,rogātes,& rogauerūt ipsę partes,& quęlibet earū me notariū infrascriptū,vt de præ-
dictis omnibus,& singulis vnū & plura publica cōficiā instrumēta,etiā ad dictamē sapiētis.
Præsentibus testibus D.Io.Antonio de Catiis de Paltrēgo,filio quōdā D. Io. Petri, Simone
de Mortario filio quōdā tubicina cōmunis Nouariæ,& D. Io.Marco de Torniel-
lis filio quōdā D. Galuanei,rogatis.&c. Subscr.omisso signo tabell. Ego Gene-
sius Azo de Scriuātis fil.quon.D.Valētini Not. publicus Nouarien. suprascriptū instrumē
tū traditū & abreuiatū per Leonardū de Brusatis Not.infrascriptum iussu ipsius Leonardi
scripsi & me subscripsi. Itē omisso signo tabellionatus subscrip. Ego Leonardus de
Brusatis publicus Imperiali auctoritate Notarius Nouar. filius quōdā D. Māfredi , supra-
scriptū instrumētū cōcessionis,& cōuētionū,& capitulorū,vtsupra,rogatus tradidi & abre
uiaui,scribi feci,& me subscripsi.

*Instrumentum pro Rouegiis octo,ad minus,dimittendis pro vsu Molandinorum,*
*& pratorum Ciuitatis Nouariæ,antequàm aquæ conducantur per rugiam*
*Mauram ad vsum possessionum Sfortiadæ,Vigleuani, & Villænouæ.*

IN Nomine Domini Amen. Anno Natiuitatis eiusdē Millesimo quadrigētesimo
octuages.octauo,indictione sexta. Existēte potestate Cōmunis Nouariæ Magn.
& generoso viro.D.Iacobo de Seregno,die Dominico viges.secūdo mēsis Iunii,
hora in octauis,in Pallatio Cōmunis Nouar.& in saleta noua dicti cōmunis,in
qua solēt D.Præsidētes dictę Cōmunitatis cōuenire pro negociis dictæ Cōmu-
nitatis explicādis,& tractādis.Ibiq; in pręsentia,& de mādato præfati D.Comissarii, & po
testatis,pręmisso sono cāpanæ,voceq; præconis,vt moris est, conuocati & cōgregati infra-
scripti D.cōsiliarii,& pręsidētes dictæ Cōmunitatis,& vniuersitatis de numero quindecim
& alii infrascripti de numero sexaginta. Quorū de numero quindecim nomina hæc sunt,vi
delicet. Magn. D. Comes Manfredus Torniellus,D.Franc.Catia miles,D.Antonius de Te
tonis,D.Cristophorus de Fortibus,Dominus. Balthasar de Brusatis. I.V.D. Simon de Gri
tis loco Domini Georgij eius fratris, Michellinus de Piscatoribus , Augustinus de Bru-
satis loco Antonii eius fratris,Marchinus de Bossio loco Baptistæ eius fratris, & quorum
nomina de numero sexaginta sunt hęc videlicet.Magnifici D. Corradus de la Porta miles,
Constantinus de la Porta,Ardicinus de Brusatis loco D.Iacobi eius fratris,Ioānes Marcus
Torniellus,Iacobinus de Morbio,Blasinus de Portijs,Tulius de Blado, Bonifortus de la Por
ta,Andreas de Scriuantis,Ioannes Lucas de Bonipertis,Ioannes de Buziis,Antonius Capta
neus loco D. Simonis eius patris , Bernardinus de Paltronis loco Hieronymi eius fratris,
Ardicinus de Reueslate loco Serafini , Laurentius de Vespolato, Gregorius de Aduocatis
loco Nicolini eius fratris , Mathias de Maio , Baptista de Captaneis loco Domini Vber-
ti eius patris , Franciscus de Abondio loco Antonii eius fratris , Franciscus de Bergio-
chis, Gaudentius Cicada , Ioannes Antonius de Nibia loco Baptistæ,Ioannes Petrus Ca-
tia Domini Bertholomei , Petrus Leonardus Domini Comini , Ioannes Andreas de

Camodea, Aluisius de Prinis, Nicolaus Varonus, loco Philippi, Bernardinus de Plotis, Nicolinus de Scriuantis, Ioannes petrus Catia Domini Ioannis, Marcus Barbauaria loco Baptistæ eius fratris, Nicolaus de Baliotis. Et qui suprascripti tam de numero quindecim, quàm etiam de numero sexaginta, fuerunt, & sunt inter eos maior pars, imo plus quàm duæ partes ex tribus omnium præsidentiū, & de numero sexaginta dictæ Ciuitatis, & qui suprascripti repreſentant totam Communitatē, & vniuersitatē Ciuitatis, secundū ritū & ordines dictæ Cōmunitatis: & quibus spectat & pertinet de negocijs dictæ Cōmunitatis agere & disponere iuxta stilū, & ordines prædictos. In quorum pręsentia præfatus D. Commissarius, & potestas proposuit Illust. Excell. D. D. Ludouicum Mariam Sfortiam Vicecomitem, Barri Ducem, & Ducalē Gubernatorem, & Capitaneū generalem, per suas opportunas commisſionis literas, comisisse Magn. D. Iuliano Guascono, ipsius Illust. & Excell. D. D. Ludouici Mariæ negociorum gestori, vt pro conducendis aquis a flumine Sicidę per rugiam Nouariensem, posset & posſit capitula opportuna cum agentibus nomine præfatæ cōmunitatis, & ordinationes & alia facere ad conductionem dictæ aquæ, sic tamen vt omni tēpore Cōmunitas Nouarię & molādina Ciuitatis & burgorum Nouarię, primo, & ante omnia, habeant & habere debeant rouezios octo aquæ ad ipsorū vsum, & secundū cōmisſionem, & literas directiuas pręfato D. Iuliano. Quarū literarū & cōmisſionis tenor sequitur. Ludouicus Maria Sfortia Vicecomes &c. Giuliano, La Cōmunità di Nouara per vna sua di 21 del passato ne scrisse volerui mandar da loro per concludere & firmar li ordini & capitoli, che se debbano osseruar nella conduttione de li otto rouezi d'acqua, accioche quella Citta per alcuni tempi nō ne restasse in penuria, per tanto volemo vc transferiate a detta Citta di Nouara, & in nome nostro cōcludiate, & firmate detti capitoli, in modo & forma che per ogni euento non ne habbia da patire sinistro nè detrimento alcuno: dandoui per tenor di queste nostre, ampla & ferma possāza, & arbitrio di firmare in omnibus & per omnia come fossimo noi proprij, e se personalmēte gli intrauenesſimo, affirmādo, & ratificādo in questo quāto p voi sarà cōcluso, & capitolato. Papię tertio Iunij. 1488. Sign. Aluisius. Et a tergo Egregio viro Iuliano Guascono nostro dilectisſimo. Proposuit insuper præfatus D. Potestas Comissarius, dominos pręsidentes dictæ communitatis, seù maiorem partem ex eis, nomine totius Cōmunitatis prædictæ ex vna parte, & præ fatū D. Iulianū mandatariū, vt supra, nomine & vice prælibati D. D. Ludouici Mariæ parte alia, his proximis diebus inuicē fecisse secundo loco capitula infrascripti tenoris, videlicet. Pro cōseruatione iuriū præfatæ cōmunitatis & priuatarū personarū, vt infra videlicet. Quòd liceat & licitum sit pręlibato Illust. D. D. Ludouico Mariæ Sfortiæ Vicecomiti & Duci Barri &c. eiusq; heredibus & successoribus, & quibus ius suū dederit, diuertere, & diuerti facere aquam per rugiā, quā nouiter fabricari fecit pręlibatus Illust. D. D. Ludouicus Maria, incipiendo prope flumen Aconiæ, & eūdo postea per terrenū casinarū illorū de Aduocatis, & postmodum in rugiā, & per rugiā quæ appellatur rugia D. Manfredi Barbauarij, & nūc appellatur Maura, dimittēdo semper & dimittere debeat per prius rouezios octo aquæ, pro vsu molādinorū & pratorū Nouarię. Et quòd ab alueo Terdubij supra, & a molādino, ac proprietatibus, & possesſionibus de Praelis supra, vsq; ad fiumē Sicidæ nō posſit prælibatus Illust. D. D. Ludouicus Maria fieri facere nec alicui personæ cōcedere, quòd fiāt aliqua molādina super dicta rugia, saluo tamē quòd propter hoc non fiat aliquod præiuditiū Cōmunitati Nouariæ, nec dominis molandinorū pro conficiendis aliquibus molandinis, si & quatenus ius habeant, & sibi competat.

Item quòd liceat, & licitū sit prælibato Illust. D. D. Ludouico Marię, eiusq; heredibus & successoribus, & ius habituris, vt supra, tēporibus necesſitatis, & sicitatis conducere, & conduci facere, per alueū rugiæ nouiter fabricatū nomine Illust. dominationis suæ; dimittendo per prius rouezios octo aquæ pro vsu dictorū molandinorū, & pratorū vt supra; omnē aliā quātitatē aquæ etiā vltra summā roueziorū nouē aquæ aliás sibi concessorū, & de quibus in alia cōcesſione fit mētio, prout melius placuerit prælibato Illust. D. D. Ludouico Mariæ dummodo tamen non inferatur aliquod pręiudicium, vel damnum personis habētibus proprietates circumuicinas dictis locis, per quas conducerentur dictæ aquæ propter inūdationem dictarum aquarum, quæ ducentur nomine prælibati Illustrisſ. D. D. Ludouici Mariæ, saluo semper iure priuatarum personarum ius habentium.

Item quòd prælibatus Illustrisſ. D. D. Ludouicus Maria, eiusque heredes, & successores, & habentes seu habituri causam ab eo, vel eis, teneantur, & obligati sint manutenere & defendere, ac prouidere cum effectu, quòd perpetuis temporibus adsint, ac adesse debeant ad minus rouezij octo aquæ, in loco vbi in præsentiarū dicitur ad diuisas desuper, & prope ipsas diuisas molandinorū Nouariæ, & taliter quòd ad dicta molandina defluant, & habeātur

rouezij

rouezij octo aquę ad minus,tēporibus perpetuis,vt supra,secūdū formā alterius cōcessionis, & ca
pitulorū dictę cōcesionis,vt supra factæ. Et quòd molinarij molandinorū,seu illi ad quos spectāt
teneātur & obligati sint alueos rugearū bene spaciare,& obturare,& bene spaciatos & obturatos
tenere,taliter quòd aquæ nō perdātur ante descensum molādinorū. Et quòd clusa quæ in posterū
fiet super flumine Aconiæ pro diuertendo dictos rouezios octo aquæ,fieri debeat,& fiat,& manu-
teneatur per illos,qui soliti sunt facere,& manutenere ipsā clusā,& maximè p̄ illos de Ceredano,
p̄ eorū molādinis tantū,& prout hactenus facere soliti sunt pro parte & rata sua solita:saluis sem
per iuribus pratorū ius habentiū adaquādi,p̄ut in alia cōcessione,vtsup. Nec possit prælib.Ill.D.
Lud.Maria,nec eius heredes,nec habētes,vel habituri causā ab eo,vel eis diuertere dictā aquā:nisi
semper & perpetuis tēporibus relictis rouezijs octo aquę ad minus,pro vsu dictorū molādinorū,&
pratorū ius habētiū,vtsup. Itē quòd D.potestas pro tēpore existens in ciuit. Nouarię, habeat se
per vnā clauē super incastris,& portis,per quæ & quas præfat. Ill.D.Ludo.Maria & eius heredes,
& successores,ac habētes, seu habituri causā ab eo,vel eis,diuerteret aquas ex flumine Aconiæ, &
Sicidæ,de quibus supra fit mētio. Et si præf.D.potestas,qui per tēpora erit;per se,vel relatione D.
Vicarij eius,& nō p̄ aliū viderit,aut cognouerit dictā aquā,defluētē ad dicta molādina Nouariæ,
non ascendere ad dictā quantitatē roueziorū octo,quòd tunc,& eo casu teneatur ipse D.potestas
cū dictis clauibus,aperiri facere,& claudere,prout opus fuerit, dictas portas & incastra:taliter q̃
ex dicta aqua defluant ad clusam,quæ est prope & desuper dictas diuisas,& successiuè ad dicta mo
landina,& prata,dicti rouezij octo aquæ. Et similiter teneatur ipse D.potestas prouidere quòd di-
ctæ aquæ nō derobētur per aliquas personas cōtra formā statutorū Nouariæ,vel iuris dispositio-
nē,aut per nō habētes ius. Itē quòd respectu clausarum saluis semper suprascriptis, & infrascri-
ptis,seruentur capitula alterius cōcessionis,& casu quo dicti rouezij octo nō defluerent ad dicta
molandina Nouariæ,culpa & defectu molinariorū,vel aliarū personarū,quæ tenerentur pro eorū
cōtingētibus portionibus aptare clausas,& spaciare rugeas,& ripas,& torcularia ordinare, & spa
ciatas,& ordinatas,ac obturatas tenere,tūc & eo casu teneātur a domne damnū, & interesse dictis
cōmunitati,& priuatis personis prædictis qui fuerint negligētes,vtsup. Quorū omniū capitulo
rū suprascriptorū lecto tenore per me notariū infrascriptū,de mādato præfati. D. Comissarij, &
Potestatis,ad plenam intelligentiā præfatorū D. Pręsidentiū. Præfatus D.potestas proposuit quid
ipsis D. Præsidētibus videbatur fiedum pro cōfirmatione ipsorū suprascriptorū capitulorū, & cō
cessionis, & in omnibus & p̄ omnia esset fiedū in præmissis. Et qui D. Pręsidētes in pręmissis matu
ra & diligenti deliberatione pręhabita,& re cōsultata, vt pręlibato Ill. D.D.Ludouico Marię cō-
placeāt,deliberauerunt dicta capitula approbare,& cōfirmare cū additione capituli tenoris infra
scripti,videlicet,quia aliter dicta capitula nō confirmassent. Itē quòd liceat,& licitū sit quibus
cunque personis extrahere,& extrahi facere aquā a Terdubio,& per clusam factā ad transuersum
Terdubium super territorio Nouarię,siue Pernati, per quā diuertitur aqua ipsius Terdubij versus
Terchate,& hoc pro eorū pratis adaquando,dummodo ius habeant tam ex forma statutorū No-
uarię,quā aliter,& hoc rata quātitate quāta fuerit & reperiatur omni tēpore in ipso terdubio siue
alueo,antequā intret rugiā prædictā,siue antequā aqua ipsius rugiæ misceatur cū aqua Terdubij.
Quod quidem capitulū nouiter vt pręmittitur factū,præfati D.Præsidētes,& Cōsiliarij fecerūt in
pręsentiam & consensu suprascripti D.Iuliani Guaschoni ibi præsentis & consentientis. Quibus
omnibus auditis,& intelectis pręfati D.Consiliarij & Præsidenes vnanimes,& concordes delibe-
ratè approbarunt,ratificarunt,& cōfirmarunt, ac approbāt,ratificant,& confirmant. Et quatenus
necessariū sit de nouo fecerunt,& faciunt,cōcluserunt,& concludunt omnia & singula capitula su
perius expressa:& vt prædicta omnia perpetuis futuris temporibus continuo obseruētur, & obser
uari debent inconcussè, tam per pręlibatū Illust. D.D.Ludouicū Mariā eiusq; heredes & successo
res,& habētes,seu habituros causā ab eo,vel eis,quàm etiā per cōmunitatē Nouariæ ,& agētes,seu
in futurum acturos pro ea,vel habituros causam ab ea,ibi cōstitutus pręfatus D.Iulianus mādata
rius præfati Illust. D.D.Ludouici Marię,& ab eo in hoc habens potestatē parte vna,& nomine, &
vice prælibati Illust.D.D. Lud. Mariæ ex vna,ac præfati D.Præsidētes de numero quindecim,& alij
cōsiliarij de numero sexaginta,nomine,& vice cōmunitatis Nouariæ parte alia,seu alijs, inuicē,
& vicissim, dictis nominibus conuenerūt.& solēni stipulatione promiserunt,videlicet dictus D.Iu
lianus mandatarius,vtsupra, dicto nomine conuenit & promisit præfatis D.Cōsiliariis & præsidē
tibus stipulātibus,& recipiētibus nomine & vice pręfatę cōmunitatis,& itē nomine proprio & mi
hi notario infrasc. stipulanti & recipienti nomine & vice præfatæ cōmunitatis,& omniū,& singu
lorum,quorū interest,intererit,seu interesse poterit quomolibet in futurū:quòd pręlibatus Illust.
D.D.Ludouicus Maria,eiusq; heredes,& habituri causam ab eo,vel eis omni tēpore,& in perpetuū
pręDicta omnia,& singula pro eorū parte obseruabūt,attēdēt,& adimplebūt,& quisq; ipsorū ob-
seruabit,attender,& adimplebit,sub ypotecha,& obligatione omniū & singulorū bonorū præ liba
ti Illust. D.Ludouici præsentiū & futurorū:quæ ipse D.Iulianus dicto nomine obligauit, & obli-

V 2 gat,

gat,& ypotechat,& ypotecata esse voluit dictæ cõmunitati,& agẽtibus ꝓ eis, ꝓ integrali obseruatione omniũ pdictorũ & restitutione omniũ dãnorũ,interesse,& expẽsarũ. Et versa vice pfati D. Cõsiliarii,& Pręsidẽ.qui represẽtãt totã cõmunitatẽ Nouarię,ꝓ parte,& nomine dictę cõmunitatis, cõuenerũt,& ꝓmiserũt pręfato D. Iuliano mãdatario,vtsupra,& mihi notariijs,& vtriq; insolidũ stipulãtibus, & recipiẽtibus nomine & vice Prælib. Ill. D. D. Ludouici Marię,& etiã mihi notario infrascripto stipulãti,& recipiẽti,nomine & vice omniũ & singulorũ quorũ interest,intererit,seu interesse poterit quomodolibet in futurũ,pdicta omnia,& singula ppetuo,& omni tẽpore, firma, rata,& grata habere,attẽdere & obseruare,& nullo vnquam tẽpore cõtrauenire,nec cõtraueniẽti cõsẽtire, ꝓ parte tangẽtiũ ipsã cõmunitatẽ,sub ypoteca,& obligatione omniũ,& singulorũ bonorũ dictæ cõmunit.præsẽt. & futur.quæ bona psẽtia & futura dictę cõmunit.pfato D. Iuliano, dicto nomine; ꝓ pdictis attẽdẽdis & obseruãdis obligauerũt,& obligãt,& ad restitutionẽ omniũ dãnorũ interesse,& expẽsarũ. Et deinde plures cartę fieri iusse sũt. Pręsẽt. ibi ꝓ secũdis notar. Dominico de Gritis,& Hẽrico de capris,& ꝓ testib. Baptista de Captaneis caualieri f. q. Maffioli,& Lazaro de captan. f. q. Symonis,notis & idoneis ad pmissa vocatis & rog. Et subscr. hoc modo,omiss. sign. tabell. Ego Genesius Azo de Scriuãtis f. q. D. Valẽtini notatius publ. Nouariẽsis suprascrip. cartã tradatã, & abreuiatã p D. Symonẽ de Gritis notariũ infrascrip. iussu ipsius D. Symonis scripsi,& me subscr. *Ego Simon de Gritis f. q. D. Frãcini. publ. Imperiali auctor. Notar. Nouariẽ. suprascrip. instrumẽtũ pactorũ et cõuẽtionũ rogatus traddidi & abreuiaui & per suprascrip. Notariũ scribi feci,& in fidẽ præmiss. me subscripsi.*

※SENTENTIA *Ill. Magistratus Mediolani, Quòd Ciuitas Nouariæ habet ius octo roediorũ aquæ ex rugia Maura.* ※

M. D. LXXIX. indict. octaua,die veneris quarto Decembris in tertiis.

ILLVST. & M. Magn. D. Pręses,& Magistri Reg. Duc. Redd. Extraord. & bonorũ patrimonialiũ Status Mediolani etiam dellegati per litteras S. R. & Cath. Maiestatis tenoris huiusmodi, videlicet.

